



GONZALEZ y DIAZ-TUÑON, CEFERINO

PHILOSOPHIA ELEMENTARIA

AD USUM

ACADEMICÆ AC PRÆSERTIM ECCLESIASTICÆ JUVENTUTIS

OPERA ET STUDIO

R. P. FR. ZEPHYRINI GONZALEZ,

ORDINIS PRÆDICATORUM.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

VOLUMEN TERTIUM

ETHICAM ET HISTORIAM PHILOSOPHIÆ

COMPLECTENS.

Property of
COSA.
Please return to
Graduate Theological
Union Library

SUPERIORUM PERMISSU.

J.B.O'Connor & Co
Books, Stationery
AND MUSIC,
No. 103 Sixth Street,
SAN FRANCISCO CAL.

ace B96

MATRITI:

APUD POLYCARPUM LOPEZ, CAVA-BAJA, 19.

MDCCCLXVIII.

Auctor sibi reservat jura proprietatis ad normam legum.

LIBER SEPTIMUS.

ETHICA SIVE PHILOSOPHIA MORALIS.

Mos est receptus ab his qui quamlibet philosophiæ partem aggrediuntur, ad legentes præfari. Quoniam vero ejusmodi præfationes vaga quædam, atque exinde parum utilia, ut plurimum, continent, nos, quibus religio est brevitati simul et utilitati consulere, præfari malumus de ipsius Ethicæ notione, natura, proprietatibus, discrimine ab aliis, et divisione. Unde sit

CAPUT PROÆMIALE.

DE ETHICA UNIVERSIM SPECTATA.

§ I.

De notione et existentia moralis scientiæ.

«Moralis scientiæ proprium est, ait D. Thomas, (1) considerare operationes humanas secundum quod sunt

(1) 1.° *Ethic.* lect. 1.ª

ordinatæ ad invicem et ad finem.» Ex quibus verbis colligere licet quod moralis scientia, universim accepta, definiri possit: *Ea Philosophiæ pars quæ disserit de actibus humanis, prout ad finem consentaneum certis regulis dirigi possunt.*

Ubi notandum, *actus humanos*, quos dirigendos Ethica suscipit, non esse actus quoslibet ab homine egredientes sive ab homine exercitos, sed illos tantum qui ab homine, qua *rationali*, sive per rationem et liberam voluntatem agente, oriuntur. Namque, ut aptissime observat D. Thomas, «actionum, quæ ab homine procedunt, illæ solæ proprie dicuntur *humanæ*, quæ sunt propriæ hominis, in quantum est homo. Differt autem homo ab irrationalibus creaturis in hoc quod est suorum actuum dominus... Est autem homo dominus suorum actuum per rationem et voluntatem; unde et liberum arbitrium esse dicitur: *facultas voluntatis et rationis*. Illæ ergo actiones proprie humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt. Si quæ autem aliæ actiones (ut actiones, vel functiones vitæ vegetativæ) homini conveniant, possunt dici quidem *hominis* actiones, sed non proprie *humanæ*, cum non sint hominis in quantum est homo.»

Ex hac moralis philosophiæ notione infertur: 1.° summam esse ejusdem utilitatem et præstantiam; siquidem, ejus munus est dirigere et ordinare actiones humanas, quibus virtutem in præsenti, beatitudinem vero in altera vita adsequi potest. Queis adde tritam Socratis et Platonis hanc sententiam: «*Ad illa quisque bonus est ad quæ est sapiens; ad illa malus, ad quæ ignorans.*» (1)

2.° Existentiam libertatis esse conditionem necessariam existentiæ moralis philosophiæ, quam proinde e medio tollunt

---

(1) *Op. Plat. cum comment. Mars. Fic.* p. 200.

a) *Fatalistæ*, qui universa quæ in mundo et homine eveniunt, fatali quadam necessitate evenire contendunt; ubi enim deficit actio humana seu deliberata, deficit quoque possibilitas directionis moralis ejusdem ad finem.

b) *Pantheistæ*, apud quos nulla existit, aut existere potest vera libertas, cum homo æque ac mundus, sint manifestationes seu evolutiones necessariæ substantiæ divinæ.

3.° Moralem scientiam *practicam* esse; quandoquidem, et actiones humanæ, circa quas versatur, essentialiter practicæ existunt; et ulterius per hanc scientiam obtinet homo earundem cognitionem, non modo speculativam, sed et *directivam*.

§ II.

De objecto et principiis Ethicæ.

Liquet ex præcedenti paragrapho, objectum totale et adæquatum, quod etiam *attributionis* ab Scholasticis appellatur, moralis scientiæ, esse *actiones humanas ad finem ordinatas*, vel quatenus ordini morali subjiciuntur; unde et D. Thomas: «Subjectum moralis philosophiæ est operatio humana ordinata in finem, vel etiam homo prout est voluntarie agens propter finem.»

Itaque in operatione humana, quæ subjicitur considerationi scientiæ moralis, duo sunt: 1.° entitas actionis, quatenus est quidam actus seu motus vitalis ab homine procedens: 2.° quatenus est actus ad finem sive objectum determinatum tendens, ac ex hoc moralitatem, hoc est, bonitatem et malitiam moralem induens. Horum primum constituit objectum *materiale*

Ethicæ: alterum constituit objectum *formale* ejusdem, quoniam *moralitas* est ratio sive *forma*, quam in prædictis actibus Ethica speciatim et directe considerat.

Porro, cum cognitio objecti in qualibet scientia præter lumen rationis, quod est veluti medium sive instrumentum universale scientiæ, requirat aliquod medium veluti *speciale*, cujus ope facilius, evidenter, ac scientifice illud objectum a ratione attingatur, morali scientiæ sua quoque constant principia, nempe, propositiones illæ praxim humanarum actionum spectantes, quæ ex sola terminorum perceptione, statim ut veræ agnoscuntur propter immediatam evidentiam, qua mentem percellunt. Ejusmodi sunt: *Bonum est faciendum, et malum vitandum: vivere oportet secundum rationem: quod tibi non vis alteri ne facias*, etc. Quæ principia prima ordinis practici continentur habitu quodam naturali, qui *synderesis* a D. Thoma dicitur, sicut prima principia ordinis speculativi, continentur habitu, qui *intelligentia*, apud Scholasticos audit. Principia uniuscujusque scientiæ, ut in præcedentibus adnotavimus, appellari quoque solent a veteribus *objectum formale quo*, atque etiam *ratio sub qua* scientiæ, quatenus sunt id *quo* ratio objectum formale scientiæ attingit, et veluti lux quædam scientiam perfundens, cui innititur intellectus in vestigatione veritatum scientiæ illius.

Atque ex dictis facile colligitur: 1.° Ethicam, rem et nomen *scientiæ* jure sibi vendicare, cum circa proprium ac determinatum objectum conclusiones ex primis ac certissimis principiis deducere queat: 2.° eam quoad prima principia ac conclusiones, quæ sive immediate, sive facili ratiocinio ex eisdem profluunt, omnimoda certitudine donari, ut liquet in hisce aut similibus propositionibus: *Parentes sunt honorandi: adulterium est malum: injuria non est rependenda pro beneficiis:* in quibus non minor certitudo quam in physicis, et metaphy-

sicis elucet: 3.° eam, quoad conclusiones a principiis remotiores, minus certam esse; idque non solum propter majorem distantiam a primis principiis, quod commune est omnibus scientiis, sed propter naturam propriam objecti hujus scientiæ, quod conditionibus et circumstantiis est obnoxium, quibus mutatis, mutatur quoque rectitudo moralis actus humani. Nec aliud vult D. Thomas, dum scribit: (1) «Ratio practica negotiatur circa contingentia, in quibus sunt operationes humanæ; et ideo si in communibus sit aliqua necessitas, quanto magis ad propria (ad specialia vel particularia) descenditur, tanto magis invenitur defectus.»

§ III.

Discrimen Ethicæ ab aliis.

Ethices discriminatur: 1.° a morali christiana rigurose accepta, seu a theologia morali, non secus ac theodicea sive naturalis theologia, a theologia christiana vel revelata differt. Enimvero, differunt: 1.° *quoad subjectum*, quod quidem respectu philosophiæ moralis est *homo* quilibet, respectu vero theologiæ moralis, non quilibet homo, sed *christianus*, cujus actiones dirigere ad moralem theologiam per se spectat: (2) 2.° quoad *principia*, quæ in

---

(1) *Sum. Theol.* 1.ª, 2.ª, q. 94, art. 4.

(2) Atque hoc sensu verum est quod scribit Schleiermacher: «Ce que la morale chrétienne ordonne n'oblige que les Chrétiens; la morale philosophique a de plus vastes pretentions: elle veut obliger tous

morali theologia vel revelata sunt, vel ex revelatis deducuntur; in philosophica vero solo rationis lumine habentur et agnoscuntur: 3.° quoad *naturam* et *originem* præceptorum, quippe præcepta moralis philosophicæ ex lege naturali tanquam ex proprio fonte derivantur; ast præcepta theologiæ moralis, qua talis, ex lege divina, ex evangelica præsertim vim et originem ducunt.

Atque ex his jam elucet, rejiciendam esse sententiam heterodoxorum quorumdam, et rationalistarum, qui ethicam christianam cum ethica pure philosophica identificant et confundunt; (1) quandoquidem, prior principia et præcepta continet, ad quæ ratio humana ex propriis viribus nequit attingere, ut præcepta fidei, spei, charitatis, sumendi corpus Christi, etc.

Quod tamen nihil obstat quominus ex morali christiana lux maxima affulgeat philosophicæ, prout experientia ipsa, ac ex historia philosophiæ potissimum constat: homo namque solis naturæ viribus relictus, moralem quidem scientiam colit, evolvitque, sed errores non paucos et paradoxa offendit, sicut notare licet in ipsis primi subsellii ethnicis philosophis Socrate, Platone, Aristotele. (2)

2.° Ethica discriminatur *a prudentia*, quia illa circa

---

ceux qui peuvent s'élever à la connaissance des principes philosophiques dont elle est déduite.»

(1) Eminent inter hos Kant in *Crit. Judic.* pag. 462. De Wette *Moral Christ.* tom. 1.° p. 10. Bruch, *Manuale Moral.* pag. 10, ubi hæc scribit. «Dire: c'est le Christianisme qui le commande, ou: c'est la raison et la liberté qui l'ordonnent, c'est absolument la même chose:» Apud Goschler *Diction. Encyclop. de la Theol. Cathol.* tom. 18, p. 216.

(2) Qua in re bene habet Kant, dum scribit: «La maravillosa religion del cristianismo en su extrema sencillez enriquece la filosofía moral con ideas morales mucho mas precisas y mas puras que las que esta habia podido suministrar hasta entonces.» *Crit. Judic.* loc. cit.

moralitatem actionum humanarum in se ipsa, ac in universali spectatam versatur: hæc vero actiones humanas *singulares*, seu prout hic et nunc exercendas, dirigit. Enimvero, ut scite habet D. Thomas, «ad moralem scientiam pertinet universale judicium de agendis, sicut fornicationem esse malam, furtum non esse faciendum; sed ad prudentiam pertinet recte judicare de agibilibus (operationibus) singulis, prout sunt nunc agenda.» Adde his, prudentiam vitiis et passionibus corrumpi, non item scientia moralis, quæ vigere potest in viro vitiis dedito.

3.° Tandem discriminatur Ethica *a lege* seu *jure naturæ*, cum quo quidam eam immerito confundunt, cum tamen non una ratione differant. Nam 1.° lex naturæ hominum animis cum natura inest; Ethica non per naturam habetur, sed per disciplinam acquiritur: ex quo 2.° prior in omnibus hominibus ratione utentibus reperitur; posterior in quibusdam solummodo, qui ejus studio operam dedere: 3.° Ethica bonitatem et malitiam in humanis actibus detegit et ostendit; at lex naturalis non ostensiva tantum, sed et præcipiens bonum, et prohibens malum, existit.

§ IV.

Methodus et divisio Ethicæ.

Methodus qua moralis philosophia uti debet, et quam D. Thomas adhibet, partim est experimentalis, partim psychologica, partim rationalis seu deductiva. *Experimentalis* quidem, quatenus multiplices actus, qui ab

hominibus singularibus libere exercentur, cum suis variis circumstantiis et objectis observat ac invicem confert, pro natura præsertim virtutum et vitiorum dignoscenda et dijudicanda.

Psychologica, quatenus hosce actus prout ab anima egrediuntur et deliberationi subsunt, per internam conscientiam ac reflexionem perscrutatur. *Rationalis* demum, tum quatenus præfata phænomena experimentalia et psychologica, crisi rationis subjicit, tum maxime quatenus ope ratiocinii conclusiones et veritates ex primis principiis demonstrative deducit.

Quod attinet ad divisionem, veteres Ethicam partiri solebant in tres partes, «quarum prima, ait D. Thomas, (1) considerat operationes unius hominis ordinatas ad finem, quæ vocatur *Monastica*. Secunda, considerat operationes multitudinis domesticæ, quæ vocatur *Æconomica*. Tertia autem considerat operationes multitudinis civilis, quæ vocatur *Politica*.»

Attamen, apud recentiores invaluit divisio Ethicæ in *universalem*, quæ de actibus moralibus hominis in genere disserit, et *particularem* seu *specialem*, in qua de hominum officiis moralibus, seu de virtutibus et vitiis disceptatur.

Hanc porro Ethicæ partitionem D. Thomas non modo prænovit, sed ad praxim revocavit in *Summa Theologica*, ut cuique observare licebit; imo vero ejusdem sufficientem rationem assignat verbis hisce: «Quia operationes et actus circa singularia sunt, ideo omnis operativa (practica) scientia in particulari consideratione perficitur (complementum et perfectionem accipit). Moralis igitur consideratio, quæ est humanorum actuum,

(1) 1.° *Ethic.* lect. 1.ª

primo quidem tradenda est in universali, secundo vero in particulari.»

Cui divisioni insistentes, nos Ethicam partimur in duas sectiones, in quarum prima, ea quæ ad moralitatem humanorum actum in genere spectant, investigabimus; in altera, de præcipuis hominis officiis moralibus disseremus. Prior nuncupari quoque solet *Nomologia:* posterior autem, *Deontologia*.

SECTIO PRIMA.

Ethica generalis.

CAPUT PRIMUM.

DE ULTIMO FINE ACTUUM HUMANORUM.

Prænotanda:

1.° Finis definiri potest in genere: *Id cujus gratia agens operatur*. Unde respectu agentis intellectualis, qui rationem finis cognoscit, finis definiri potest: *Bonum in quod intendens agens, operatur, ut illud adipiscatur*. Finis enim eatenus allicit et movet ad operandum, quatenus sese offert agenti intellectuali sub ratione boni assequibilis. Atque hoc sensu dicitur, quod objectum voluntatis seu actionis humanæ, est bonum *verum* vel *apparens*; nihil enim ipsam allicit ad operandum, aut ab ea appetitur, nisi sub ratione boni.

2.° Hinc colligitur: 1.° bonum et finem, respectu voluntatis humanæ, esse unum et idem; cum solum bonum, qua tale, eam alliciat ad agendum, solumque inter se differre, quatenus *bonum* dicit rem ut convenientem appetitui agentis; *finis* vero explicite respicit media, quibus obtineri potest: 2.° finem ultimum, ac proinde adæquatum et perfectissimum actionum huma-

narum, debere esse illud bonum, quod hominis appetitum adæquare et satiare possit, hominem exinde beatum reddendo.

5.° Finis, qua talis, quamvis sit id quod primo movet agens ad agendum, propter quod dicitur *primum in intentione*, realis tamen adeptio illius supponit ac præexigit applicationem mediorum, propter quod dicitur *ultimum in executione*.

4.° Præcipuæ finis divisiones sunt:

a) *Finis ultimus*, qui propter se ipsum appetitur, cætera vero propter ipsum; *finis intermedius*, cujus bonitas appetitur, vel tanquam participatio, vel tanquam medium pro assecutione finis ultimi.

b) *Finis qui*, nempe, res quæ appetitur; *finis quo*, sive operatio, qua finis habetur et possidetur; *finis cui*, qui est persona, cui bonum intenditur aut quæritur. Primus dici etiam solet *objectivus;* secundus, *formalis*.

c) *Finis operis*, qui est id ad quod opus ex propria natura et conditione tendit, ut subventio miseriæ respectu eleemosynæ; *finis operantis*, qui est bonum, quod agens principaliter ex operatione intendit, ut si ex eleemosyna intendat operans, gloriam apud homines sibi captare.

4.° *Finis ultimus* seu beatitudo perfecta hominis, spectari potest, vel in abstracto, et *formaliter*, ut ajebant Scholastici, pro ipsa ratione summi boni satiantis et quietantis appetitum; vel in concreto et *materialiter*, pro re illa, in qua adesse existimatur bonitas summa vel sufficiens ad quietandam et implendam hominis voluntatem.

5.° Certo constat, hominem dum deliberate agit, agere propter ultimum finem. Nam, vel finem, propter quem hic et nunc operatur, quærit propter seipsum tanquam plene satiativum appetitus, quo casu ipsi erit ultimus finis; vel ipsum quærit tanquam bonum im-

perfectum et partiale, quo casu, vel illud habet ut medium ad adsequendum aliud bonum perfectum et summum in sua existimatione, ad quod proinde ejus operatio tendit tanquam ad finem ultimum, vel saltem illud habet ut participationem beatitudinis perfectæ, quam continuo appetit et quærit, licet pro tunc nesciat, vel non cogitet in qua re inveniatur, ac proinde operatur propter ultimum finem, formaliter vel in communi acceptum.

Difficultas ergo solum esse potest quoad determinationem illius rei vel boni, cujus possesio hominem felicem possit reddere, ad quod idcirco actiones humanæ tendere debeant tanquam ad verum ultimum finem hominis. Pro quo sit

THESIS.

Solus Deus, utpote bonum summum et infinitum, constituit objectivam beatitudinem hominis.

Prob. 1.° Beatitudo objectiva hominis debet esse bonum quod ejus voluntatem plene satiare ac replere possit, ita ut nihil ultra appetere valeat; atqui solum bonum infinitum præstare id potest humanæ voluntati: ergo. Prob. min. Voluntas humana, utpote inclinatio consequens intellectum, gaudet et donatur eadem amplitudine et vi quoad bonum appetendum, ac intellectus quoad bonum cognoscendum; unde et appetitus *rationalis* appellatur, quia appetere potest omne bonum ad quod ratio pertingit: atqui hominis ratio pertingit ad rationem boni infiniti; cognoscit enim Deum summum bonum, et habet ideam infiniti, ut in Ontologia ostendimus, et experientia constat: ergo etiam hominis voluntas appetere potest bonum infinitum, ac proinde plene satiari aut quietari nequit nisi ex ejus possessione. Ergo solus Deus, qui est bonum in-

finitum, objectivam hominis beatitudinem constituere potest.

Prob. 2.° Experientia luculentissima et quotidiana, qua videmus humanam voluntatem nullis creatis aut finitis bonis expleri, sed ad supremum et altius bonum semper aspirare; immo quo abundantius finitis bonis affluit, ampliorem capacitatem in seipsa persentit, et desideria superioris universalis boni augescunt, et vividius pulsant. Ut jure merito dixerit D. Augustinus: *Fecisti nos Domine ad te, et inquietum est cor nostrum. donec requiescat in te.*

Ex qua doctrina inferuntur subjecta,
Corollaria:

1.m Ergo felicitas objectiva hominis in nullo creato bono reponenda est; quodvis namque creatum bonum, quamtumvis præcellens supponatur, finitum, ac exinde particulare existit; «quia omnis creatura, inquit D. Thomas, (1) habet bonitatem participatam. Objectum autem voluntatis, quæ est appetitus humanus, est universale bonum, sicut objectum intellectus est universale verum. Ex quo patet quod nihil potest quietare voluntatem, nisi bonum universale.»

2.m Ergo rectæ rationi adversantur:

a) *Epicurismus*, non solum apertus veterum, sed etiam larvatus recentiorum quorundam, qui hominis beatitudinem et ultimam perfectionem reponunt in plena et libera satisfactione passionum, prout contingit præsertim in *Sansimonismo*, *Fourierismo*, ac systemate Owen. (2)

---

(1) *Sum. theol.* 1.ª 2.ª, q. 2.ª art. 8.°

(2) Audiatur Reybaud, qui postquam horum trium reformatorum systemata exposuit, ac ex parte commendavit, subdit: «Proclamer la legitimité absolue, illimitée des passions... c'est pourtant ce qu'ont fait nos trois reformateurs, ce qu'ils ont dit, ce qu'ils ont enseigné... Céder

b) *Utilitarismus* a Bentham inductus, qui non alium finem hominum actionibus præstituit, nisi utilitatem; idque non solum quoad privatas actiones, sed etiam et maxime quoad negotia publica societatis. Systema hocce in praxi late patet, præsertim in politicis, ubi utilitas, vel *ratio Status*, ut ajunt, omnibus juribus ac honestati naturali, antefertur. Porro, si Deus est verus finis ultimus hominis, hujus actiones, quibus ad ipsum dirigitur, et ad ejusdem adsecutionem præparatur, non ex utilitate, sive privata, sive publica, sed ex honestate a lege æterna et naturali derivata habiles redduntur ad perducendum hominem ad beatitudinem seu perfectionem ultimam.

c) *Philantropismus*, apud quem hominis voluntas non alium sibi debet præstituere finem, nisi benefacere aliis hominibus. Etenim, nec omnes actiones humanæ seu deliberatæ, alios homines respiciunt, nec quoad eas qui proximum respiciunt, voluntas in eis quiescit aut satiatur: unde opus est quod vel explicite, vel implicite, easdem ad alium finem referat.

3.ᵐ Ergo Deus est principium fundamentale ordinis moralis quoad hominem, primaque regula et mensura actionum humanarum in eo ordine. Enimvero, si Deus est ultimus finis hominis, legitime infertur, eas actiones hominis esse *bonas*, quæ huic ultimo fini non adversantur, sed tendunt ex propria conditione ad conjungendum hominem cum Deo ultimo fine: eas vero esse *malas*, quæ prædicto fini opponuntur, aut ab eo avertunt. Pro-

---

à la nature, s' abandonner aux appels des sens, jouir de tout sans mesure et sans réserve, voilà la vertu... La loi qui gouvernant l' ile de Circé a trouvé des commentateurs et des apôtres. L' un d' eux l' elève a la hauteur d' un principe religieux, l'autre en fait un ressort social, le troisième un agent essentiel de nos destinées.» *Etudes sur les Reformateurs* tom. 1.°. pág. 296.

fundissime igitur habet D. Thomas: «Rectitudo voluntatis est per debitum ordinem ad finem ultimum.» (1)

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Appetitus finitus satiari ac quiescere potest ex possessione boni finiti; sed humana voluntas est quid finitum, sicut et homo, cujus est potentia: ergo.

Resp. Dist. min. Est quid finitum *quoad entitatem subjectivam*, conc. quoad *capacitatem objectivam*, neg. Quamvis enim voluntas sit finita, si spectetur in propria entitate, seu præcise quatenus est vis seu facultas quædam animæ inhærens, sicut finitum est ejus subjectum, si spectetur tamen ex parte objecti in quod ferri potest, amplitudine infinita donatur, quatenus bonum universale seu infinitum ipsi ab intellectu propositum appetere potest. Quam rem Scholastici pressius exprimebant, dicentes, voluntatem esse finitam *subjective*, et infinitam *objective*.

Inst. Inter rem infinitam, et finitam, nulla adest proportio; res enim infinita infinite distat a re finita: ergo voluntas, quæ est finita nequit attingere bonum infinitum.

Resp. Dist. ant. Nulla adest proportio *quoad naturam et esse*, conc. *objectiva* et *relationis*, neg. Sicut enim res creatæ, quamvis finitæ sint, nos ducunt ad cognoscendum Deum infinitum, quatenus est ipsarum principium, ita et voluntas in Deum ferri potest, quatenus objectum ejus existit.

Objic. 2.° Discrimen statuere oportet inter Deum in-

---

(1) Vid. *Estudios sobre la Filos. de Sto. Tom.* lib. 6.°, cap. 2.°

finitum, et creaturam; sed objectum voluntatis divinæ, Deique beatitudo, est bonum infinitum: ergo hocce bonum infinitum nequit esse objectum et beatitudo voluntatis humanæ.

Resp. Dist. min. Est bonum infinitum, *infinito modo possessum*, conc. *finito modo*, neg. Ex quo apparet discrimen inter beatitudinem Dei et hominis, qui bonum infinitum finito solum modo attingere et possidere potest.

Objic. 3.° Si beatitudo objectiva hominis esset Deus, ejus felicitas formalis esset possessio Dei per cognitionem et amorem naturalem: atqui id esse nequit; quandoquidem cognitio quæ de Deo lumine naturali haberi potest, hominem satiare nequit, cum alia perfectior sit ipsi possibilis: ergo.

Resp. In hypothesi beatitudinis pure naturalis, homo, vel non desideraret intueri Deum immediate, quia ignoraret possibilitatem hujus intuitionis, quæ ad ordinem supernaturalem spectat, vel inefficaci desiderio desideraret, quippe agnosceret ejusmodi intuitivam Dei notionem, nec naturæ deberi, nec viribus ejus respondere. Nobis probabilius est, hominem solum desiderare posse intuitionem divinæ essentiæ, ex hypothesi elevationis ejus ad ordinem supernaturalem, quam nunc obtinet; atque hoc sensu excipienda existimamus verba D. Thomæ, dum scribit: (1) « Naturale est homini visis effectibus, et ex illis cognita causa, desiderare videre causam in seipsa; nec quiescit, donec ipsam ejus essentiam clare videat.»

---

(1) *Sum. Theol.* P. 1.ª, q. 12.ª, art. 1.°

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrum beatitudo possit obtineri in hac vita.

Prænotanda:

1.° Beatitudo formalis, quæ, ut supra diximus, est ipsa possessio Summi Boni, dupliciter spectari potest: 1.° *ut adæquata* seu perfecta *quoad statum;* quo sensu importat possessionem omnis boni, ita ut voluntas nihil ultra desideret, definiturque a Boetio: *status omnium bonorum aggregatione perfectus*: 2.° inadæquate, seu *quoad essentiam;* quo sensu importat actum illum quo Bonum Summum primario et principaliter possidetur. Quæstio præsens de prima procedit.

2.° Possibilitatem beatitudinis in vita præsenti tuentur: 1.° qui hominis ultimum finem in aliquo creato bono constituunt: 2.° qui hominis ultimam destinationem et perfectionem, reponunt in progressu indefinito humanitatis. Adversus quos sit

THESIS 1.ª

Perfecta hominis felicitas seu beatitudo obtineri nequit in vita præsenti.

Prob. 1.° ratione. Perfecta beatitudo debet hominis appetitum integre satiare et explere, ita ut nihil ultra desiderare possit, et omnem mali speciem excludere; atqui beatitudo quævis in vita præsenti supponatur appetitum hominis integre explere nequit, nec omnem mali rationem excludere: ergo. Prob. min. Periculum et timor amittendi bonum, et repugnant veræ beatitu-

dini, atque quieti et delectationi appetitus, et præ se ferunt rationem mali; atqui quævis beatitudo in hac vita supponatur, necessario secum fert periculum et timorem amissionis; quandoquidem nullum bonum præsentis vitæ stabile, aut inamissibile esse potest, cum ipsa vita, quam præsuponit, et cui superstruitur, amitti queat et de facto amittatur: ergo.

Prob. 2.° Experientia, qua constat nullum unquam extitisse hominem qualibet bonorum omnis generis copia affluentem, qui seipsum beatum existimarit, ita ut nihil ultra sibi appetendum remaneret: immo etiam dato quod nihil ultra appeteret, adhuc beatus non esset propter defectum securitatis in possessione illorum bonorum, et timorem eadem cum vita amittendi.

THESIS 2.ª

Absurdum est hominis beatitudinem constituere in progressu continuo aut indefinito generis humani.

Prob. 1.° Constituere ultimam perfectionem et beatitudinem hominis in progressu indefinito generis humani, idem est ac constituere hominem nunquam pervenire posse ad possessionem ultimæ perfectionis seu beatitudinis, ac proinde quod hominis appetitus et conatus ad beatitudinem, sit frustraneus, irritus, et ad cruciandum hominem solum inserviens, quod certe absurdum est: ergo. Ant. constat, quia si beatitudo hominis quærenda est in progressu indefinito humanitatis, nunquam ad eam plene habendam perveniet, quousque humanitas suam ultimam perfectionem acquisiverit; quod tamen ex hypothesi nunquam eveniet, quia quod *indefinite*, seu sine fine movetur, nunquam *ultimum* attingit. Præterea: cum singuli homines, vel saltem maxima pars hominum, mortem oppeterent antequam perficiatur

progressus ille indefinitus, omnes, vel saltem maxima hominum pars beatitudine privarentur.

Prob. 2.° Appetitus humanus ad bonum infinitum sese porrigit, nec minori bono quietari aut expleri potest, prout in superiori articulo demonstratum est: ergo perfectio indefinita generis humani hominis beatitudinem nequit constituere; tum quia repugnat *indefinitum* possideri actu totum; tum quia nunquam ad infinitum pertingere potest.

THESIS 3.ª

Beatitudo perfecta solum in altera vita potest obtineri: ast imperfecta quædam in præsenti haberi potest.

Prob. 1.ª pars. Beatitudo perfecta posita est in possessione Dei, qui, ut supra demonstratum est, constituit beatitudinem objectivam hominis; sed ejusmodi possessio perfecte haberi nequit nisi in altera vita: ergo. Min. prob. Nam Deus, utpote bonum spirituale et intelligibile, non corpore, nec sensibus, sed intellectu, et voluntate solum possidetur; actus vero intellectus, et voluntatis in præsenti vita multiplicibus defectibus sunt obnoxii, prout abunde experientia ostendit. Ergo solum post separationem a corpore corruptibili quod *aggravat animam*, Deum possidere potest homo intellectu, obscuritate, ignorantia, et erroribus jam libero, et voluntate ad Deum conversa, nec sensibilibus passionibus, aut flexibilitati in malum obnoxia.

Altera pars thesis ex præcedenti consequitur. Nam si perfecta hominis beatitudo in possessione perfecta Dei per cognitionem et amorem posita est, plane constat ejusdem Dei cognitionem et amorem, prout in hac vita obtineri potest, imperfectam hominis beatitudinem constituere. Ex quo ulterius consequitur, solos justos vera felicitate gaudere; quippe in solis justis hæc duo conjunguntur, cognitio, nempe, et amor Dei, ex quibus

animi tranquillitas, verum gaudium, appetitus requies, cordis pax, ac cætera bona, quæ quandam similitudinem et participationem perfectæ beatitudinis præ se ferunt, consequuntur. *Similitudinem*, inquam, et *participationem;* nam, ut optime habet D. Augustinus: «Hic dicimur quidem beati quando pacem habemus, quantulacunque hic haberi potest in vita bona, sed hæc beatitudo illi, quam finalem dicimus, beatitudini comparata, prorsus miseria reperitur.» (1)

SCHOLIUM.

Non una fuit Scholasticorum sententia circa *essentialem* beatitudinem, quam quidam in actibus intellectus et voluntatis reponebant; alii in actu voluntatis, qui dicitur fruitio; alii in actu amoris reponebant. Nobis probabilior videtur sententia D. Thomæ, qui essentiam beatitudinis perfectæ in operatione intellectus constituit. Revera enim, sicut bonum sensibile sensu possidetur, ita objectum intelligibile intellectu. Cum ergo Deus sit objectum intelligibile, operatione intellectus proprie ac primario, ac proinde essentialiter possidetur. Ad hæc, actus voluntatis ut amor, fruitio, gaudium etc. actum intellectus præsuponunt, et illum consequuntur; quandoquidem ex perfecta cognitione Dei sequitur amor ejusdem, fruitio, gaudium, etc.

---

(1) *De Civit. Dei*, lib. 19, cap. 10.

CAPUT SECUNDUM.

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM.

ARTICULUS PRIMUS.

De natura moralitatis.

Nullibi elucet magis moralem doctrinam doctrinæ metaphysicæ respondere ac ex ea derivari, sicut in præsenti materia, in qua mira, nec minus a ratione absona systemata observare licet. Nos missis veterum ethnicorum placitis, recentiorum sententias ad quædam capita revocamus, quæ sequentibus exhibentur.

1.° *Systema scholæ sensualistæ.*

Hæc schola innixa principio sensationis, quam unice in homine admittit, discrimen inter bonum et malum morale, repetit ex voluptate, aut utilitate actionis, ita ut illæ hominis actiones *bonæ* dicantur, ex quibus felicitas aliqua, delectatio, aut utilitas homini acquiritur; *malæ*, quæ dolorem, aut incommodum, et damnum afferunt. Systema hocce explicite vel implicite profitentur, præter Condillac, Helvetium, Voltaire cum reliquis gallicis philosophis elapsi sæculi, Hobbes, cujus systema politicum de absoluto despotismo, ac de *homine homini lupo*, fundamentum habet in hac volup-

tatis (1) theoria morali, ac denique *Socialismi*, et *Communismi* propugnatores, qui in praxi ad moralem aut *voluptatis*, aut *utilitatis*, tandem deveniunt, prout de Saint-Simon, Fourier, et Owen supra adnotavimus. Verbo: omnes qui cum schola sensualistica, non alias cognoscendi facultates præter sensum admittunt, non aliam moralitatem in actibus agnoscunt, aut agnoscere jure possunt, nisi voluptatem et dolorem. (2)

2.ª *Systema scholæ utilitariæ:* eorum, nempe, qui moralitatem actionis humanæ repetunt ex utilitate aliorum, ac præsertim communitatis, maxime vero utilitatem generis humani; unde et schola *humanitaria* dici potest. Ad eam spectant, inter alios, Bentham su-

---

(1) Audiatur de re hac Cousin: «Pour Hobbes... l'idée du bien et du mal n'a d'autre fondement que la sensation agréable ou désagréable,... L'homme est capable de jouir et de souffrir; sa loi unique est de souffrir le moins possible, et de jouir le plus possible. Puisque telle est la loi unique, il a tous les droits que cette loi lui confère; il peut tout pour sa conservation, et son bonheur; il a le droit de sacrifier tout à soi... C'est lá l'etat de nature, qui n'est pas autre chose que l'etat de guerre, le combat de tous contre tous... L'état social est l'institution d'une puissance publique plus forte que tous les individus, capable de faire succéder la paix à la guerre et d'imposer à tous l'accomplissement de ce qu'elle aura jugé utile, c'est-à-dire, juste. Mais comme les passions comprimées sont en révolte naturelle et nécessaire contre la nouvelle autorité, cette autorité ne peut être trop forte; et Hobbes place l'espèce humaine entre l'alternative de l'anarchie ou d'un despotisme, qui sera d'autant plus conforme à sa fin qu'il sera plus absolu.» *Hist. de la Phil.* lec. onz. pag. 380.

(2) Nec te moveat quod quidam loco voluptatis, utilitatem prædicent; hæc quippe cum illa identificatur quoad eos qui nihil in homine præter sensationes esse affirmant. Qua in re bene habet Cousin, dum scribit: «La philosophie de la sensation partant d'un fait unique, la sensation agréable ou pénible, arrive nécessairement en morale à un principe unique, l'interet... La morale de l'interet n'est pas autre chose que la morale du plaisir perfectionnée substituant le bonheur au plaisir, l'utile à l'agréable.» *Du Vrai, du Beau, et du Bien*, pag. 276.

pra citatus, Hutcheson, ac demum asseclæ et propugnatores progressus indefiniti generis humani.

3.° *Systema sensibilitatis moralis;* quo nomine hic comprehendere volumus eos, qui distinctionem inter bonum et malum morale repetunt ex quadam affectione sensibili, (*sentimiento moral*) qua actiones quasdam tanquam bonas prosequimur, alias vero ut malas aversamur. Systema hocce non unam et eandem, sed varias formas exhibet. Namque

a) Quidam illud explicant per *satisfactionem internam*, quam in nobis experimur dum bene agimus, aut alios bene agere videmus; contra vero, dum male agimus, aut alios agere observamus.

b) Alii, ut Smith, per sympathiam et antipathiam, quam erga actiones quasdam ipsarumque auctores experimur.

c) Alii autem, ut Reid cum aliis scholæ scoticæ discipulis, docent bonum et malum morale, esse objectum cujusdam facultatis sui generis, quæ ab ipsis quandoque *facultas moralis* appellatur. (1)

Cæterum, hanc facultatem agnoscunt non solum tanquam primam regulam boni et mali moralis, sed eidem tribuunt cognitionem primorum principiorum scientiæ moralis; (2) qua sane in re ad scholam sensualismi accedunt, ut patet.

---

(1) Audiatur omnium loco ipsemet scholæ princeps, Reid: «Selon moi, notre espèce possède une faculté originelle en vertu de laquelle, quand nous sommes arrivés à l'age de raison et de réflexion, non seulement nous acquérons la notion du bien et du mal en général, mais encore nous reconnaissons que certains actes sont bons, et certains autres mauvais. Bien que le nom de *sens moral* soit plus fréquemment donné à cette faculté... le mot n'est cependant point nouveau...

Si la dénomination de *sens moral* a choqué, c'est que les philosophes ont degradé les sens, et les ont dépouillés de la plus importante de ses functions.» *Œuvres compl.* pub. par Jouffroy, tom. 6,pag. 152.

(2) Audiatur iterum Reid: «Il y a dans l'âme une faculté originelle

4.° *Systema scholæ positivæ*, eorum, nempe, qui cum Puffendorf ajunt nullum dari essentiale discrimen inter bonum, et malum morale, ita ut actiones humanæ «remota omni lege tan divina, quam humana, sint indifferentes.» Ad eandem scholam revocari jure potest Saint-Lambert, qui moralitatem actionis humanæ ex hominum opinione repetit.

Jam, ut ejusmodi systemata breviter expendantur, veraque doctrina simul constituatur, sit

THESIS 1.ª

Impium et absurdum est systema, quod actionum humanarum moralitatem repetit ex ipsarum voluptate aut utilitate.

Prob. *Est impium*, quia futuram vitam, animæ immortalitatem, ac exinde integram religionem subvertit. Siquidem, ex systemate ac mente propugnatorum hujus systematis, ideo voluptas et utilitas personalis moralitatem actionum humanarum constituunt, quia sunt unica, vera et realia bona, quæ homo adipisci potest; unde omnes affectus et conatus dirigere debet ad ipsas, tanquam ad ultimum finem humanæ vitæ, et summam felicitatem, cujus capax sit homo.

Est absurdum: 1.° quia aperte contradicit communi hominum sensui et rectæ rationi, quibus edocemur

---

que nous appelons conscience, ou *faculté morale* en vertu de laquelle nous acquérons les notions de bien, et de mal... et toutes les autres notions morales, que sont en nous; et c'est encore par la même faculté que nous connaissons la justice, ou l'injustice de telle ou telle action particulière. Le premiers principes de la morale sont les suggestions immédiates de cette faculté, et nous avons les mêmes motifs de nous fier à ses décisions qu'à celles de nos *sens* et de toutes nos autres facultés naturelles.» *Ibid.* pag. 160.

aliud esse voluptatem et utilitatem actionis, aliud plane diversum ejusdem bonitatem moralem: 2.° quia ex eo sequeretur actionem ejus qui pro patria aut religione tuenda cruciatus et mortem subit, esse vitiosam, seu moraliter malam, eoque vitiosiorem, quo atrociora subit tormenta; contra vero, actionem ejus qui amicum occidit, ut ejus pecuniam in propriam utilitatem et voluptatem vertat, esse bonam: 3.° quia similiter sequeretur hominem a brutis non secerni aut discriminari, cum et animalia, utilia et jucunda quærant, eisque fruantur.

THESIS 2.ª

Systemata scholæ utilitariæ, sicut et affectionis sensibilis, rejicienda sunt tanquam insufficientia ad moralitatem explicandam.

Prob. quoad systema utilitarium. 1.° Quia ex hoc systemate consequitur actionem quamlibet, quamtumvis inhonestam et illicitam, licitam et honestam reddi posse, si utilis communitati vel societati evadat; quod absurdum est, ac notionem boni et mali moralis penitus subvertit; nemo quippe sanæ mentis homo dixerit, licitum et honestum esse innocentem punire, si hoc utilitatem communitati afferret.

2.° Si actionum humanarum moralitas ex utilitate publica pendet et desumitur: ergo ratio justi et honesti solum habet locum in actionibus, quæ communitatem respiciunt: ergo actiones, quæ hominem privatum respiciunt, moralitate privantur, ac proinde actus justitiæ commutativæ, et relationes inter privatos homines bonitate et malitia morali non gaudent.

3.° In hoc systemate confunduntur rationes boni utilis et honesti, quæ tamem essentialiter distinguuntur; bonum quippe utile, non propter se, sicut bonum

honestum, sed propter aliud quæritur, habetque potius rationem medii.

Quoad systema affectionis sensibilis. Nam 1.° gratuitum est, ac nullo rationali fundamento innititur, dum inducit novas facultates ad agnoscendum et discernendum bonum et malum morale, cum ad hoc abunde sufficiat intellectus vel ratio, ad quam proprie ac vere pertinet ejusmodi vis et officium.

2.° Ex eo quod dum bene agimus, internam satisfactionem, remorsum vero dum male agimus; ac similiter ex eo quod dum alios bene aut male agentes observamus, sympathiam et antipathiam experimur, colligi ad summum potest ejusmodi actionibus inesse bonitatem vel malitiam moralem, ex quibus præfati affectus originem ducant, ast minime colligi potest ejusmodi affectus constituere moralitatem illarum actionum. Ergo hoc systema sumit effectum pro causa; non enim quia sympathiam aut antipathiam experimur, actus est bonus vel malus moraliter, sed quia actus est bonus vel malus, ideo antipathiam et sympathiam, vel alias affectiones experimur.

THESIS 3.ª

Moralitas non desumitur ex libera Dei voluntate.

Prob. 1.° Dantur actus, quibus moralitas essentialiter inest, ita ut nec esse, nec concipi possint sine moralitate, ut apparet in blasphemia, et odio Dei, mendacio, etc., qui sunt essentialiter *mali;* atqui essentiæ rerum, utpote immutabiles, non dependent ex libera Dei voluntate: ergo sicut ex libera Dei voluntate non pendet quod homo sit rationalis, aut ens finitum, ita nec quod perjurium, ex. gr. sit *malum* moraliter. Ergo mo-

ralitas actionum humanarum solum dici potest dependens ex libera Dei voluntate indirecte, et ex hypothesi, quatenus, nempe, si noluisset homines creare, non existerent hominum actus morales.

2.° Justitia et honestas quarundam actionum, sunt independentes a voluntate divina; quippe pro priori ad voluntatem divinam, et independenter ab ejus decretis et præceptis, concipimus justitiam et honestatem in quibusdam rebus, sicut injustitiam et turpitudinem in aliis; immo, si supponamus hominem, cui ignota sit voluntas divina, ipseque Deus, adhuc ut bonos agnosceret actus servandi fidem amico, honorandi parentes; ut malos vero, pejerare, aut innocentem occidere. (1)

THESIS 4.ª

Moralitas constituitur per ordinem, seu relationem transcendentalem actus ad objectum prout consentaneum rationi.

Prob. ac simul explicatur thesis. In actione humana duo sunt: 1.° entitas physica actionis, seu quod in idem redit, actio quatenus vitaliter egreditur a determinata potentia, quæ est voluntas libera: 2.° honestas, vel inhonestas, sive *esse morale*, quod in ea elucet. Jam vero, omni actioni commune est speciem et distinctionem desumere ex ordine ad suum objectum: sic actus intellectus specificatur et distinguitur ab actu sensus, qua-

---

(1) Huic Puffendorf sententiæ, quam hic oppugnamus, præluxit olim Occam, qui hæc scribit: «Licet odium Dei, furari, adulterari, habeant malam circumstantiam annexam, et similia de communi lege, quatenus fiunt ab aliquo, qui ex præcepto divino obligatur ad contrarium; sed quantum ad esse absolutum in illis actibus, possunt fieri a Deo sine omni circumstantia mala annexa; et etiam meritorie possent fieri a viatore, si caderent sub præcepto divino, sicut nunc de facto eorum opposita cadunt sub præcepto divino.» *Sentent.* lib. 2.°, q. 19.

tenus respicit objectum, quod distinguitur ab objecto sensus, ac inter ipsos sensus, visio, ex. gr. distinguitur ab auditione, quatenus illa respicit colorem, cui essentialiter coaptatur et commensuratur, ista vero sonum: hic autem ordo actuum ad propria objecta, dicitur relatio transcendentalis, quia includitur in ipsa natura actus, qui ex ipsa sua essentia, et per suam essentiam respicit determinatum objectum. Ergo cum moralitas nonnisi in actibus inveniatur, primario constitui debet per ordinem seu relationem transcendentalem ad objectum aliquod; id namque commune est omni actui, sive operationi. Ast vero, objectum actui morali objici debet ipsumque terminare, non solum quoad entitatem physicam, sed quoad esse morale; quod quidem esse morale objecto convenit, quatenus terminat actionem juxta præscriptum rationis, cujus proprium est cognoscere convenientiam aut discrepantiam actionis ad tale objetum terminatæ, cum essentiis rerum, præsertim vero cum ipsa natura humana, quatenus per legem naturalem, quam insitam habet, participat legem æternam. Ex quibus hæc colliges

Corollaria:

Moralitatem actus dependere a ratione tanquam a principio immediato, quatenus per rationem nobis innotescit conformitas, aut discrepantia talis actus, prout terminatur ad tale objectum, cum rerum essentiis, prout ad invicem et ad Deum ordinantur. Atque hoc sensu ait D. Thomas; « Bonum per rationem repræsentatur voluntati, ut objectum; et in quantum cadit sub ordine rationis, pertinet ad genus moris, et causat bonitatem moralem in actu voluntatis; ratio enim principium est humanorum actuum. » (1)

---

(1) *Sum. Theol.* 1.ª, 2.ª, q. 19, art. 1.° ad 3.m

2.m Quoad rei veritatem et substantiam, idem est dicere moralitatem constitui per ordinem actus et objecti ad rationem humanam, ac dicere eam constitui per ordinem ad legem æternam. Etenim, ratio humana eatenus est principium et causa moralitatis, quatenus per legem naturalem continuatur cum lege æterna, cujus est veluti participatio, et impressio quædam rationis divinæ. Unde et D. Thomas: «Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanæ, ex qua ejus bonitas mensuretur, habet ex lege æterna, quæ est ratio divina.» (1)

3.m Ergo distinctio inter bonum et malum morale, essentialis est ac primitiva, ac proinde immutabilis, utpote fundata in ipsis rerum essentiis, quatenus dicunt ordinem ad legem æternam, quæ identificatur cum ratione divina, in qua præexistunt rerum essentiæ.

4.m Ergo solum in nostra hac theoria reddi potest sufficiens ratio distinctionis essentialis inter bonum et malum morale, ac immutabilitatis et necessitatis moralitatis quoad actus quosdam.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° adversus 3.am thesim, cum Puffendorf. Honestas et turpitudo actionis humanæ desumitur ex convenientia cum aliqua regula vel lege; sed lex involvit actum voluntatis, utpote jussio superioris: ergo.

Resp. 1.° Honestas naturalis et necessaria, sicut et turpitudo, non desumuntur ex conformitate, aut discrepantia cum lege mere positiva, quæ ex libera voluntate

(1) *Ibid.* art. 4.°

legislatorum potissimum pendet, sed ex lege æterna, quæ, ut diximus, identificatur cum ipsa ratione Dei, quatenus continet ideas archetypas rerum; atque idcirco est immutabilis et necessaria, sicut ipsa Dei essentia, quamvis quoad executionem ordinis mente divina præconcepti, a voluntate dependeat. Verbo: honestas naturalis rerum desumitur ex conformitate cum lege æterna, quatenus includit divinam rationem seu intelligentiam, continentem seu repræsentantem rerum essentias et ordinem, non quatenus includit executionem hujus ordinis, et productionem essentiarum ad extra, quod pertinet ad liberam voluntatem. Unde etiam

Resp. potest 2.° disting. maj. Honestas et turpitudo actionis humanæ desumitur ex convenientia cum aliqua regula vel lege, *æterna vel naturali*, conc. *positiva et humana*, subd. *quoad omnes actiones humanas*, neg. *quoad aliquas quæ non sunt ab intrinseco seu essentialiter bonæ vel malæ*, conc.

Objic. 2.° adversus 4.am thesim. Moralitas illorum actuum, qui dicuntur intrinsece boni vel mali, est immutabilis et necessaria: ergo constitui nequit per ordinem ad rationem humanam. Prob. cons. Ratio humana est mutabilis et contingens: ergo nequit esse principium, aut regula moralitatis necessariæ et immutabilis.

Resp. Neg. cons. Ad prob. dist. ant. Est mutabilis et contingens, *subjective*, conc. *objective*, neg. Ratio humana, ut quævis res creata, mutationi et contingentiæ est obnoxia quoad existentiam, multiplicationem actuum, et successivam perfectibilitatem; id tamen nihil obstat quominus objecta necessaria et immutabilia percipiat, ac in eis relationes similiter necessarias et immutabiles.

Inst. Saltem quoad illos actus, qui sunt boni, vel mali non intrinsece, sed ex lege positiva præcipiente vel

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

prohibente, moralitas non desumitur ex ordine ad rationem; hæc enim pro priori ad legem positivam nihil circa ipsos præscribit: ergo.

Resp. Neg. ant. Ratio enim pro priori ad legem quamlibet positivam, præscribit obediendum esse superiori legitime præcipienti, cui præscriptioni rationis et legis naturalis, innititur obligatio et moralitas, quæ insunt actibus ejusmodi a lege positiva *immediate* quidem, sed a ratione et lege naturali *mediate* præcepta, vel prohibita.

Objic. 3.° Libertas distinguitur a conformitate vel discrepantia actus et objecti cum ratione; atqui moralitas constituitur per libertatem, posita enim libertate actus, ponitur ejusdem moralitas: ergo hæc non constituitur per ordinem, etc.

Resp. Dist. min. Constituitur per libertatem *præsuppositive*, conc. *formaliter*, neg. Hoc est, libertas est conditio *sine qua non* ad moralitatem actus; minime vero ratio formalis moralitatis, cujus conceptus, a conceptu libertatis prorsus distinguitur. Imo vero, potest dari actus liber, quin sit moralis, ut contingit dum homo actum aliquem libere ponit, non advertens ejus malitiam moralem.

ARTICULUS SECUNDUS.

De speciebus et effectibus moralitatis.

«Si loquamur de actu morali, ait D. Thomas, (1) secundum suam speciem, sic non omnis actus moralis

(1) *QQ. Disp. De Malo*, q. 2.ª art. 5.°

est bonus vel malus, sed aliquis indifferens.» Ex quibus verbis inferri videtur, D. Thomam connumerare indifferentiam inter species moralitatis, quod tamen alii aliis Angelici Doctoris textibus innixi, inficiantur.

Quidquid tamen de hoc sit, pro certo haberi debet, actus morales, si prout existunt a parte rei, seu ex parte subjecti spectentur, duplicem tantum speciem moralitatis induere. Nam, vel actus qui exercetur, ordinatur ad finem rationi consentaneum, et tunc *bonitatem* moralem sibi vendicat, si ex aliis capitibus, ut ex objecto, vel circumstantiis non vitietur; vel non dirigitur ad finem honestum seu rationi consentaneum, et tunc, quamtumvis ex objecto, seu secundum speciem indifferens, ut deambulare vel loqui, *malitiam* moralem induit; actus quippe omnis moralis in individuo consideratus, eo ipso quod ex deliberatione procedit, ad finem determinatum tendit, qui finis necessario vel bonus est, vel malus. Ex dictis infertur

a) *Objectum*, prout subditum ordini morali, esse id ex quo primario et principaliter desumitur bonitas vel malitia moralis actus humani; tum quia est id quod primo respicit actus moralis, tum quia identificatur cum *fine operis;* finis autem est principium voluntatis, a qua procedunt actus deliberati, quibus solis inest moralitas.

b) *Finem* influere quoque in moralitatem actus, quatenus, præter finem operis, qui est ipsummet objectum, operans finem alium sibi potest præstituere, qui finis *operantis* et *extrinsecus*, quatenus rationi est consentaneus, vel disconveniens, moralitatem actus adauget, vel minuit.

c) *Circumstantias* similiter, quæ actum voluntatis comitantur, posse esse concausas moralitatis ejusdem, prout involvunt convenientiam, vel discrepantiam cum recta ratione et regulis morum, distinctam a confor-

mitate objecti secundum se spectati. Sunt autem circumstantiæ: *accidentia quæ afficiunt actum humanum in ordine morali spectatum*. Septem communiter assignantur verbis hisce significatæ: *Quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*, quas sigillatim exponendas theologis remittimus. Id solum adnotare velim, ipsarum quasdam novam speciem bonitatis vel malitiæ addere ei, quam actus ex objecto præhabet; alias augere; alias vero minuere bonitatem vel malitiam intra eandem speciem; unde primæ dicuntur *mutantes speciem*, secundæ *aggravantes*, postremæ *diminuentes*.

Inter effectus, seu potius consectaria moralitatis, præcipua sunt:

a) *Imputabilitas moralis*, quæ exurgit ex libertate, prout connotat objectum morale. Unde imputabilitas moralis duplex elementum involvit: 1.° libertatem; actus enim eatenus agenti imputatur, quatenus facultatem habet illum ponendi vel non ponendi; unde actiones animalium, puerorum et amentium, imputabilitati non sunt obnoxiæ: 2.° respectum vel relationem ad ordinem moralem; nam quamvis actionem quis libere eliciat, ipsi tamen *moraliter* non imputatur, nisi ejus bonitatem vel malitiam advertat explicite, vel implicite. *Moraliter*, inquam, quia leges civiles actiones quandoque imputant, præsertim quoad nocumenta reparanda, quamvis defuerit advertentia actualis bonitatis et malitiæ moralis ex parte agentis.

b) *Meritum*, quod exurgit ex actu humano vel morali, quatenus fit in obsequium alterius, cui actus ille ex peculiari contractu vel obligatione non debetur, quamvis ex officio vel obligatione generali ipsi debeatur. Hinc ad meritum naturale actionis humanæ, quoad præsentem vitam, quatuor conditiones potissimum requiruntur: 1.ª *ut actus liber sit;* actus quippe necessarii meritum excludunt: 2.ª *ut sit bonus moraliter;* quia mala demeri-

tum, non meritum respiciunt: 3.ª *ut opus fiat in obsequium alterius;* meritum enim ordinatur per se ad præmium, quod quidem a præmiante non debetur, nisi opus in ejus obsequium peractum sit; 4.ª *ut sit aliqua ratione gratuitum;* aliqua, inquam ratione, quatenus non debetur ex contractu vel obligatione speciali.

Ex quo infertur, hominem apud Deum posse quidem vere mereri, quia in actu bono peracto in obsequium Dei præfatæ conditiones reperiuntur; attamen ejusmodi meritum esse nequit secundum strictam æqualitatem justitiæ, tum quia quodcumque hominis opus Deo debetur pluribus titulis, tum quia id quo meretur, ab ipso recepit, a quo etiam prorsus dependet.

CAPUT TERTIUM.

DE CONDITIONE ET ADJUNCTIS MORALITATIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De conditione moralitatis seu libertate.

§ I.

De natura libertatis.

«In voluntate, ait D. Thomas, (1) oportet inveniri non solum quod est voluntatis, sed etiam quod est naturæ. Hoc autem est (proprium) cujuslibet naturæ creatæ, ut a Deo sit ordinata in bonum, naturaliter appetens illud. Unde et voluntati ipsi inest naturalis quidam appetitus boni, sibi naturaliter convenientis: et præter hoc, habet appetere aliquid secundum propriam determinationem et non necessitate, quod ei competit in quantum voluntas est. Sicut autem est ordo naturæ ad voluntatem, ita se habet ordo eorum quæ naturaliter vult voluntas, ad ea respectu quorum a seipsa determinatur et non ex natura. Et ideo, sicut *natura* est fundamentum *voluntа-*

(1) *QQ. Disp.* *De Verit.* quæst. 22, art. 4.°

tis, ita appetibile quod naturaliter appetitur, est aliorum appetibilium principium et fundamentum: in appetibilibus autem finis est fundamentum et principium eorum quæ sunt ad finem, cum ea quæ sunt propter finem non appetantur nisi ratione finis. Et ideo, quod voluntas de necessitate vult quasi naturali inclinatione in ipsum determinata, est finis ultimus, nempe, beatitudo: ad alia vero, non de necessitate determinatur naturali inclinatione, sed propria dispositione absque necessitate. »

Hæc aurea D. Thomæ verba, si bene perpendantur, integram nec minus profundam theoriam voluntatis humanæ continent et exprimunt. Quæ ut ab omnibus perspicue capiatur, summatim exponi potest ac evolvi hac ratione:

1.° Voluntas universim accepta, est *inclinatio rationalis ad bonum;* ac proinde bonum, quod ejus objectum constituit, quodque ipsi per rationem præstituitur et offertur, similem legem subit respectu voluntatis, sicut verum respectu rationis. Sicut ergo rationis capacitas seu vis, non *hoc* vel *illud* verum complectitur, sed vim porrigit ad *omne* verum, vel succesive, quatenus veritates omnes particulares unam post aliam attingere potest, vel simultanee, quatenus Deum, qui est veritas prima et universalis, in qua reliquæ omnes continentur, percipere potest, sic non absimiliter, voluntas vim porrigit ad universale bonum, quod proinde est ejus objectum adæquatum.

2.° Quoniam omne quod existit, eo ipso quod existit, quædam natura est, voluntas, quæ realis est entitas, duplicem sibi vendicat manifestationem seu operationem; quarum prima ipsi congruit quatenus *natura* quædam est; alia quatenus *voluntas* seu potentia libertatis est.

3.° Et quia natura, ut talis, operatur ex necessitate, voluntas vero, ut talis, operatur seipsam determinando

et ut domina sui actus, hinc exurgit in voluntate ex una parte actus quo ad bonum universale necessario fertur, si semel ei perspicue offeratur; ex alia vero, actus quo ad bona particularia et incompleta fertur, dum sibi offeruntur ut participationes boni universalis et perfecti, ad quod trahitur et inclinatur ex pondere propriæ naturæ. Unde sicut ratio *voluntatis* præsupponit rationem naturæ, quia prius est esse entitas seu natura quædam, quam *voluntas* seu natura libertate prædita, ita radix et principium appetitionis quæ ipsi congruit, quatenus est *voluntas*, est actus qui congruit voluntati quatenus natura quædam est, nempe, appetitio boni universalis seu felicitatis; quandoquidem ex appetitione boni universalis seu felicitatis, movemur ad quærenda, appetenda et eligenda bona particularia tanquam media ad adeptionem boni universalis.

4.° At vero, quia voluntas rationem consequitur ac eatenus ad particularia objecta fertur quatenus ipsi ut bona per intellectum offeruntur; et quia bona particularia eo ipso quod particularia sunt, finita et limitata, carent pluribus perfectionibus ita ut involvant quandam permixtionem boni et mali, hinc profluit, tum quod ratio ea voluntati offerre potest quandoque sub ratione boni, quandoque vero sub ratione mali, tum etiam quod voluntas cujus adæquatum ac proinde necessario trahens et alliciens objectum est bonum universale, hujuscemodi bonis particularibus supereminet, atque penitus ea dominatur, etiam dum ipsi offeruntur ab intellectu ex ea parte qua bona sunt. Unde in nobis ipsis continuo ac perspicue experimur, nos bonum universale necessario, semper ac in omnibus appetere et quærere, sed ad particularia et determinata bona, nos ipsos libere determinare, eaque sic eligere ut possimus respuere.

5.° Ergo in voluntate humana duplex distinguenda est manifestatio ejus activitatis: prima, naturalis seu

spontanea, qua ad bonum necessario fertur ex ipsa sua natura: secunda, libera, electiva seu *reflexiva*, qua seipsam applicat et determinat ad appetitionem boni, vel aversationem mali particularis libere, id est, cum actuali facultate et vi seipsam determinandi ad oppositum.

6.° Porro, cum hæc facultas seu potestas se determinandi ad actionem oppositam ei quam nunc ponit, communiter dicatur *indifferentia*, recte colligitur, indifferentiam esse de ratione libertatis humanæ, idque verum est, sive sermo sit de indifferentia *subjectiva*, sive de *objectiva*. Siquidem, ut actus sit omnino liber, opus est, ut procedat a voluntate ut *voluntas* est, et non ut *natura*, quod spectat ad indifferentiam subjectivam: præterea, opus est, ut objectum ipsi non offeratur ut omnimode bonum, sive ut continens omne et universale bonum, quod spectat ad indifferentiam objectivam.

7.° Ex dictis facile perspicitur, in quo sita sit libertas *spontaneitatis*, ac libertas *arbitrii*. Prima excludit coactionem omnem a voluntate, sive quoad actus elicitos, sive quoad imperatos; unde et libertas a *coactione* nuncupatur: at secunda, præter coactionem externam, excludit etiam determinationem necessariam ad unum actum seu modum operandi, unde et libertas a *necessitate* dici solet.

Liberum arbitrium, scribit D. Thomas, (1) habemus *respectu eorum quæ non necessario volumus, vel naturali instinctu. Natura, subdit* (2) *est determinata ad unum, sed voluntas* (ut voluntas seu ut potentia liberi arbitrii) *non est determinata ad unum: eorum igitur voluntas est principium, quæ possunt sic vel aliter esse.*

Quamvis tam coactio quam necessitas libertati ar-

---

(1) 1.ª P., q. 19, art. 1.°
(2) Ibid. q. 41, art. 2.°

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

bitrii opponantur, magnum tamen intercedit inter eas discrimen: 1.° quia necessitas voluntatis quoad aliquem actum, libertatem arbitrii quoad alios non perimit, immo vero ipsorum est fundamentum et ratio; nam quia ad bonum universale voluntas necessario fertur, ideo ad particularia non necessario, sed libere fertur, unum præ alio eligendo: 2.° quia coactio magis libertati opponitur quam necessitas; unde coactio non solum libertati, sed dignitati hominis opponitur, nec jus habet homo hominem cogendi per violentiam absolutam nisi quatenus Dei vices gerit. (1)

8.° Juxta triplicem indifferentiæ objectum, triplex

---

(1) Ad rem P. Raulica, *Filos. Christ.* cap. 13, §. 124. «Solo la filosofía cristiana, nacida del Cristianismo, ha servido de antemural en toda su plenitud, á la libertad del hombre. Segun esta filosofía, el hombre es naturalmente independiente del hombre: ningun hombre tiene el menor derecho, *como hombre*, para violentar, para forzar corporalmente á otro hombre. Si el poder doméstico tiene el derecho del castigo en el seno de la familia, solo es como revestido de la autoridad y encargado de continuar la accion de Dios *creador* para con los individuos. Si el poder político tiene el derecho de la espada en el Estado, solo es como representante del Dios *conservador* con respecto á los individuos y las familias... Porque, segun los principios de la Religion, y por consiguiente de la filosofía cristiana, todo poder legítimo procede de Dios: *omnis potestas a Deo est*, no solo porque tiene su razon de ser en Dios, sino tambien porque ejerce una accion propia de Dios. Cuando los poderes humanos ejercen, pues, la accion exterior para con el hombre, corrigiéndole, castigándole en su propio interés, ó en el interés de la sociedad doméstica, política ó religiosa, solo lo hacen en nombre de Dios, como delegados por Dios, y segun las reglas de la justicia de Dios.»

Videant qui omne *jus divinum*, in constitutione societatis inficiantur, qui *jus modernum*, ut ajunt, prædicant, qui societatem ejusque leges ex voluntate populi tanquam ex unico fonte et proprio jure derivant, quo jure ipsi supplicia, et capitis pœnam infligant homini: namque, si aliud non habent jus, nisi quod ex voluntate aliorum hominum accepere, cum homo, *ut homo*, coactionem, nec minus mortis pœnam alteri possit infligere, nec ipsæ publicæ potestates habere poterunt, si altiori ex fonte non repetant.

efflorescit libertatis partitio seu modus. Est enim libertas *contradictionis*, quæ includit indifferentiam ad agendum vel non agendum: libertas *contrarietatis*, quæ includit indifferentiam quæ circa contrarios actus quoad datum objectum versatur, ut amare vel odisse: libertas *specificationis*, quæ respicit et includit indifferentiam circa diversa, quamvis non sint contraria, ut dum eligit voluntas inter legere vel scribere. Non tamen est existimandum quod indifferentia ad libertatem necessaria, sit quasi passiva, aut perfecti *æquilibrii*, quasi opus sit voluntatem dum eligit, nullam inclinationem vel determinationem ad alterutrum ex extremis habere; sed potius in eo sita est indifferentia necessaria ad libertatem, quod voluntas ex innata vi, dominio et eminentia supra particularia bona, possit unum præ alio eligere, quin cogatur sequi inclinationem vel propensionem quæ ipsi adest, sive per rationis perceptionem, sive per passionem, sive per occultas vias et internas affectiones. (1)

9.° Actio ergo libera voluntatis, seu libertas prout talis, præsupponit et includit necessario: 1.° *cognitionem* ex parte intellectus, qua hic percipit et judicat, tum de bonitate objecti, tum de ejus respectu seu relatione cum bono universali, quod voluntas in omni actu quærit, tum de ejus proportione seu relatione cum mediis quibus obtineri potest: 2.° *exemptionem a coactione*, seu potius *spontaneitatem*, qua actus liber ex intimis voluntatis visceribus veluti proficiscitur: 3.° *indifferentiam activam*, vel contingentiam dominatricem, qua voluntas

---

(1) Ad rem Leibnitz: «Je n' admets donc l' indifference, que dans un sens qui la fait signifier autant que *contingence*, ou *non-necessité*. Mais... je n' admets point une indifference *d'equilibre*, et je ne crois pas qu'on choisisse jamais quand on est absolument indifferent. Un tel choix seroit une spèce de pur hasard.» *Essai de Theod.* part. 3.°, num. 303.

quæ ex sua ipsa natura est quædam rationalis ac idcirco universalis energia, finitis omnibus ac particularibus bonis supereminet et dominatur, nec ulli necessitati quoad ea subjicitur. Et quia actus ejus, sicut et intellectus, quædam bona *particularia* sunt, ipsis quoque dominatur penitus atque pro libito de eis disponit, nisi dum obstat necessitas objectiva hypothetica, ut dum cogitat de primis principiis, de beatitudine, vel intuetur Summum Bonum, ut beati in cælo. (1) Atque ex his jam perspicitur, liberum arbitrium sic definiri posse: *facultas activa rationalis quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere vel non agere.* Ubi notandum, prærequisita illa non esse id quod naturæ tantum ordine actionem voluntatis præcedit, ut actio Dei causas secundas ad agendum applicans.

SCHOLIUM.

Radicem libertatis quidam reponunt in indifferentia voluntatis ad objectum: alii in naturali ordinatione ad finem simul cum facultate cognoscendi: alii in agitatione quadam animi quærentis bonum appetitus satiativum. Nobis ea insidet opinio, duplicem distinguendam esse libertatis radicem, alteram mediatam, alteram immediatam et proximam. Radix mediata est perfectio ipsa

---

(1) Leibnitz, qui dum *harmoniam præstabilitam* obliviscitur, ad mentem D Augustini et D. Thomæ, ut plurimum, loquitur, nostram hanc sententiam docere videtur, dum scribit: «La liberté... consiste dans *l' intelligence*, qui enveloppe une connaissance distincte de l'objet de la délibération; dans la spontanéité, avec laquelle nous nous déterminons; et dans *la contingence*, c' est a dire, dans l' exclusion de la necessité logique ou metaphysique.» *Ibid.* núm. 288.

intellectus, sive rationis humanæ elevatio, qua omne ens attingere, atque de quocumque vero et bono judicare potest; ex quo efflorescit indifferentia judicii circa bonum et malum prout in singulis entibus spectantur, ac ex hac indifferentia judicii emanat indifferentia fundamentalis, vel *possibilitas* voluntatis ad quodcumque particulare objectum prosequendum vel respuendum. At radix immediata libertatis, in ipsa receptivitate vel amplitudine objectiva voluntatis est reponenda; quandoquidem, ideo ex particularibus bonis unum præ alio eligere potest, quia ejus adæquatum et plenum objectum est solum universale bonum, quod cum in nullo ex bonis sibi in hac vita per intellectum oblatis perspicue et vivide elucescat, a nullo eorum *necessario* trahitur, suamque independentiam activam, ac dominatricem indifferentiam quoad ea conservat; potestque proinde ex vi hujus dominii in amplitudine, elevatione et summa receptivitate objectiva originem habentis, erga quodcumque particulare bonum agere vel non agere, illudque amare vel aversari. Quæ sane theoria rationi et experientiæ consentanea apparet: etenim quia prima libertatis radix est intellectus, videmus entia omnia quæ intellectu donantur, liberam quoque habere voluntatem, ut Deus, angeli, homo. Sed quia in homine immediata radix, est receptivitas objectiva ipsius voluntatis, hæc libertate non potitur quoad actus qui respiciunt bonum universale, sive in communi spectatum et quoad specificationem, ut in vita præsenti, sive quoad exercitium et bonum universale concrete spectatum, ut in beatis Deum intuentibus.

§ II.

De existentia libertatis humanæ.

THESIS 1.ª

Homo vera gaudet libertate arbitrii, qua excluditur necessitas ad unum, et qua vere est dominus suorum actuum.

Prob. 1.° ex sensu intimo. Vera gaudet libertate arbitrii atque omnem determinationem necessariam excludit, ille qui positis omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere, agere hoc vel illud; atqui ex intimo sensu habemus nos, positis omnibus ad agendum requisitis, sæpe posse agere vel non agere, agere hoc vel illud: ergo. Et sane, si conscientiæ testimonio aliqua vis adest, certissime per ipsum mihi constat, me posse scribere vel non scribere, scribere tarde vel velociter, scribere, vel legere, vel canere, vel deambulare, ac dum unum ex istis perago, ex. gr. scribere, aliud posse assumere, ex. gr. deambulare, scripturam inceptam suspendendo. Dixi *sæpe*, quia ut jam adnotatum manet, libertas hæc non omnibus hominis actibus seu motibus congruit.

Prob. 2.° ex communi hominum sensu. Videmus enim apud omne humanum genus eam semper viguisse et vigere sententiam, hominem, nempe, a necessitate et determinatione ad unum liberum existere in propriis actibus. Cujus rei luculenta sunt signa, tum legum promulgatio quæ sensu et ratione carent, dum quædam prohibent fieri, alia præcipiunt, si homo libere non ope-

ratur; tum etiam præmiorum et pœnarum institutio, quæ absque libertate arbitrii nec concipi inter homines possunt; tum laus quæ virtuti redditur ac vituperium vitio; tum denique conscientiæ moralis stimuli, quibus constanter et diversimode urgetur homo in operando. Ergo ex communi hominum sensu, qui falli nescius est, invictissime demonstratur et constat arbitrii libertas in homine.

His adde absurda alia quæ ex libertatis negatione consequuntur: tollitur namque ratio meriti et demeriti: (1) tollitur utilitas exhortationis et consilii: tollitur ipsa deliberatio ad agendum. «Si enim, apposite scribit D. Thomas, non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum et punitio, et laus et vituperium.»

Suaderi etiam potest 3.° ratione. Potentia seu facultas necessario motu non fertur nisi ad suum objectum adæquatum quod totam ejus capacitatem expleat, quodque potentiæ commensuretur; sed adæquatum objectum voluntatis est solum bonum universale et infinitum: ergo quoad particularia et finita bona, non necessario motu, sed libero et contingenti fertur.

THESIS 2.ª

Indifferentia seu libertas contrarietatis ad bonum et malum morale ad essentiam libertatis arbitrii non spectat, sed potius ejus est nævus et imperfectio.

Prob. 1.° Quia in Deo et angelis perfecta existit ar-

---

(1) «Non enim videtur esse meritorium vel demeritorium, ait D. Thomas, quod aliquis sic ex necessitate agit quod vitare non possit.» *De Male.* q. 6, art. unic.

bitrii libertas, nec tamen indifferentiam ad malum morale habent. Nimirum, ut voluntas vere dicatur libera et domina sui actus, sufficit quod possit ponere vel non ponere actum hunc vel diversum, ex. gr. creare mundum vel non creare, conferre huic homini gratiam efficacem vel sufficientem tantum.

2.° Liberum arbitrium, cum sit ipsa voluntas, bonum respicit et ad ipsum ex se tendit. Quod si a bono deflectit, vel est propter ignorantiam, errorem aut inconsiderationem ex parte intellectus; vel propter passiones et affectus ejus motum a recto tramite detorquentes, ac proinde ex defectu aliquo sibi extraneo, et qui ipsi accidit. Itaque, sicut nostri intellectus imperfectio quædam est ac defectus, nec ad ejus essentiam pertinet, quod possit a vero deflectere, dum conclusiones ex principiis primis deducit per ratiocinium, ita similiter non ad perfectionem et essentiam sed potius ad defectum libertatis pertinet, quod voluntas, prætermisso ordine veri boni et ultimi finis, ad bona apparentia et mala moralia possit deflecti. (1)

Ast vero, quamquam potentia hæc peccandi, libertatis nec essentia nec perfectio existit, at in homine libertatem ostendit quasi a *posteriori*, dum malum morale operando nostram libertatem experimur. Nam, ut scite D. Thomas scribit, « velle malum, nec est libertas, nec pars libertatis, quamvis sit quoddam libertatis signum. »

---

(1) Unde ad rem Balmes: «La voluntad tiene una inclinacion al bien, pero al bien indeterminadamente... de aquí dimana su libertad para salirse del órden visto por Dios como conforme á sus soberanos designios: en lo cual la libertad lejos de ser una perfeccion, es un defecto, que nace de la debilidad del conocimiento del ser que la posée.» *Filos Fund.* L. 10, C. 20.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Ex ipsa libertatis definitione, voluntas eatenus libera dicitur, quatenus positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere vel non agere; sed id in voluntate dum actus suos elicit non verificatur: ergo. Prob. min. Inter ea quæ ad actum liberum prærequiruntur, unum est actualis determinatio voluntatis ad operandum, actus namque liber non existit nisi propter et per actualem voluntatis determinationem; sed dum existit hæc determinatio, voluntas jam non potest agere vel non agere: ergo.

Resp. Dist. maj. *Si sermo sit de libertate antequam actus eliciatur et de prærequisitis tempore*, conc. *si sermo sit de libertate prout exercita et de prærequisitis tantum causalitate et natura*, neg. Itaque, si libertas *in actu signato*, ut ajunt, spectetur, antequam actum ullum ponat erga objectum, ei proprissime congruit adducta definitio, quia positis omnibus ad agendum tempore requisitis, ut sunt cognitio distincta objecti, spontaneitas, indifferentia seu contingentia quoad objectum, etc. adhuc potest agere vel ab actu abstinere, ponere hunc actum vel ejus contrarium. Sed si loquamur de libertate *in actu exercito*, ut vocant, id est, de libera voluntate prout eliciente actum aliquem circa objectum, ei non congruit definitio prout jacet; quia ex hoc ipso quod per actualem sui ipsius determinationem actum elicuit et posuit, de ea dici nequit quod potest agere et non agere, nisi *in sensu diviso*, seu quatenus simul et in eodem instanti in quo actum liberum ponit et exercet, retinet simul potentiam seu facultatem ipsum abrumpendi aut suspendendi, ac ponendi contrarium. Unde ad objectionem

Responderi posset 2.° distinguendo 2.am minorem. Dum existit hæc determinatio, etc. *in sensu composito*, conc. *in sensu diviso*, neg. Cujus distinctionis sensus, ex dictis facile perspicitur, vel leviori magistri explicatione.

Objic. 2.° cum Bayle. Argumentum ex intimo sensu, quod sane præcipuum est inter ea quæ ad libertatem statuendam adduci solent, infirmum est et nutat: ergo nihil certi habemus pro libertate demonstranda. Prob. ant. Ex sensu intimo id tantum certo novimus, volitiones, nempe, et notiones in nobis esse; at nobis non testatur has volitiones et nolitiones ex determinatione libera voluntatis oriri, imo etiam nec testatur certo a principio interno procedere, namque experiremur id ipsum quod experimur, quamvis prædicti actus nobis a principio externo inessent: ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. neg. similiter antec. Ast enim vero, nemo, quod sciam, si unus Bayle excipiatur, adfirmavit unquam, conscientiæ internæ testimonium ad existentiam solam volitionum et nolitionum porrigi, minime vero ad modum seu rationem qua a voluntate originem ducunt. Profecto, dum scribo, non solum experior me velle scribere, sed intime simul persentisco hanc scribendi volitionem et scripturam ipsam ex libera determinatione meæ voluntatis procedere, ita ut dominus sim hujusmodi actionum, non solum antequam actu eliciantur, sed etiam dum existunt, eas suspendendo, et loco unius aliam exercendo. Id ipsum ex eo aperte constat, quod per intimum sensum inter actum necessarium et liberum discernere possum. Namque conscientia quæ mihi testatur me posse scribere vel non scribere, et dum scribo, ex propria determinatione libera scribere, eadem quoque testatur, me non posse abstinere ab amore beatitudinis, si semel de ea cogitem, si oculos aperiam et lux adsit, me non posse non videre parietem

ante me extantem; quæ actiones et aliæ similes, quamvis a principio seu vi interna originem ducant ac proinde spontaneæ dicantur et sint, at eas aliter ponere nequit voluntas, prout potest eas quas liberas experitur.

Instabis cum eodem. Quamvis per intimum sensum perspicue noscamus et experiamur propriam existentiam, at minime novimus nec experimur causam hujus existentiæ: ergo similiter quamvis per sensum intimum agnoscamus nos volitiones et nolitiones edere, minime ex hoc dignoscere possumus, undenam hujusmodi actus oriantur. (1)

Resp. Neg. cons. et paritatem. Certum quidem est nos per conscientiam causam et originem nostræ existentiæ non agnoscere, quippe id ad aliam facultatem, nempe, ad rationem spectat, eo vel maxime quod hujusmodi existentiæ causa extra nos ipsos existit. At non minus absurda quam illegitima est consecutio, eandem rem conscientiæ applicare respectu libertatis; quia hæc non solos actus, sed potestatem ad eos eliciendos vel non eliciendos essentialiter includit, cum libertas nec concipi possit sine hac potestate. Quibus adde aliam disparitatis rationem, nimirum: existentiæ causa extra nos et supra nos est; at voluntas, ex qua actus liber oritur, intra nos, nec supra nos ipsos existit: unde nihil certe mirum, si hæc et non prior illa ex sensu intimo nobis innotescat.

Objic. 3.° Liberum libertate arbitrii dicitur quod est in nostra potestate; sed actus necessarius voluntatis est

---

(1) «Par le sentiment clair et net que nous avons de notre existence, nous ne discernons pas, si nous existons par nous mêmes, ou si nous tenons d'un autre ce que nous sommes... Disons aussi que le sentiment clair et net que nous avons des actes de notre volonté, ne nous peut pas faire discerner, si nous nous les donnons nous mêmes, ou si nous les recevons de la même *cause* qui nous donne l'existence.» *Respons. aux Quest. d' un Prov.* C. 140.

in nostra potestate: ergo arbitrii libertas qua gaudet homo non includit indifferentiam ad agendum et non agendum, ut thesis prima supponit.

Prob. min. Illud vere dicitur et est in nostra potestate, quod facimus cum volumus; sed actus necessarius, ex. gr. amor beatitudinis, elicitur a voluntate volente: ergo.

Resp. Neg. min. Ad prob. disting. maj. Quod facimus cum volumus, *ita ut adæquata ratio cur ponatur actus potius quam non ponatur, sit electiva determinatio voluntatis*, conc. *ita ut adæquata ratio cur ponatur sit inclinatio instinctiva et ineluctabilis voluntatis*, neg. Cum ergo dicitur actum necessarium oriri a voluntate cum vult, catenus id verum est, quatenus significatur hujusmodi actum, ex. gr. amorem beatitudinis, dum de ea cogitat mens, consentaneum esse naturæ et inclinationi voluntatis, cui minime opponitur sed potius ad præfatum actum ex interna vi et sponte determinatur. At vero, si verba illa *facimus cum volumus*, sensu obvio et naturali accipiantur, tunc significant, actum illum esse liberum ac proprie in nostra potestate, quem ideo elicimus quia volumus, ita ut ratio quare existat potius quam non existat, quare existat sic et non aliter, sit propria determinatio et electio voluntatis.

Objic. 4.° Quod aliunde necessariam determinationem accipit, libere non operatur; sed voluntas, dum actus qui liberi dicuntur, elicit, aliunde necessario determinatur, nempe, ab ultimo judicio practico intellectus: ergo vera libertate non gaudet.

Pro hujus argumenti solutione præ oculis hæc habere oportet:

1.° Judicium intellectus circa bonum, aliud est *speculativum*, quo dijudicatur objectum esse bonum vel malum in seipso; aliud *practicum*, quo intellectus judicat et intus asserit, objectum prout præsentibus subest

circumstantiis, a voluntate esse eligendum vel respuendum.

2.° Duplex existit philosophorum sententia circa nexum qui intercedit inter electionem voluntatis et judicium practicum intellectus. Existimant aliqui, voluntatem omnino dependere ab ultimo judicio practico intellectus, ita ut ex hoc judicio semper determinetur voluntas ad actualem electionem voluntatis. Opinantur alii, actum voluntatis nexum necessarium minime includere cum quolibet practico judicio intellectus, ita ut voluntas possit ex innata vi eligere contrarium ejus quod sibi per quodcumque intellectus judicium offertur. Quæ posterior opinio nobis magis arridet, non solum quia conditioni voluntatis liberæ magis consona videtur, sed præsertim quia respondet sensus intimi phænomenis: experimur siquidem, posito seu prælucente quolibet judicio intellectus circa bonum particulare et finitum, posse nos actum judicio intellectus consentaneum cohibere, vel etiam contrarium quandoque eligere. Itaque, si hæc sententia ut verior habeatur,

Responderi potest negando minorem argumenti. Quandoquidem in hac sententia, falso affirmatur actualem voluntatis electionem, necessario determinari a judicio practico intellectus. Quod ad me attinet, existimo, electionem actualem voluntatis determinari quidem a judicio practico intellectus, *ut plurimum*, et *contingenter*, sed minime determinari, *semper aut necessario*. (1)

---

(1) Leibnitz, cujus sane theoria *rationis sufficientis*, sicut et optimismi, cum hac sententia non facile conciliatur, in eam tamen, non satis sibi constans, descendere videtur, dum ait: «Quelque perception qu'on ait du bien, l' effort d' agir après le jugement, qui fait à mon avis ' *essence de la volonté*, en est distingué... C' est ce qui fait que nôtre âme à tant de moyens de resister à la verité qu'elle connait, et qu'il y à un si grand trajet de l' esprit au cœur... Ainsi la liaison entre le jugement et la volonté n' est par si nécessaire qu'on pourrait penser.» *Essais de Theod.* part. 3.ª, num. 311.

Quod si quis priorem tueatur sententiam, ad objectionem respondere poterit negando cons. Nam apud hujus opinionis patronos, quamvis voluntas in eligendo, ultimum judicium practicum intellectus semper et necessario sequatur, libera tamen existit et perseverat electio, quia illud judicium potestati voluntatis subjicitur, quatenus hæc libere potest intellectum applicare et movere ad hæc potius quam alia motiva in objecto proposito pensanda atque ponderanda.

Objic. 5.° adversus secundam prob. Etiamsi homo libertate arbitrii non gauderet, adhuc foret utilis pænarum et præmiorum institutio per legem proposita: ergo. Prob. ant. Ex institutione pænæ homo illam aversans et timens, vehementiori conatu ferretur ad legem adimplendam. Quod ipsum confirmatur ex brutis animantibus, quæ verberibus ab homine plectuntur, ut a quibusdam actionibus abstineant, quantumvis libertate careant.

Resp. Omisso ant. neg. cons. Etenim, etiam dato utilitatem aliquam homini necessario operanti advenire posse ex institutione præmii et pænæ, id minime elidit aut infirmat vim probationis adductæ; siquidem, robur præfati argumenti in eo situm est, quod ex hominum communi sensu, leges ideo pænis et præmiis sanciuntur, quia homo potestatem habet eamdem adimplendi vel infringendi.

Quod attinet animantia bruta, ea si verberibus cæduntur, idcirco id perficitur, ut ex phantasmate doloris vividius sensui et imaginationi impresso, quod cum actione vel ejus objecto jungitur, a consimili actione vel objecto in posterum deterreantur.

Objic. 6.° Angeli et Deus sunt perfectiores homine; sed non inest eis indifferentia ad sic vel aliter agendum sed ad agendum uno modo determinati sunt: ergo libertas spontaneitatem tantum involvit, nec indifferentiam et potestatem ad plura et opposita requirit.

Resp. Dist. min. Non inest eis indifferentia *physica* ad sic vel aliter agendum, etc. neg. *moralis*, conc. Porro, jam ostensum est, potentiam peccandi seu discedendi ab ordine morali, ad rationem vel essentiam libertatis non spectare, sed potius eam minuere et imperfectam reddere. (1) Itaque, quamvis in angelis et in Deo minime sit indifferentia et potestas ad peccandum, at reperitur indifferentia ad opposita, ex. gr. ad creandum vel non creandum, sine qua vera libertas existere nequit, etiamsi ex interna vi et perfecta spontaneitate actus oriatur. (2)

---

(1) Unde merito D. Augustinus: « Prima ergo libertas voluntatis erat posse non peccare; novissima erit multo major, non posse peccare.» *De Corr. et Gra.* c. 33.

(2) Jansenistis igitur manus porrigit Cousin, atque a philosophia, a ratione et fide aberrat, dum libertatem per meram spontaneitatem explicat, ut non raro peragit: «Un être est encore appelé libre, lorsque le principe de ses actes est in lui même, et non dans un autre être... Spontanés ou volontaires, tous les actes personnels ont cela de commun, qu'ils se rapportent immédiatement à une cause qui à son point de départ uniquement en elle-même, c'est-à-dire, qu'ils sont libres: telle est la notion propre de la liberté.» *Fragm. phil.* t. 1.ª, pag. 68 et sqq.

Quam libertatis ideam ad divina transferens, docet Dei libertatem in agendo, in spontaneitate tantum positam esse, ipsumque dum ad unum ex oppositis se determinavit, ex. gr. ad creandum mundum potius quam non creandum, seipsum non determinasse ex arbitrio voluntatis, imo nec cum conscientia facultatis eligendi seu se determinandi ad oppositum. « La nature (*Dei*) toute puissante, toute juste, toute sage, s'est developpée avec cette spontaneité qui contient la liberté toute entière.» « Il faut dont, addit, admettre que quand' il à pris le parti contraire, il à agi librement sans doute mais non arbitrairement, et avec la conscience d'avoir pu choisir l'autre parti. *Ibid.* p. 26, 27. (Vide *Estudios sobre la Filos*, etc. lib. 6.° cap. 4.°)

ARTICULUS SECUNDUS.

De adjunctis quæ voluntarium et libertatem vel tollunt vel minuunt.

Prænotanda:

1.° Voluntarium in genere aceptum definitur: *Quod procedit a principio intrinseco cum cognitione finis*. Quod si hæc cognitio sit perfecta, ita ut cognoscatur ratio formalis finis, et proportio seu relatio mediorum cum fine, constituit *voluntarium perfectum*, quod in solis agentibus intellectualibus reperitur. Si vero solum percipiatur res, quæ est finis tanquam bona, quin cognoscatur ejusdem ratio propria, nec relatio mediorum cum fine, prout contingit in brutis, erit voluntarium *imperfectum*, quod etiam spontaneum dici potest. Dividitur præterea voluntarium.

2.° *In necessarium et liberum*; quorum primum regulatur judicio ad unum determinato; ex quo exurgit voluntatis determinatio ad unam speciem actus, ut dum amamus beatitudinem: alterum est, quod regulatur judicio indifferenti rationis, et includit potentiam ad oppositum.

3.° *In voluntarium formale, et virtuale.* Voluntarium formale, quod etiam dicitur voluntarium *in se*, dicitur illud quod in se ipso ac directe intenditur, elicitur, aut imperatur a voluntate. Virtuale vero est quod intenditur a voluntate, vel in sua causa, vel in aliqua re in qua implicite continetur. Sic, qui intendit ebrietatem, intendit verba in ebrietate prolata, et qui iter aggreditur, intendit pervenire ad terminum, dum actu ambulat, quamvis

de illo termino non cogitet. Hinc appellari etiam solet *voluntarium in causa*, aut etiam implicitum. Notandum hic quod ut voluntarium in causa agenti moraliter imputetur, requiritur: 1.° ut effectus fuerit prævisus, aut debuerit prævideri: 2.° ut causa potuerit auferri: 3.° ut obligationem quis habeat eam tollendi; quarum si quælibet deficiat, deficit imputabilitas moralis.

4.° *In voluntarium positivum, et negativum.* Primum est, quod perficitur eliciendo actum determinatum voluntatis. Alterum est, quod non perficitur per positionem, sed per omissionem actus determinati voluntatis, in his circumstantiis in quibus potest et debet poni. A D. Thoma appellari solent, voluntarium *directum*, et *indirectum*.

Quibus jam prælibatis,

Adjuncta quæ libertatem tollere, aut minuere possunt, quatuor enumerantur: *violentia*, *metus*, *ignorantia*, *concupiscentia*.

1.° *Violentia.*

Cum sermo hic sit de violentia proprie dicta, quæ etiam *physica* et *absoluta* quandoque nuncupari solet, ea tunc locum habet, quando agens exercet actum, ad quem compellitur vi externa, cui totis viribus resistit, ut si me nolente moveri, quis me invitum, corpore, et viribus renitentem pertrahat aut vi compellat. Ex qua notione facile infertur: 1.° violentiam inferri posse actibus imperatis, quia hi exercentur per potentias et membra corporea, quæ viribus externis subjiciuntur: 2.° actus *elicitos* voluntatis, eos, nimirum, qui sola voluntate exercentur, ac in ea consummantur, non esse obnoxios violentiæ: quamtumvis tormenta, et vis mihi inferantur, *velle*, et *nolle* hoc, vel illud, semper remanet in mea potestate, nec violentia quævis externa ad interiora voluntatis pertingere potest.

2.° *Metus.*

Gravis, vel cadens in constantem virum, duas exqui-

rit conditiones: 1.ª ut malum quod timetur sit grave, saltem habito respectu ad personam timentem: 2.ª ut probabiliter immineat. Voluntarium liberum non penitus tollit, nisi forte per accidens, quatenus rationem nimis perturbando ejusdem usum impedit; imminuit tamen; unde, ut plurimum, in his quæ sunt mala quia prohibita, a peccato excusat.

Dicitur autem libertatem non tollere, quia ea quæ fiunt ex metu, voluntas deliberando eligit, cum facultate absoluta ad oppositum, ut patet in vulgari exemplo mercatoris projicientis merces in mare ex metu naufragii: quippe mercator libere eligit projectionem mercium ut sibi hic et nunc convenientem, idque cum potentia ad oppositum; quandoquidem potest, si velit, a projectione abstinere. Atque hac ratione quæ fiunt ex metu, dicuntur voluntaria *simpliciter*, sed involuntaria *secundum quid*, quatenus agens, in aliis circumstantiis positus, id quod nunc eligit, non eligeret.

3.° *Ignorantia.*

Alia est *antecedens*, alia *concomitans*, alia *consequens* actum voluntatis. Prima dicitur quæ antecedit actum voluntatis, et est causa volendi aliquid, quod non fieret, si ignorantia circa illud non adesset.

Secunda est quæ antecedit quidem actum voluntarium, non tamen est causa volendi aliquid quod non fieret si ignorantia non adesset; quia agens eandem ipsam actionem eliceret, etiamsi ignorantia non adesset. Utriusque natura et discrimen, apparent in vulgato exemplo hominis, qui, positis diligentiis debitis, occidit amicum, putans occidere belluam, vel inimicum occidit, quem similiter occidisset, etiamsi ignorantiam rei non habuisset. In primo, habetur ignorantia antecedens; in altero, concomitans: utraque est invincibilis, quia in utraque adhibentur diligentiæ moraliter sufficientes ad ignorantiam vitandam. Differunt tamen: 1.° quia ante-

cedens est causa ponendi actum voluntatis, quia hic sine illa non poneretur: concomitans nequit dici causa ponendi illum actum, quia etiam poneretur, si ignorantia illa non esset. 2.° Antecedens perimit libertatem; quia tollit cognitionem actus, et præterea actus est contra inclinationem voluntatis: concomitans nec tollit, nec facit voluntarium liberum; quia quamvis tollat cognitionem actus, vel potius circumstantiæ actus, qui ponitur, hic tamen actus non est contra inclinationem voluntatis; unde solum facit actum esse involuntarium negative, non positive. 3.° Omnis ignorantia antecedens est ignorantia invincibilis, non tamen é converso; quia ignorantia concomitans est invincibilis quin sit antecedens.

Ignorantia consequens ea est, quæ ab ipsa voluntate est volita, sive directe ac in se, ut cum quis eligit aliquid ignorare, ut absque remorsu operetur; sive indirecte et in causa, ut cum quis negligit addiscere ea ad quæ tenetur, quorum ignorantia postea est causa efficiendi aliquid, quod non fieret, si scientia circa illud adesset. Ignorantia hæc, si sit directe volita, non tollit voluntarium liberum, nec proinde malitiam moralem actionis, nec etiam minuit, ut plurimum: si vero indirecte solum sit volita, voluntarium liberum non tollit; cum actus ex hac ignorantia procedens, libere eligatur in ipsa ejus causa; minuit tamen libertatem, et malitiam moralem, quatenus supponitur, quod actus, qui exercetur ex tali ignorantia, non exerceretur hic et nunc, si scientia vel cognitio ejus malitiæ adesset.

4.° *Concupiscentia.*

Hoc nomine comprehenduntur omnes passiones seu affectiones sensitivi appetitus, quæ possunt vel antecedere, vel consequi actum voluntatis. Dum antecedunt, voluntarium absolute sumptum augent, quatenus augent inclinationem agentis ad datum objectum; sed minuunt voluntarium liberum, quatenus rationis usum

et judicium, magis aut minus perturbant. Dum vero concupiscentia vel passio actum voluntatis consequitur, si consequatur ex simplici *redundantia*, voluntarium liberum, simulque bonitatem et malitiam, nec auget, nec minuit, sed est tantum signum majoris aut minoris intensitatis ex parte voluntatis. Si vero consequatur ex *electione*, tunc auget, vel potius multiplicat voluntarium, ejusque bonitatem et malitiam, quatenus, præter malitiam actui voluntatis respondentem, est etiam malitia motus passionis ab ipsa voluntate excitatæ ex intentione augendi intensitatem proprii motus erga objectum.

Atque pro hujus rei pleniori intelligentia, præ oculis habere oportet, quod sicut superior cognoscendi facultas seu intellectus, in actum non prodit, quin ipsum comitetur actio facultatis sentiendi ac præsertim phantasiæ, ita etiam dum superior appetendi vis seu voluntas in bonum fertur, exurgunt simul in appetitu sensitivo motus seu actus actibus voluntatis respondentes; unde adfirmari potest, vires appetendi in homine subjici pro suo modo, eidem legi asociationis et concomitantiæ, quæ inter intellectum et sensum observatur. Ast hujusmodi appetitus inferioris motus vel passiones, duplicem habent respectum ad voluntatem, si ex parte originis spectentur: quandoquidem ad eam se habere possunt, et antecedenter, et consequenter. «*Antecedenter* quidem, ait D. Thomas, (1) secundum quod passio appetitus sensitivi trahit vel inclinat rationem vel voluntatem: *consequenter* autem, secundum quod motus superiorum virium, si sunt vehementes, redundant in inferiores; non enim potest voluntas intense moveri in aliquid, quin excitetur aliqua passio in appetitu sensitivo.» Porro hæc passionis excitatio vo-

(1) 1. P. q. 77, art. 6.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

luntatem consequens, originem ducit vel ex sola et simplici *redundantia* naturali, quatenus vehementia ipsa voluntatis motus in appetitu inferiori excitat; vel ex *electione* voluntatis, quatenus hæc deliberate eligit et conatur excitare passionem, quæ ejus actui vel affectui præsenti respondeat. Sic, si quis deliberata voluntate inimicum odio habet, passio *iræ* exurgere potest, vel per simplicem *redundantiam* seu naturalem influxum appetitus superioris in inferiorem; vel per *electionem*, quatenus quis ex intentione augendi odium voluntate conceptum, vehementiorem iram excitare curat, injuriam sibi illatam semel atque iterum cogitando et ponderando.

ARTICULUS TERTIUS.

De adjunctis quæ conditionem moralitatis, seu libertatem interius roborant.

Inter ea quæ liberæ voluntati, prout est conditio moralitatis, adjunguntur, ejus vires roborando, est aliquid quod ab ipsa voluntate oritur, nempe, virtutes morales: est etiam aliquid quod ab externo agente advenit, nempe, adjutorium vel gratia Dei, de qua postea. Nunc de virtute morali brevi oratione disseremus. Itaque:

Quæres 1.° *Quænam sit virtutis moralis notio.*

Resp. 1.° Nomine virtutis moralis intelligitur facilitas quædam potentiæ ad perficiendum bonum morale, sive ad recte agendum circa determinatam materiam, quæ quidem facilitas ex frequentatione actuum bonorum oritur et firmatur. Unde,

2.° Non incongrue definitur a D. Augustino: *bona*

qualitas mentis, qua recte vivitur, et qua nullus male utitur. Dicitur *bona qualitas*, quatenus includit inclinationem habitualem potentiæ ad bonum; unde magis proprie diceretur bonus *habitus*, qui est genus magis proximum quam qualitas respectu virtutis moralis. Additur *mentis*, ad exprimendum virtutem inhærere alicui potentiæ rationali, sive ea sit rationalis interne et ex propria natura, ut intellectus, et voluntas; sive imperfecte et per participationem, ut appetitus sensitivus. Reliquæ particulæ exprimunt atque significant, proprium effectum virtutis esse actionem bonam in ordine morali, et virtutem, qua talem, semper esse principium boni moralis: quod tamen nihil obstat quominus possit esse materia vel objectum mali actus, ut dum quis de ea superbit, vel eam contemnit.

Ex hac notione colligitur, virtutem esse et dici causam actus boni, quatenus roborat, perficit, ac complet potentiam, a qua egreditur actus moralis.

Quæres 2.° *Undenam oriantur et generentur virtutes morales.*

Resp. Virtus moralis *quoad inchoationem*, oritur ex natura ipsa hominis: quoad *consummationem* et perfectionem, ex frequentatione actuum moralium.

Ratio prioris partis est, quia homini per naturam insunt quasi quædam principia et semina virtutum: 1.° *ex parte intellectus*, tum quatenus apprehendere et dijudicare potest bonum rationi consentaneum, tum quatenus per synderesim possidet prima principia moralia, tum quatenus per legem naturalem ipsi insitam, participat et agnoscit legem æternam, quæ est fundamentum et ratio ordinis moralis: 2.° *ex parte voluntatis*, quæ ex propria conditione et natura, est inclinatio ad bonum rationale seu honestum, quod est ipsum objectum et materia moralis virtutis: 3.° *ex parte sensitivi appetitus*, sive affectionum sensibilium, quatenus ex varia dispositione aut

qualitatibus corporis, aliqui sunt dispositi, vel melius, vel pejus ad quasdam virtutes, ut habet D. Thomas, et experientia confirmat, cum videamus homines, ex ipsa corporis complexione et temperamento, ad quasdam virtutes aut vitia proclives. Præ oculis tamen habeatur discrimen inter inchoationem sensibilem, et rationalem; hæc enim respicit omnes virtutes morales, sed ea quæ oritur ex sensibilitate, ut plurimum, non omnes, sed quasdam virtutes respicit.

Altera pars constat: virtus enim, utpote habitus operativus, seu perficiens potentiam in ordine ad operationem, generatur, perficitur, ac completur ex iterato actuum similium exercitio.

Quæres 3.° *Quodnam sit subjectum virtutis moralis.*

Resp. Subjectum *remotum* est homo; virtus enim est habitus operativus, actiones vero sunt suppositorum, juxta effatum philosophicum. Subjectum proximum vel *immediatum*, sunt *intellectus*, *voluntas*, *et appetitus sensitivus*. Enimvero, postremus hic, quamvis non sit rationalis per essentiam aut immediate et perfecte, ut intellectus et voluntas, est tamen rationalis per *participationem*, ut ajunt, et capax virtutis, quatenus subjicitur directioni et deliberationi rationis et voluntatis; idque non subjectione absoluta et completa, ut membra corporis, sed relativa et imperfecta, cum vim habeat deviandi a ratione ac resistendi voluntati: hæc quippe duæ potentiæ corpori dominantur *principatu despotico*, ut ajebant Scholastici, sed appetitui sensitivo *principatu politico*.

Quæres 4.° *Quotuplex sit virtus moralis.*

Resp. Quadruplex merito assignatur, juxta quatuor potentias quæ bono morali perfici queunt, simulque bonum aut malum morale agere, sive ex se profundere possunt. Nempe,

a) *Prudentia*, quæ in intellectu practico residet. Ejus

munus est rationem rectificare, ita ut bene se habeat circa bonum quatenus eligendum, vel malum quatenus aversandum et fugiendum. Tres præcipue actus assignantur ipsi a D. Thoma, quorum «primus est, *consiliari*, quod pertinet ad inventionem: secundus, *judicare de inventis*: tertius, *præcipere*. Et quia iste actus est propinquior fini rationis practicæ, inde est quod iste actus est principalis actus rationis practicæ, et per consequens prudentiæ.» (1) Quæ D. Thomæ verba significant ad prudentiam pertinere: 1.° investigare et quærere bona agenti possibilia et consentanea, simulque media agnoscere, quibus obtineri possunt: 2.° recte judicare, seu sensate discernere circa bona et media, ad quorum adsecutionem vires debeat intendere: 3.° præcipere sibi ipsi et aliis applicationem virium et mediorum. Atque hic postremus actus, utpote proximior objecto prudentiæ, quod est *recta operatio*, dicitur præcipuus actus ejusdem.

b) *Justitia*, cujus propria sedes est voluntas, ac definiri potest: *Habitus voluntatem inclinans ad jus suum tribuendum unicuique perpetuo et constanter;* quæ non differt quoad substantiam a definitione illa Jurisperitorum: *constans et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuens.*

Alia est *commutativa*, qua unus homo alteri jus suum tribuit: alia *distributiva*, qua communitas, vel qui illi præest, æqualitatem servat ad membra, ipsis distribuendo bona communia juxta proportionem meritorum: alia *legalis*, qua singuli cives jus suum Reipublicæ tribuunt, eidem officia debita impendendo.

c) *Temperantia*, cujus immediatum subjectum est appetitus concupiscibilis, cujus passiones moderatur atque

---

(1) *Sum. Theol.*, 2.ª 2.æ q. 47, art. 8.°

rationi subjicit. Unde definiri potest: *Habitus qui appetitum concupiscibilem rectificat circa voluptates sensibiles.*

d) *Fortitudo* denique, quæ in appetitu irascibili immediate subjectatur, et cujus proprium munus est hominis animum firmare adversus mala quælibet sensibilia, ita ut propter illa a bono rationis et virtutis non recedat. Unde non immerito a D. Augustino definitur: *Animæ affectio qua omnia incommoda et damna in nostra potestate constitutarum rerum contemnimus.* Hinc duo actus præcipue eidem assignantur: primus, *aggredi* pericula seu mala imminentia: secundus, *sustinere*; quorum prior, majorem quidem splendorem et gloriam apud homines obtinet, ast posterior majorem difficultatem præ se fert, præstantiorem virtutem in animo arguit, majusque præmium apud Deum et homines recte judicantes meretur.

Rationem porro partitionis præfatæ virtutis moralis in enumeratas quatuor virtutes cardinales, aptissime declarat redditque D. Thomas, verbis hisce: «Principium enim, inquit, (1) formale virtutis, de qua nunc loquimur, (nempe, virtutis ordinis naturalis quæ viribus naturæ acquiri potest) est rationis bonum; (bonum rectæ rationi consentaneum) quod quidem dupliciter potest considerari. Uno modo, secundum quod in ipsa consideratione rationis consistit; et sic erit una virtus principalis, quæ dicitur *prudentia*. Alio modo, secundum quod circa aliquid ponitur rationis ordo; et hoc vel circa operationes, (circa actiones externas quæ alterum respiciunt, ut furtum, vulneratio, cultus, reverentia, etc.) et sic est *justitia*; vel circa passiones, et sic necesse est esse duas virtutes. Ordinem enim rationis necesse est ponere circa passiones, considerata repugnantia ipsarum ad rationem,

---

(1) *Sum. Theol.*, 1.ª 2.æ quæst. 61, ari 2.°

quæ quidem potest esse dupliciter: uno modo, secundum quod passio impellit ad aliquid contrarium rationi; et sic necesse est, quod passio reprimatur, et ab hoc denominatur *temperantia:* alio modo, secundum quod passio retrahit ab eo, quod ratio dictat, sicut timor periculorum vel laborum; et sic necesse est quod homo firmetur in eo quod est rationis, ne recedat, et ab hoc denominatur *fortitudo.*»

Ex hucusque expositis circa virtutes morales colligere licet sequentia

Corollaria:

1.m Prudentia, justitia, temperantia et fortitudo, virtutes *cardinales* dicuntur, propter «principalitatem materiæ, inquit D. Thomas, (1) puta quod prudentia dicatur, quæ præceptiva est; justitia, quæ est circa actiones debitas inter æquales; temperantia, quæ reprimit concupiscentias delectationum tactus; fortitudo, quæ firmat contra pericula mortis.» Sed præterea, *cardinales* quoque appellantur, quatenus sunt veluti radix, ratio et fundamentum aliarum virtutum moralium, quæ ad cardinales revocantur, tanquam earumdem manifestationes, species, modi vel partes. Unde et D. Thomas: «Virtus aliqua dicitur cardinalis quasi principalis, quia super eam aliæ virtutes firmantur.» (2)

2.m Si præfatæ virtutes cardinales invicem conferantur, prudentia præstantiam quandam et principatum super reliquas sibi vendicat. Objectum namque virtutis moralis est bonum rationi consentaneum, quod agnoscere et dijudicare spectat ad rationem, quam prudentia perficit. Quapropter jure merito D. Thomas: «Causa et radix humani boni est ratio; et ideo prudentia, quæ per-

(1) *Ibid*, art. 3.°
(2) *QQ. Disp.æ De Virt.*, art. 12.

ficit rationem, præfertur in bonitate aliis virtutibus moralibus perficientibus vim appetitivam.» (1)

3.m Quod si tres reliquæ inter se conferantur, primum locum justitia, secundum fortitudo, tertium temperantia sibi vendicant. Namque, ut bene habet D. Thomas, (2) «in virtutibus perficientibus vim appetitivam, tanto est una altera melior, quanto magis ad rationem accedit; unde et justitia, quæ est in voluntate, præfertur aliis virtutibus moralibus, et fortitudo, quæ est in irascibili præfertur temperantiæ, quæ est in concupiscibili.»

4.m Justitia eo ipso quod versatur circa actiones vel operationes quæ ad alterum referuntur, tamquam proprium sibi vendicat constituere et respicere *medium rei*, ut scilicet, tantum alteri reddatur quantum ipsi debetur. Contra vero, aliæ virtutes morales respiciunt et constituunt *medium rationis*, quatenus ipsarum proprium munus est actiones et passiones moderari et exercere, habito respectu ad conditionem et circumstantias subjecti operantis.

5.m Sed vero, quamvis omnes justitiæ species *medium rei* respiciant, at non eodem prorsus modo. Siquidem, commutativa justitia respicit medium rei secundum *proportionem arithmeticam*, sive, quod in idem recidit, secundum æqualem quantitatis excessum: sic qui decem aureos ab alio abstulit, totidem ei reddere tenetur ex vi et conditione justitiæ commutativæ. Ast justitia distributiva *medium rei* secundum *proportionem geometricam* solum respicit. Verbo: in justitia commutativa attenditur æqualitas rei ad rem secundum se, ita ut qui decem accipit, decem restituat: sed in distributiva, attenditur potius proportio rerum ad personas, ita ut præmia vel

---

(1) *Sum. Theol.*, 1.ª 2.æ quæst. 66, art. 4.°
(2) *Ibid.*

pœnæ distribuantur, habita ratione meritorum vel demeritorum ex parte personæ.

6.m Non immerito docet D. Thomas virtutes morales, si in statu perfecto spectentur, invicem connexas existere, ita ut una earum nequeat possideri in ratione habitus perfecti absque cæteris. Cujus rei ratio est, quod prudentia, sine qua virtus moralis perfecta consistere nequit, et a qua proinde aliæ virtutes morales dependent, etiam ipsa vicissim ab iis pendet, quatenus præsupponit atque exigit appetitum rectificatum circa bona appetibilia; quod equidem proprium munus est reliquarum virtutum moralium.

ARTICULUS QUARTUS.

De necessitate auxilii divini, vel gratiæ.

Virtutes morales, de quibus in superiori articulo, hominis quidem vires ad bonum morale perficiendum, augere et firmare, satis constat; eas tamen insufficientes esse, imo acquiri, et perdurare non posse, nisi adjungatur auxilium aliquod præpotentis Dei, ratio et experientia non obscure ostendunt. Nam 1.° demonstratum est supra, hominis ultimum finem, ac supremam perfectionem moralem, esse ipsum Deum: ex quo sua sponte consequitur, viam quæ hominem ad beatitudinem, ac supremam perfectionem ducit in ordine morali, esse amorem Dei super omnia, et adimpletionem omnium præceptorum, quæ lege, vel naturali, vel humana, continentur. Paucis verbis: hominis perfecta moralitas exigit, tum ut omnes actiones ad Deum tamquam ultimum finem referat, tum ut juxta rectæ rationis præscriptum,

universaliter et constanter agat, ita ut nullum peccatum grave committat: atqui nemo sanæ mentis dixerit, hominem sibi relictum, hæc omnia constanter perficere posse; quandoquidem ratio et experientia ostendunt, ipsum tot, ac tam gravibus difficultatibus, periculis, et propensionibus ad malum circumveniri et premi, ut fere impossibile sit, eum ex omnibus simul illæsum evadere, cunctas semper vincere, et nunquam ad peccatum declinare: ergo ratio et experientia, si non demonstrant, ast certe satis aperte innuunt, hominem divino auxilio indigere ad bonum morale constanter perficiendum, ita ut ad Deum ultimum finem, et supremam perfectionem tendere ac pervenire possit.

2.° Actiones morales, utpote deliberatæ, ex ratione et voluntate originem ducunt. Jam vero, hominis rationem obscuritati et ignorantiæ nimium esse obnoxiam ¿quis nescit? Quod vero attinet ad voluntatem, ea non solum mutabilitati, fragilitati, ac summæ infirmitati est obnoxia, prout experientia nimis testatur, sed quod pejus est, experimur eam abripi, nescio qua proclivitate in malum et vetitum, ut merito Ovidius scripserit: *quod licet, ingratum est, quod non licet, acrius urit.* Igitur, si non omnimoda imposibilitas, ast certe maxima adest difficultas in eo quod homo ejusmodi defectibus obnoxius, constanter nihilominus bene operetur, nisi Deus ipsi subveniat potentissima sua vi et misericordia.

3.° Ut experientia nimium luculenter ostendit, homo multiplicibus passionibus agitatur, quæ non raro vehementissime urgent, tenebras et caliginem rationi offundunt, intellectum obnubilant, animum concutiunt, voluntatem denique alliciunt vehementer, atque veluti vi quadam ad sensibilia pertrahunt, abripiunt, convertunt. Exinde pugna illa interna, conflictus inter partem superiorem et inferiorem, certamen inter desideria carnis et desideria spiritus, queis homo veluti in seipso discerpi-

tur, de quibus Apostolus conqueritur, et de quibus ipsimet Paganismi poetæ et philosophi testimonium perhibent. (1) Igitur nisi Dei auxilium adsit, hominis voluntatem manutenentis et firmantis, nequit hæc bonum morale constanter perficere, inter ejusmodi fluctus, quibus vehementius exagitatur, quæ cum homine nascente enascuntur, cum eodem crescente crescunt, ipsumque ad mortem usque comitantur.

4.° Ejusmodi porro vulnera nunc exposita, quibus homo afficitur, non obscure innuunt, ac verosimiliter persuadent, vires quibus nunc potitur homo ad bonum morale perficiendum, deficere ab eis, quæ ipsi ex naturæ conditione, seu in statu naturæ puræ competunt; ac proinde humanam naturam collapsam existere, et moraliter sauciatam. Ex hoc vero naturæ lapsu et corruptione, queis ratio et experientia suffragantur, sponte fluit necessitas auxilii supra naturam hominis positi, quo ejus vires restituantur ac reparentur.

Corollaria:

1.m Ergo quamvis homo, dum ab ordine morali recedit per peccatum, libere agat, possitque, absolute loquendo, non peccare, ac proinde potentiam *physicam* habeat ad perficiendum bonum morale, impotentiæ tamen *morali* subjicitur ob multiplices et gravissimas difficultates, quibus ad ejusmodi bonum constanter peragendum præpeditur.

2.m Ergo dum D. Thomas docet hominem, pro præsenti naturæ conditione, indigere gratia, sive auxilio

---

(1) Notum est illud Ovidii: « Sed trahit invitam nova vis, aliudque cupido=Mens aliud suadet: video meliora, proboque=Deteriora sequor.» *Metam.* lib. 1.°, v. 20.

Quïn et Seneca. «Premit cupido turpis, et vinci vetat=Et inter istas mentis obsessæ faces=Fessus quidem, et dejectus, et pessundatus=Pudor rebellat. Fluctibus variis agor.» *Agamen.* act. 2.°, scæ. 1.ª, v. 132.

speciali divino, ad vitandum peccatum atque ad implenda præcepta legis naturalis, ejus doctrina apprime concordat cum eo quod ratio simul et experientia nos edocent, circa infirmitatem naturæ et virium ejus ad bonum morale perficiendum.

3.m Ergo dogmata catholica, tam circa gratiam, quam circa lapsum et corruptionem naturæ humanæ, maxime consentanea existunt eis, quæ naturalis ratio, et experientia simul docent et innuunt. Quod quidem adeo verum est, ut etiam apud ethnicos populos et scriptores, non obscura appareant vestigia horum dogmatum. (1) Igitur immerito rationalistæ, dogmata ejusmodi veluti rationi adversantia habent et rejiciunt. Imo vero, qui dogma peccati originalis, vel ignorant, vel rejiciunt, in absurdas sententias abire coguntur : quippe videmus eos vel hypothesim Manichæorum amplectere, vel metempsychosi adhærere, vel fatalismum profiteri, aut ad scepticismum, et indifferentismum confugere, ut nostri rationalistæ.

4.m Ergo etiam secluso præcepto divino, homini incumbit necessitas et obligatio orandi ex ipsa conditione naturæ, et virium ejus. Nam eo ipso quod insufficientia morali laborat, nec sine Dei auxilio bonum morale ordinis naturalis potest integre perficere, indiget profecto auxilium hocce a Deo expetere et deprecari.

---

(1) Et quidem, quoad lapsum primævum naturæ, satis constat ex poetarum fabulis, et populorum traditionibus de re hac. Sed, quod magis mirum, non desunt philosophi qui adstruant necessitatem auxilii divini ad bonum morale perficiendum. Quos inter Plato, dialogo *Men. seu de Virt.* sic finem imponit : « Si autem nos in omni hac disputatione recte perscrutati sumus, virtus utique, nec doctrina, nec natura nobis aderit, verum divina sorte.» Et Seneca : «Bonus vir sine Deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adjutus exurgere?» *Epist. ad Luci.*

SCHOLIUM.

Præ oculis habere oportet, quod gratia præfata quam revelatio ostendit atque edicit, natura vero et facta naturalia satis aperte innuunt, ut nunc vidimus, præ se fert dilectionem specialem ex parte Dei, cujus ope et influxu homo ad ordinem supernaturalem elevatus, vires speciales roburque supernaturale et divinum accipit ad operandum seipsumque perficiendum ultra bona et vires naturæ humanæ in se et ex se spectata. Quocirca mente recolere oportet pulchram D. Thomæ doctrinam, quæ verbis hisce continetur: «Est differentia attendenda circa gratiam Dei et gratiam hominis. Quia enim bonum creaturæ provenit ex voluntate divina, ideo ex dilectione Dei qua vult creaturæ bonum, profluit aliquod bonum in creatura. Voluntas autem hominis movetur ex bono præexistente in rebus; et inde est quod dilectio hominis non causat totaliter rei bonitatem, sed præsupponit vel in parte, vel in toto. Patet igitur quod quamlibet Dei dilectionem sequitur aliquod bonum in creatura causatum, quandoque tamen dilectioni æternæ coæternum. Et secundum hujusmodi boni differentiam differens consideratur dilectio Dei ad creaturam. Una quidem communis, secundum quam diligit omnia quæ sunt, ut dicitur Sap. 11.°, secundum quam esse naturale rebus creatis largitur. Alia dilectio est specialis, secundum quam trahit creaturam rationalem supra conditionem naturæ ad participationem divini boni, et secundum hanc dilectionem dicitur aliquem diligere simpliciter; quia secundum hanc dilectionem vult Deus simpliciter creaturæ bonum æternum, quod est ipse. Sic igitur per hoc

quod dicitur homo gratiam Dei habere, significatur quiddam supernaturale in homine a Deo proveniens.» (1)

CAPUT QUARTUM.

DE REGULIS MORUM.

ARTICULUS PRIMUS.

De regula proxima morum, seu conscientia,

«Regula voluntatis humanæ est duplex, inquit D. Thomas; (2) una propinqua, et homogenea, scilicet, humana ratio; alia vero est prima regula, scilicet, lex æterna, quæ est quasi ratio Dei.» Itaque ratio humana quatenus est participatio et impressio quædam legis æternæ, et quatenus continet legem naturalem, quæ ab æterna derivatur, aptitudinem et vim obtinet ad regulandas actiones humanas in ordine morali, idque duplici capite: 1.° quatenus vim obtinet agnoscendi et discernendi bonum et malum morale: 2.° quatenus ejusmodi notitiam singulis actionibus applicans, practice judicat de ipsarum bonitate et malitia. Porro, ratio humana, prout postremum hocce munus præstat, est ipsamet

Conscientia, quæ proinde nihil est aliud quam *judicium intellectus practici circa bonitatem vel malitiam ac-*

---

(1) *Sum. Theol.*, 1.ª, 2.æ quæst. 110, art. 1.°

(2) *Sum. Theol.*, q. 71, art. 6.°

tionis, vel omissionis humanæ, prout in singulari existunt. Quæ definitio conscientiam complectitur, non solum quatenus respicit actiones, vel omissiones hic et nunc exercendas, sed etiam quatenus respicit actiones vel omissiones præteritas, quarum bonitatem vel malitiam testatur. Qua sane in re deficiunt, ut plurimum, conscientiæ definitiones, quæ communiter circumferuntur.

Actus conscientiæ moralis quatuor assignantur: 1.° *Testificari* circa bonitatem vel malitiam actionis vel omissionis præteritæ.

2.° *Obligare* ad aliquid hic et nunc faciendum, vel omittendum.

3.° *Lætificare* interius (*excusare*, ajunt vulgo, sed minus proprie, ut mihi videtur; excusare enim vel remotionem, vel diminutionem mali proprie significat) propter bonum peractum, vel malum omissum.

4.° *Remordere* propter malum actum vel bonum omissum. Duo postremi actus potius sunt modificationes aut manifestationes primi; quapropter in rei veritate, conscientiæ actus ad duos priores possunt revocari.

Conscientiæ partitionem et varios status theologis describenda relinquentes, quidpiam adjiciemus de vi obligandi, quæ eidem inest.

Itaque, eatenus vim obligandi sibi vendicat, quatenus est dictamen, seu actus quidam rationis, ad quam spectat bonum et malum morale agnoscere et discernere. Ast vero, humana ratio eatenus agnoscit et dijudicat bonum et malum morale, quatenus est participatio et impressio rationis divinæ, in qua continetur lex æterna, quam homo cognoscit, non quidam perfecte, nec prout est in se ipsa, hoc enim proprium est Dei, et beatorum qui Dei essentiam intuentur, sed in suis effectibus, vel ut aptissime habet D. Thomas, *secundum aliquam ejus irradiationem*, quæ quidem maxime elucet in primis illis veritatibus moralibus, quæ synderesi ac naturali

lege continentur, secundum quas homo de moralitate actionum judicare potest. Ergo fundamentum, radix, ac prima ratio sufficiens conscientiæ, prout continet vim obligandi in ordine morali, est lex æterna. Enimvero, cognitio tam ordinis moralis quam primorum principiorum, ex quorum applicatione dictamen conscientiæ obligantis exurgit, a lege æterna derivatur, cujus est effectus et participatio. « Omnis enim cognitio veritatis, ait D. Thomas, (1) est quædam irradiatio et participatio legis æternæ, quæ est veritas incommutabilis: veritatem omnes aliqualiter cognoscunt, ad minus quantum ad principia communia legis naturalis. »

Ex hac porro doctrina circa legem æternam, inferre licet, merito eumdem D. Thomam docere, leges omnes humanas a lege æterna derivari. Cum enim ejusmodi leges, legis naturam et conditiones obtineant, quatenus cum recta ratione conveniunt, si ratio humana est participatio legis æternæ, et vis obligandi per conscientiam ipsi inest ex lege æterna, consequitur plane, leges humanas vim originariam accipere a lege æterna, cum qua communicant, et a qua procedunt media ratione hominis. Jure igitur scribit D. Thomas: « omnes leges, in quantum participant de ratione recta, in tantum derivantur a lege æterna. » (2)

Ergo sive lex æterna dicatur cum D. Thoma: *Ratio divinæ sapientiæ, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum creaturarum:* sive cum D. Augustino: *Ratio et voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans:* habenda est tamquam prima ratio sufficiens, primaque origo, et mensura vis obligandi, quæ

---

(1) *Sum. Theol.* 1.ª, 2.ª, q. 93. art. 2.°
(2) *Ibid.* art. 3.°

tum rationi, tum conscientiæ, tum legibus humanis, inest in ordine morali.

ARTICULUS SECUNDUS.

De lege naturali.

§ I.

De lege naturali in genere.

In lege naturali universim accepta considerare et vestigare oportet, naturam, existentiam, præcepta, et proprietates. Itaque

1.° *Natura.*

Ut cum D. Thoma exordiamur, (1) «lex naturalis nihil est aliud quam participatio legis æternæ in rationali creatura.» Nimirum: lex æterna quæ, ut supra diximus, est directiva omnium actuum et motionum, ad omnes creaturas suum influxum porrigit, et ab omnibus proinde participatur; sed ab unaquaque, secundum conditionem propriæ naturæ. Unde creaturæ inferiores, quæ intellectu et voluntate carent, legem æternam participant, quasi *necessario*, et *passive* tantum, quatenus ab ipsa lege æterna præstituuntur eis fines congrui propriæ naturæ, simulque actiones et motus, quibus ejusmodi fines adsequuntur ex instinctu et necessitate, absque propria di-

(1) *Loc. cit.* q. 91, art. 2.°

rectione, aut facultate ad oppositum. Sed vero homo, ut pote ratione et voluntate præditus, legem æternam participat altiori modo, seu ut scite habet D. Thomas, *intellectualiter* et *rationaliter*, cognoscendo finem et media, quæ ipsi per legem æternam præscribuntur, cum facultate et vi seipsum libere determinandi et movendi ad ejusmodi fines et media.

Ex quo plane consequitur: 1.° legem naturalem esse ipsam legem æternam, prout respicit hominem, cui communicatur et imprimitur per lumen, et in lumine rationis, quæ est *impressio divini luminis in nobis*, apud D. Thomam, et *refulgentia divinæ claritatis in anima:* 2.° legem naturalem non distingui reali distinctione a lumine rationis, sed esse ipsam rationem prout connotat legem æternam, a qua derivatur vis obligandi, quæ inest ipsi rationi, quatenus continet et possidet præcepta legis naturalis, quibus hominis ratio perficitur et fœcundatur in ordine morali.

2.° *Existentia.*

Ex notione exposita legis naturalis, sponte profluit ac necessario infertur ejusdem existentia. Etenim, si lex naturalis nihil est aliud quam participatio legis æternæ in rationali creatura, cum indubium sit existere legem æternam, seu rationem divinam, dirigentem et gubernantem omnia creata, indubium similiter erit, existere legem naturalem, qua continetur et exprimitur ratio seu ordo directionis et gubernationis Dei quoad hominem. Deinde, lex naturalis, ex dictis, identificatur quoad rem cum ipsa ratione hominis: ergo nemo ejus existentiam inficiari potest, nisi rationis existentiam simul inficietur.

Demum, conscientia seu sensus intimus, legis naturalis existentiam aperte testatur, dum testimonium, cuique perhibet, se et cognoscere ordinem moralem, et discernere inter bonum et malum, ope quarundam veritatum moralium, quæ ex terminis innotescunt: ac imme-

diata et ineluctabili evidentia refulgent. Quivis enim homo sui compos evidenter agnoscit, bonum esse faciendum et malum vitandum, malum esse injuriam pro beneficio rependere, cætera hujusmodi.

3.° *Præcepta.*

Divisio præceptorum legis naturalis ex duplici capite potest desumi: 1.° ex *parte cognitionis*, vel cognoscibilitatis: 2.° *ex parte materiæ* vel objecti. Ex parte cognitionis, legis naturalis præcepta quædam sunt *primaria*, ea, scilicet, principia moralia, quæ ex perceptione terminorum, ac ex immediata evidentia innotescunt: quædam dicuntur *secundaria*, et sunt illa, quæ ex præfatis primis principiis moralibus, facili ac brevi ratiocinio derivantur aut deducuntur tamquam conclusiones eisdem proximæ: alia demum denominari possunt *tertiaria*, quatenus nexum legitimum et necessarium habent cum primis præceptis seu principiis moralibus, ita tamen ut hic nexus nonnisi longiori ac difficiliori ratiocinio detegi possit.

Ex parte materiæ tria quoque præceptorum genera complectitur lex naturalis, juxta triplicem inclinationem naturalem, quæ homini inest. Quam divisionem, ejusque fundamentum sic exponit D. Thomas (1): «Secundum ordinem inclinationum naturalium, est ordo præceptorum legis naturæ. Inest enim *primo* inclinatio homini ad bonum secundum naturam in qua communicat cum omnibus substantiis; prout, scilicet, quælibet substantia appetit conservationem sui esse secundum suam naturam; (naturali et necessario appetitu) et secundum hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea per quæ vita hominis conservatur et contrarium impeditur. *Secundo*, inest homini inclinatio ad aliqua magis specia-

(1) *Loc. cit.*, q. 94, art. 2.°

lia secundum naturam, in qua communicat cum cæteris animalibus; et secundum hoc dicuntur ea esse de lege naturali, quæ natura omnia animalia docuit, ut est commixtio maris et fæminæ, et educatio liberorum, et similia. *Tertio modo* inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam rationis, quæ est sibi propria; sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc quod veritatem cognoscat de Deo, et ad hoc quod in societate vivat; et secundum hoc ad legem naturalem pertinent ea quæ ad hujusmodi inclinationem spectant; utpote quod homo ignorantiam vitet, quod alios non offendat cum quibus debet conversari, et cætera hujusmodi quæ ad hoc spectant.» Itaque ex *parte materiæ*, lex naturalis continet: 1.° præcepta quæ respiciunt hominem, quatenus est *substantia:* 2.° præcepta quæ respiciunt hominem, quatenus est *animal:* 3.° præcepta quæ respiciunt hominem, quatenus est *homo*, sive ratione speciei.

Ex hac porro legis naturalis divisione colligitur, eam aliqua ex parte discriminari, tum a conscientia, tum a synderesi. A *conscientia* differt tamquam regula et mensura a re mensurata et regulata. A *synderesi*, quia hæc, utpote habitus primorum principiorum moralium, solum continet *primaria* præcepta legis naturalis, quæ sunt ipsamet prima principia moralia; ast lex naturalis continet præterea præcepta secundaria et tertiaria.

4.° *Proprietates.*

Legis naturalis proprietates seu attributa, ex tradita notione ejusdem facile dignoscuntur. Nam si lex naturalis identificatur cum lumine rationis, quatenus est participatio legis æternæ, consequitur plane eam: 1.° *esse universalem*, quatenus cunctis hominibus per ipsam rationem interius promulgatur, cunctosque adstringit ad servanda ipsius præcepta: 3.° *esse per se notam* ratione evidentiæ immediatæ, qua refulget: 4.° *esse necessariam, et immutabilem objective*, quatenus ejus materia et ob-

jectum, sunt bonitas et malitia intrinsecæ rerum, nec proinde mutationi subsunt.

Quoniam vero unitas, evidentia, et immutabilitas legis naturalis, non uno sensu possunt accipi, ac variis opinationibus occasionem præbuere, sit

§ II.

De unitate, evidentia, et immutabilitate legis naturalis.

Quamvis indubium sit legem naturalem, universim acceptam prout cum ratione identificatur, esse unam apud omnes, disputatur tamen utrum una quoque dici possit ratione alicujus præcepti primarii respectu aliorum, quodnamque illud sit. Similiter dubitari etiam potest, utrum evidentia vel notitia legis naturalis, ejusdemque immutabilitas, ad omnia ipsius præcepta porrigatur. Quo circa sit

THESIS 1.ª

Lex naturalis continet præceptum aliquod primarium respectu aliorum, illudque merito assignatur: Bonum est faciendum, et malum vitandum vel fugiendum.

Prob. 1.ª pars. Sic se habent præcepta legis naturalis respectu ordinis moralis, sicut prima principia speculativa respectu ordinis speculativi, seu pure intellectualis; lex enim naturalis continet synderesim, ut supra diximus, quæ est habitus primorum principiorum moralium, sicut *intelligentia* est habitus primorum principiorum speculativi ordinis: atqui in isto ordine existit aliquod principium, nempe, principium contradictionis, quod

cæteris naturæ et cognitionis ordine antecellit, et ad quod reliqua principia directe vel indirecte reducuntur, ut in Ontologia manet demonstratum: ergo etiam in ordine morali oportet esse aliquod principium, quod sit primarium et fundamentale respectu aliorum ejusdem ordinis.

Prob. altera pars. Ideo principium contradictionis est primum et fundamentale respectu aliorum in ordine speculativo, quia continet et exprimit relationem inter ens, et non ens; vel aliis verbis, quia ejus proprium elementum est notio vel conceptio entis, quæ est absolute prima ordine naturæ et cognitionis in nostro intellectu, quippe omnes aliæ ideæ præsupponunt ideam entis, cujus sunt quasi determinationes: ergo eadem ratione illud principium erit primum et fundamentale respectu aliorum in ordine morali, quod contineat tamquam elementa notiones primas et universalissimas quoad ordinem moralem. Subsumo: atqui notiones boni et mali, sunt primæ, universalissimæ et fundamentales respectu ordinis moralis; siquidem totus moralis ordo innititur notioni et distinctioni essentiali et primitivæ inter bonum, et malum, et veritates etiam, actiones, leges, institutiones, etc. eatenus denominantur *morales*, quatenus dicunt ordinem vel relationem ad bonum, et malum morale: ergo primum principium ordinis moralis, ac proinde primum præceptum legis naturalis est illud: *bonum est faciendum, et malum fugiendum*, utpote innixum notionibus fundamentalibus, seu prima conceptione intellectus spectante ad ordinem moralem.

Hæc porro demonstratio haberi potest veluti commentarium, sive evolutio horum verborum D. Thomæ: «Sicut ens est primum quod cadit in apprehensione simpliciter; ita bonum est primum quod cadit in apprehensione practicæ rationis, quæ ordinatur ad opus. Omne enim agens, agit propter finem, qui habet ratio-

nem boni. Et ideo, primum principium in ratione practica est quod fundatur supra rationem boni. Hoc est enim primum præceptum legis, quod bonum est faciendum et prosequendum, et malum vitandum; et super hoc fundantur omnia alia præcepta legis naturæ.» (1)

Prob. 2.° ex eo quod præfatum præceptum continet quodammodo rationem sufficientem quoad nos aliorum, ipsum vero nullum aliud superius, aut prius respicit, sed immediate exurgit ex notione boni et mali. Hinc si quæratur, ex. c. cur parentes sint honorandi, non inepte respondebimus: quia bonum est *faciendum*; sed si ulterius quæratur: quare bonum sit faciendum, ultro progredi non possumus, nec aliam rationem possumus assignare, nisi ipsam rationem boni moralis evidentia immediata apud rationem refulgentem.

Habetur ergo hic criterium tutum ad dijudicandas et explodendas sententias, in quas philosophi, præsertim heterodoxi et rationalistæ, abierunt. Sive enim quis dicat cum Hobbes, primum legis naturalis præceptum esse quærere pacem, et belli auxilia dum non habentur; sive cum Thomasio constituatur in quærendis rebus «quæ vitam humanam reddunt maxime diuturnam et fælicissimam;» quæ quidem sententia epicureo potius quam christiano philosopho digna videtur: sive quis adhæreat Kant, qui ipsum reponit in actione subjectiva voluntatis talis conditionis, ut pro generali norma agendi deservire possit: sive cum Damiron constituatur in evolutione completa omnium facultatum animæ: sive cum Petro Leroux reponatur in procurando et fovendo progressu continuo humani generis, cum quo consentiunt quoad rem pantheistæ omnes, sive ecclectici, sive transcendentales: sive demum in quavis alia re consti-

(1) *Loc. cit.*

tuatur, falsitatis convincuntur ejusmodi sententiæ, omissis etiam aliis ipsarum incommodis: 1.° quia ut primarium statuunt præceptum non innixum notionibus primariis et fundamentalibus ordinis moralis, sed notionibus, quæ supponunt notionem boni et mali: 2.° quia assignant tanquam primarium præceptum rem aliquam, de qua ratio reddi potest per illud a nobis constitutum, ut intuenti facile patebit. (1)

THESIS 2.ª

Nequit dari ignorantia invincibilis legis naturalis quoad primaria præcepta in homine rationis compote: dari tamen potest quoad secundaria in circumstantiis extraordinariis: ast quoad præcepta quæ tertiaria appellavi, potest utique dari etiam in circumstantiis ordinariis.

Prima pars fere per se nota est. Nam si lex naturalis, ut supra ostendimus, identificatur cum ratione, impossibile profecto erit hominem sui compotem, sive qui ratione utatur, legem naturalem non agnoscere, saltem quoad primaria præcepta, quæ nihil aliud sunt quam ipsa prima principia moralia. Unde sicut nemo ratione utens potest ignorare prima principia speculativa, ita nec primaria præcepta legis naturalis.

Prob. 2.ª pars. 1.° Secundaria precepta legis naturalis sunt conclusiones, quæ ex primariis facili ratiocinio deduci queunt; atque fieri potest ut ejusmodi præcepta invincibiliter ignorentur in certis rerum adjunctis. Et re quidem vera, supponamus hominem in tribu incivili et penitus barbara vitam agentem; supponamus præterea

(1) Recentiores quidam insistentes vestigiis Kant, cui cordi fuisse videtur novas et peregrinas loquendi formulas in philosophiam invehere, id quod veteres Scholastici appellabant *primum præceptum* legis naturæ, nuncupare solent *imperativum cathegoricum*.

in ea tribu furtum vel simplicem fornicationem communiter haberi ut licita, quamtumvis id oriatur ex ignorantia vincibili, quoad majorem partem illorum hominum; quæ sane hypothesis nihil absurdi continet, cum ex historicis documentis constet ejusmodi actiones, aliasque pejores ut licitas habitas fuisse apud populos minime incultos. (1) Adjiciamus simul, hunc hominem hebetioris esse ingenii, et constanter ab infantia vidisse omnes secum degentes, prædictas actiones perficere absque ullo remorsus, nec improbationis signo. Quod ad me attinet, existimo possibile, immo et valde probabile esse, hominem in hisce circumstantiis constitutum, non ad breve modo, sed ad longum tempus versari posse in ignorantia invincibili circa malitiam harum actionum, quamvis fortasse non ad integram vitam, si hæc ad plures annos protrahatur.

2.° In ipsis populis cultioribus non raro observantur homines rudioris adeo ingenii, ut neque facillima ratiocinia perficere queant, veritatem ex veritate deducendo, fereque nihil mente habeant aut retineant, nisi prima principia, et quædam facta singularia. Ergo a fortiori simile quid contingere potest quoad veritates morales, quarum cognitio non modo ex hebetudine ingenii, sed ex passionum influxu præpeditur. Queis adde, quod passionum malitiam, præsertim dum vehementiores non sunt, earumque influxum quoad intellectum et voluntatem agnoscere, non est hominis hebetioris ingenii.

---

(1) Si fides Sexto Empirico, sodomia ut licita habebatur apud Germanos et Thebanos. Testantur historici, apud Persas licita habita fuisse matrimonia inter matrem et filium. Ciliciæ et Spartæ incolæ, furtum ut licitum, imo ut bonum habebant. ¿Quid quod non pauci philosophi has et similes actiones, licitas prædicabant? ¿Quid quod ipsemet Plato communitatem uxorum approbavit, et licitam habuit?

Quoad tertiam partem, thesis probatione non indiget. Nemo enim dixerit homines rudiores et imperitos, invincibiliter ignorare non posse conclusiones et veritates morales, quæ ex primis principiis non nisi longiori et difficiliori ratiocinio deducuntur. Præterea: inter ipsos sapientes et peritos homines, videre licet dissidia de re hac, quibusdam ajentibus, aliis denegantibus, hanc, vel illam rem ad jus naturæ spectare. Quod si apud sapientes invincibiliter ignorari hæc possunt, potiori jure continget in insipientibus.

THESIS 3.ª

Lex naturalis gaudet immutabilitate non solum absoluta, sed etiam omnimoda, seu quoad omnia præcepta.

Prænotanda:

1.° Ut certum supponimus, legem naturalem mutari aut deficere non posse per cessationem finis, ad eum modum quo lex vetus defecit; cum enim ejus finis sit ipse homo, non nisi cum eo deficere potest, idque quoad *actualem existentiam*; nam quoad possibilem, et fundamentum, non nisi cum Deo deficere posset.

2.° Indubium similiter est legem naturalem mutari posse mutatione ea valde impropria, quæ dicitur per *additionem*, quatenus eidem, scilicet, leges aliæ positivæ a Deo, vel homine superaddi possunt.

3.° Mutatio *formalis* legis tunc locum habet, quando manente objecto legis, hæc desinit seu deficit obligare, sive id fiat: 1.° per *abrogationem*, dum legislator legem a se latam rescindit: 2.° per *derogationem*, dum legislator aliquam ejus partem tollit, vel rescindit: 3.° per *dispensationem*, dum manente lege, datur facultas alicui eam non observandi. Mutatio *materialis* tunc habet locum, quando materia, quæ sub circumstantia A erat objectum legis, desinit esse hujus objectum, quatenus transfertur

ad circumstantiam B. Sic pecunia furto ablata et retenta contra voluntatem rationabilem domini, cadit sub præcepto naturali restitutionis; sed si eadem a domino legitimo mihi donetur, jam non est objectum præfati præcepti.

Quæstio procedit de mutabilitate formali, non materiali, quæ revera, si quid sapio, nihil commune habet cum mutabilitate legis, a qua vel longissime distat et discriminatur.

Prob. Lex naturalis continet et exprimit relationes essentiales rerum; ordo enim moralis constituitur et exurgit in homine, quatenus ex propria essentia Deum tanquam finem et ultimam perfectionem respicit, et quatenus rationis lumen est participatio legis æternæ, cum qua proinde necessario connectitur: sed relationes essentiales rerum mutari nequeunt nec ab ipso Deo, cum essentiæ rerum sint absolute immutabiles: ergo lex naturalis absoluta gaudet immutabilitate. Maj. constat, tum *a priori*, ex notione legis naturalis superius tradita, ex qua consequitur immutabilitatem legis naturalis non modo esse absolutam, sed rationem sufficientem habere in immutabilitate legis æternæ, cujus est participatio, et cum qua identificatur in homine: tum *a posteriori*, ex hominum communi sensu et interna experientia, quibus edocemur, ea quæ lege naturali præcipiuntur, a nobis concipi ut bona antecedenter ad ipsam legem, hoc est, ut radicaliter ac ex propria natura, rectæ rationi, constitutioni naturæ humanæ, et ipsis perfectionibus seu attributis divinis necessario consentanea; quæ vero ab eadem prohibentur, ut blasfemia, perjurium, sodomia, etc., ut radicaliter, ex essentia, ac proinde antecedenter ad legem, formaliter qua prohibentem, mala, turpia, rectæ rationi, constitutioni naturæ humanæ, ac ipsis Dei attributis contraria, ita ut si per impossibile *bona* redderentur, Deus seipsum negaret, et constitutio na-

turæ humanæ simul cum primis notionibus rationis penitus subverterentur.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° adversus hanc thesim. Juxta legem naturalem bona erant communia; sed nunc eadem bona subjiciuntur proprietati, quæ habetur ut legitima et justa: ergo.

Resp. Dist. maj. Juxta legem naturalem *positive præcipientem*, neg. *negative se habentem*, conc. Bonorum communitas negativo tantum modo ad legem naturalem spectat, quatenus ejusmodi lex nihil statuit aut præcipit circa divisionem et proprietatem eorum, sicut nec etiam prohibet.

Inst. Ergo dominium proprietatis non pertinet ad legem naturæ, ac proinde qui eum furto vel violentia perturbat, non peccat contra legem naturalem.

Resp. Dist. cons. Non pertinet ad legem naturæ *directe et immediate*, trans. *indirecte* et *mediate*, neg. Quamvis lex naturalis nec præcipiat, nec prohibeat bona hæc possideri ab homine isto, vel illo, atque sub hoc respectu dominium proprietatis non pertineat ad legem naturæ; ast eadem lex præcipit ut jus alterius non lædatur, nec injuria proximo fiat; ac proinde ex hypothesi quod alter bona legitimo titulo possideat, perturbare ejus possessionem vel violenter auferre, adversatur legi naturali.

Objic. 2.° Nobilior est Dei potentia et auctoritas legislativa, quam hominis; sed hic potest leges a se latas mutare per abrogationem et dispensationem: ergo etiam Deus.

Resp. Dist. cons. *Quoad leges positivas*, quæ ex libera ejus voluntate vim obligandi obtinent, conc. *quoad legem*

naturalem, neg. Sicut enim legem æternam nequit abrogare, quia alias seipsum destrueret et negaret, ita nec legem naturalem, quæ est communicatio legis æternæ rationali creaturæ.

Objic. 3.° et simul inst. Potestas humana derogare potest legem naturalem: ergo potiori jure Deus. Prob. ant. Lex naturalis prohibet retinere rem invito domino; sed ex jure præscriptionis potest quis licite retinere rem alienam invito domino: ergo.

Resp Neg. ant. Ad prob. dist. Invito domino *rationabiliter*, conc. *si dominus sit invitus irrationabiliter*, neg. Falsum est legem naturalem prohibere absolute retinere rem alienam, vel potius, quæ fuit aliena, sed solum prohibet in hypothesi quod ex causa rationabili et justa dominus sit invitus. Porro, qui fuit dominus rei ab alio nunc jure præscriptionis possessæ, absque rationali causa est invitus, sed potius tenetur cedere juri suo ob bonum commune, quod bono particulari debet præferri, et cui ipse tenetur impendere hocce officium, sicut et alia. Atque ex hoc fonte originem ducit, meo judicio, potestas reipublicæ ad ferendas leges circa præscriptionem rerum.

Objic. 4.° Saltem immutabilitas legis naturalis non est dicenda omnimoda, seu quoad omnia præcepta: ergo. Ant. prob. ratione et verbis D. Thomæ: «Quantum ad prima principia legis naturæ, lex naturæ est omnino immutabilis; quantum autem ad secunda præcepta, quæ diximus esse quasi quasdam proprias conclusiones propinquas primis principiis, sic lex naturalis potest mutari et in aliquo particulari, et in paucioribus propter aliquas speciales causas impedientes observantiam talium præceptorum.» (1)

Resp. Neg. ant. Ad prob. dist. Potest mutari *mutatio-*

---

(1) *Loc. cit.* art. 3.°

ne formali, seu ex parte ipsius legis naturalis, neg. *mutatione materiali*, sive ex parte circumstantiarum. conc. Sunt quædam præcepta legis naturæ, quorum significatio vel expressio vulgaris est incompleta et inadæquata, quia solum exprimunt casus, qui frequentiores existunt, et non exprimunt casus vel circumstantias minus frequentes. Sic ex. c. præceptum hoc: *Depositum est reddendum domino suo*, est incompletum et inadæquatum quoad expressionem et significationem; lex enim naturæ non præcipit quod depositum reddatur *semper* domino, sed cum *jure* seu legitime deposcit. Unde præceptum complete et adæquate sumptum sic exprimendum esset: *Depositum est reddendum domino, nisi hic repetat in perniciem sui vel alterius*. Itaque, quando D. Thomas docet præcepta secundaria mutari posse *in aliquo particulari, et in paucioribus*, accipiendum est sensu nunc exposito, hoc est, quoad præcepta illa, quorum integra comprehensio inadæquate exprimitur, non vero quod lex ipsa vel ejus præcepta revera mutentur: etenim non minus spectat ad legem naturæ non *reddere depositum* in perniciem sui, vel alterius, quam *reddere* illud domino. Unde hic, et in similibus, non adest mutatio legis, sed circumstantiarum, quibus subest materia et objectum legis.

SCHOLIUM.

Quia legis proprium est constabiliri et firmari sanctione aliqua, oportet quod legi naturali sua constet sanctio, quo nomine significatur: *constitutio præmii et pœnæ a legislatore, pro iis qui legem servaverint*, vel *violaverint*. Jam, lex naturalis duplici sanctione sancitur, quarum una est *proxima et inadæquata*, et respondet vitæ præsenti, nempe: *pax conscientiæ*, aut satisfactio moralis

pro his qui servant; *remorsus* vero et internus cruciatus pro his qui frangunt legem naturalem. Altera *remota et adæquata*, utpote respondens vitæ futuræ, nempe: *possessio Dei*, sive assecutio ultimi finis pro his qui servant, *et separatio a Deo*, sive amissio ultimi finis pro his qui legem naturalem transgrediuntur. Atque hæc duplex sanctio legis naturalis apprime respondet ejusdem notioni a nobis traditæ; siquidem quatenus existit et recipitur in homine singulari tanquam in proprio subjecto, ei respondet sanctio per conscientiæ personalis pacem, vel remorsum; quatenus vero est participatio legis æternæ in Deo existentis, ipsi respondet sanctio per consecutionem, vel amissionem Dei.

ARTICULUS TERTIUS.

De lege humana.

Quoniam actiones humanæ non solum ex conscientia, ex lege æterna, et naturali regulantur, sed ex lege quoque humana potestate constituta, quæ ad eam spectant, per summa capita delibabimus. Itaque,

Quæres 1.° *Quid sit lex humana.*

Resp. Definiri potest: *ordinatio rationis humanæ legi naturali consentanea, a potestate legitima constituta et promulgata in ordine ad bonum commune societatis.* Dicitur *ordinatio rationis*, quia lex debet esse opus et fœtus rationis; tum quia ad rationem spectat dijudicare ejus justitiam, necessitatem, et utilitatem; tum quia imponitur subditis ratione utentibus, et ex ratione obedientibus. Additur, *legi naturali consentanea*, quia derivari debet a lege naturali saltem *negative*, hoc est, nihil præ-

cipiendo aut prohibendo, quod repugnet legi naturæ. Dicitur *a potestate legitima*, quia vim obligandi non habet, nisi originem ducat ab eo, vel ab eis, quibus jus ferendi leges competit. Additur *constituta*, quia lex, præter actum rationis, includit etiam actum voluntatis, quo legislator vult legem a subditis observari. Ex hac legis humanæ notione infertur: 1.° omnes eas definitiones, quæ legis humanæ originem et constitutionem explicant per voluntatem, sive hæc sit unius hominis, sive plurium, rejiciendas esse ut minus exactas, erroneas, et despotismo ac tyrannidi faventes.

Infertur 2.° legem humanam ex quadruplici capite posse esse injustam seu irrationabilem: 1.° *ex parte materiæ*, si contineat aliquid, quod adversetur legi naturali, vel etiam legi divinæ, cum potestas et lex Dei, potestatem et legem humanam excedat: 2.° *quoad formam*, ut dum onera et honores, inæqualiter, et non juxta vires et merita distribuuntur: 3.° *quoad finem*, ut si legislator leges ferat propriæ utilitati vel commodo unice inservientes, non vero utilitati communitatis: 4.° *quoad auctorem*, ut si lex feratur, vel ab eo qui legitimam potestatem non obtinet, aut de rebus ad quas ipsius leges ferendi potestas non extenditur.

Quæres 2.° *Utrum leges humanæ sint necessariæ.*

Resp. Affirmative; idque ex triplici potissimum capite: 1.° Quia lex naturalis præcepta quædam indeterminate tantum et sub quadam universalitate continet, nec descendit ad præscribenda omnia, quæ homini, præsertim in societate degenti, accommodantur, sed determinanda reliquit per legem humanam pro conditione societatis, personarum, loci, temporis, culturæ, etc. 2.° Quia præcepta quædam legis naturalis, utpote remotiora a primis principiis, facile ignorantur a multitudine; unde opus est, ut eidem per legem humanam innotescant. 3.° Quia expedit maxime, ut præcepta ipsa legis naturalis omnibus

nota, pæna temporali per legem humanam sanciantur et firmentur; quandoquidem sanctio legi naturali propria, insufficiens est ad homines protervos, vitiis et passionibus deditos coercendos, qui præscriptiones legis naturalis circa furtum, adulterium, homicidium, etc., non servarent, nisi ulterius temporalibus pænis sancirentur, ut experientia comprobatur. Ex quibus

Infertur 1.° legem humanam duplici ratione derivari posse a lege naturali: 1.° Per *modum illationis*, dum lex humana continet aliquid quod necessarium nexum obtinet cum primis præceptis legis naturalis, ex quibus legitime infertur tanquam conclusio ex principiis. 2.° Per *modum determinationis*, quatenus lex humana determinat et applicat, id quod lex naturalis in communi tantum, et indeterminate præscribit: «Sicut lex naturæ, inquit D. Thomas, (1) habet quod ille qui peccat puniatur; sed quod tali pœna, vel tali puniatur, hoc est determinatio quædam legis naturæ.» Quæ postremo modo derivantur ex lege naturali, vim obligandi obtinent ex sola lege humana; quæ vero priori modo, præter hanc vim, obtinent quoque vigorem ex lege naturali.

Infertur 2.° materiam propriam legis humanæ non desumi aut regulari præcise ex majori malitia actionis in seipsa; major est enim malitia moralis odii in Deum, vel adulterii, quam fraudis in contractu vel commercio, sed potius respicere actionum malitiam, quatenus majorem perturbationem in republica, vel gravius nocumentum concivibus potest inferre. Unde merito D. Thomas: (2) « Lege humana non prohibentur omnia vitia... sed solum graviora, a quibus possibile est majorem partem multitudinis abstinere, et præcipue quæ sunt in no-

---

(1) *Loc. cit.*, q. 95, art. 2.°

(2) *Loc. cit.*, q. 96, art. 2.°

cumentum aliorum, sine quorum prohibitione societas humana conservari non potest: sicut prohibentur lege humana homicidia, furta, et hujusmodi.»

Quæres 3.° *Quotuplex sit lex humana.*

Resp. Si universim accipiatur lex humana, ad eam spectant, sive tamquam divisiones, sive tamquam subdivisiones:

a) *Jus gentium*, quod definiri potest: *Conventio rationalis et libera gentium ex pacto tacito inter nationes, constituta et firmata, ad obtinendum et conservandum mutuum commercium, et felicitatem vitæ socialis.* Dicitur *conventio rationalis*, quia rectæ rationi res consentaneas præscribit et continet. Additur *libera*, quia non versatur circa ea quæ sunt intrinsece seu essentialiter bona vel mala, ut lex naturalis. *Gentium*, quia non respicit societatem vel nationem particularem, sed omnes vel fere omnes, quæ civilem et politicam vitam agunt. *Ex pacto tacito inter nationes constituta et firmata*, tum quia originem habuit absque conventione expressa nationum, quæ ex ipso obligantur et obligari volunt, tum quia non ab aliqua natione vel principe particulari ortum habuit, sed ab omnibus nationibus et gubernantibus, tacite admissa et constituta fuit. Reliqua verba exprimunt materiam et finem juris gentium, quæ sunt mutuæ relationes generales, et bene esse seu felicitas societatum.

b) *Lex humana* stricte accepta, quæ ordinatur ad bonum commune societatis, vel nationis determinatæ.

c) *Lex ecclesiastica*, quæ ab Ecclesia constituitur ad procurandum bonum spirituale hominis.

d) *Lex civilis*, quæ a potestate civili constituitur ad procurandum bonum naturale societatis civilis. (1)

---

(1) Leges ecclesiasticæ maxima ex parte continentur codice, quod *Corpus juris canonici* inscribi solet, ac ex hisce quinque partibus coa-

e) *Lex pure præceptiva, aut prohibitiva*, quæ aliquid præcipit vel prohibet, nullam pœnam imponendo transgressoribus.

f) *Lex pure pœnalis*, dum absque expressione præcepti, vel prohibitionis, determinatur pœna vel mulcta injungenda alicui facto vel omissioni.

g) *Lex mixta*, quæ præceptum, aut prohibitionem exprimit, ac simul pœnam transgressoribus imponendam constituit.

Ex definitione *juris gentium* a nobis tradita, infertur in primis, jus hocce discriminari a lege stricte humana: 1.° quia hæc respicit et regulat actiones hominis, quatenus est membrum determinatæ societatis; illud vero quatenus est membrum societatis generalis, et præterea respicit et ordinat relationes nationum inter se, quatenus natio quælibet spectari potest, ut pars aut membrum generis humani, socialem et civilem vitam agentis: 2.° quatenus jus gentium majorem affinitatem obtinet cum lege naturæ, ad quam proximius accedit, quam lex pure humana.

Infertur præterea præfatum jus gentium, differre quoque a lege naturali, idque non ex uno solo capite. Nam discriminatur: 1.° *Ratione materiæ;* lex enim naturalis continet ea quæ sunt intrinsece bona vel mala; ast jus gentium versatur circa res non essentialiter bonas, vel malas, sed ab hominibus libere ex usu et pacto tacito

---

lescit: *Decretum Gratiani=Decretales*, seu epistolæ et constitutiones veterum Summorum Pontificum = *Sextus Decretalium=Clementinæ= Extravagantes*, quarum quædam dicuntur *Joannis XXII*, aliæ *Communes.*

Similiter leges civiles, seu potius Romani Imperii, continentur *Corpore juris civilis*, quod complectitur: *Digestum* seu *Pandectas=Codicem=Institutiones.=Novellas* sive *Authenticas.*

Cæterum nunc unaquæque natio suas habet leges civiles sibi accommodatas, quæ patriæ leges audiunt.

introductas, ut commercium nationum, pacis fœdera, leges belli gerendi, inviolabilitas legatorum, similia: 2.° *Ratione originis*, quia quoad legem naturalem est Deus, sive lex æterna, a qua immediate derivatur; quoad jus gentium, est pactum tacitum nationum, usu et diuturnis moribus firmatum: 3.° *Ratione finis*, qui quoad legem naturalem est perfectio moralis et interna hominis cum assecutione Dei, ut Summi Boni; quoad jus gentium est felicitas societatum humanarum, prout complectitur bona externa et temporalia: 4.° *Ratione subjecti*, quod respectu legis naturalis est homo individuus; respectu juris gentium sunt nationes, vel potius homo qua animal sociale seu membrum societatis humanæ.

Quæres 4.° Utrum lex humana habeat vim obligandi in foro conscientiæ.

Resp. Affirmative: 1.° quia ex lege naturali tenetur homo obedire superiori legitime præcipienti; atqui leges humanæ, dummodo justæ sint, continent præcepta superioris legitime præcipientis; quandoquidem supponitur habere potestatem ferendi leges erga talem communitatem: ergo ex ipsa lege naturæ, ac proinde in foro conscientiæ tenetur homo adimplere legem humanam.

2.° Lex humana, sicut et aliæ omnes, originariam vim et supremam sanctionem accipiunt a lege æterna, quippe quæ est fons omnis justitiæ legalis, ut merito proinde de ea scripserit D. Augustinus: « In temporali lege nihil est justum ac legitimum, quod non ex hac æterna sibi homines derivaverint.» Imo vero, ipsa auctoritas sive potestas publica, per quam conduntur leges, a qua vim obligandi immediate hauriunt, derivatur a lege æterna, ex qua, et per quam constituitur ordo moralis rerum, ac proinde ordo civilis et socialis hominum, qui nihil est aliud quam applicatio et determinatio ordinis moralis.

Dixi, *dummodo justæ sint*, secus enim vim obligandi

non obtinent: ita tamen ut si injustæ sint ex parte materiæ, præcipiendo vel prohibendo aliquid repugnans legi naturali vel divinæ positivæ, quæ supereminet legi humanæ, non liceat eisdem obedire: si vero injustæ sint ex parte finis, vel auctoris, vel formæ, licet quidem eis obedire, sed non obligant, nisi forte per accidens, ad vitandum scandalum, vel majora nocumenta.

Infertur ex his, leges humanas, quæ constitutioni et independentiæ Ecclesiæ, quæ jure divino ipsi debetur, aut etiam aliis præceptis Christi, ut prædicationi fidei, sacramentorum administrationi, indissolubilitati matrimonii, auctoritati et jurisdictioni spirituali Episcoporum, aut his similibus adversantur, nullam vim obligandi sibi vendicare, quippe quibus deest justitia ex parte materiæ.

SECTIO SECUNDA.

Deontologia seu Ethica specialis.

CAPUT PRIMUM.

DE OFFICIIS HOMIMIS ERGA DEUM.

Officia hominis erga Deum, religione continentur et exprimuntur. Quare, ut agnoscantur, per summa capita disseremus primo de Religione in genere; deinde de cultu qui Deo debetur; tertio de Ecclesiæ juribus, prout est organum veræ Religionis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Religione.

§ I.

De Religione in genere spectata.

Religio universim accepta complectitur *relationem moralem inter Deum et hominem*, ut merito D. Augustinus scripserit: *Religio dicitur ex eo quod nos religat omnipo-*

tenti Deo: Porro, relatio ista inter Deum et hominem, respicit tum intellectum, tum voluntatem. Intellectum quidem, quia prima conditio religionis est rectam scientiam, seu veritatem circa Deum possidere. Namque, ut jure habet Lactantius: «Non potest religio a sapientia separari, nec sapientia a religione secerni; quia idem Deus est quem scire oportet quod est sapientiæ, et idem quem colere, quod est religionis.» (1) Voluntatem vero, quia seipsam et ea quæ eidem subjiciuntur, subjicere Deo oportet, et offerre per amorem, adorationem, timorem, spem, gratiarum actionem cum reliquis affectibus et actibus, quibus homo Deum colit, se ipsum moraliter perficit, ac ad Deum accedit, tamquam ad ultimam, et supremam hominis perfectionem.

Fundamenta itaque rationalia religionis universim aceptæ, duo potissimum existunt: 1.° agnoscere et confiteri Deum sub ratione entis a se, improducti, æterni, infiniti, ac primi principii, a quo cuncta per creationem et conservationem profluxerunt, et profluunt, præsertim vero ipse homo ad imaginem Dei factus. 2.° Agnoscere et confiteri, Deum esse Summum Bonum, in quo finis nostræ beatitudinis constituitur, ac præterea cuncta per ipsius providentiam regi et gubernari, præsertim vero hominem, cui potestatem fecit cognoscendi et adimplendi legem per quam ad Deum accedit in vita mortali; et ad Deum, ultimum finem, et beatitudinem pervenit in vita immortali. Etenim, ut habet S. Bernardus: «Homo nec per se est, nec per se bonus est... Deus per se est, et per se bonus est: in eo autem qui per se est, et per se bonus est, finis nostræ beatitudinis constituitur.»

---

(1) Ipsimet ethnici philosophi id agnoverunt. Qua in re Seneca: «Primus est Deorum cultus, Deos credere: deinde reddere iis majestatem suam, reddere bonitatem.»

Naturalis ergo religio existit in homine, idque duplici sensu: 1.° quia tum id quod per vires rationis de Deo potest vestigare, tum lex et inclinatio naturæ, tum voluntatis infirmitas ad bonum morale peragendum, hominem excitant, inducunt, impellunt, ad officia religionis Deo præstanda: 2.° quia religionem habere, veluti connaturale, ac prorsus necessarium est homini, sive quoad seipsum, sive quoad societatem civilem spectetur. Enimvero, ex sola religione haurire potest homo motiva sufficientia ad bene, vel male agendum in foro conscientiæ, ex qua bonitas et malitia moralis ad actiones externas derivatur: ita ut si ab homine removeatur notitia voluntatis divinæ per leges naturales et divinas bonum præcipientis, et malum prohibentis, simulque sanctio harum legum per pœnas, et præmia alterius vitæ, nihil remanet quod homines in officio possit efficaciter continere, adeo ut nec consistere posset hominum vita socialis et politica. Atque exinde

Infertur 1.° religionem esse fundamentum necessarium civilis societatis, quæ sine veritate religiosa, vel ad anarchiam et dissolutionem, vel ad tyrannidem necessario vergit. (1) Siquidem, remota vi conscientiæ ac legum sanctione ex Deo, et per Deum, homo *egoismum* absolutum consectaretur, nec cohiberi potest, nisi per violentiam. Quod quidem adeo verum existit, ut ipsæ gentium nationes, quæ civilem vitam egerunt, societatem politicam religioni inniti curasse agnoscantur: imo

---

(1) Ad rem Laurentie: «La societé humaine n'a point d'autre base ni d'autre nerf. Sans une idée de cette sorte, l'Etat politique ou social n' existerait pas même. Les hommes pourrait se disputer l'empire par la force; mais la raison d'obéir n'étant point dans les esprits, la force, serait éternellement en lutte avec elle-même, et le monde serait un chaos livré a des bêtes fauves.» *Encyclop. du XIX, siècl.* t. 21, p. 221.

vero, dum religionem contemnentes corruptos mores sunt amplexati, vel ad dissolutionem, vel ad tyrannidem, historia teste, properarunt.

Infertur 2.° hodiernam praxim gubernantium, vel parvipendendi, vel negligendi, vel etiam excludendi ac rejiciendi catholicam, seu veram Religionem ab administratione societatis; quodque pejus est, praxim nihil efficiendi pro ejusdem propagatione, tuitione, et conservatione, originem et occasionem præbere, non solum corruptioni et licentiæ morum, sed etiam perturbationibus, periculis, ac criminibus, quibus societates agitantur, commoventur, periclitantur. Siquidem, amoto christianæ religionis freno, effrenis populus evadit: dum ignorat, aut impune transgreditur ejusdem divinas leges; dum ipsorum gubernantium exemplo et legibus, discit Ecclesiæ jura et præcepta contemnere, contradicere, et oppugnare: faciles aures porrigit hominibus et doctrinis, ejus animum et passiones erigentibus adversus reges, tronos, gubernantes, divites, dominium proprietatis, familiam, etc. et reliqua omnia quibus civilis societas innititur. Atque hinc pericula, anxietates, incertitudo, perturbationes politicæ, quæ in dies observantur et augescunt. (1)

---

(3) De re hac perbelle disserit Rohrbacher his verbis: «Tout participe à cette incertitude, les trônes, les lois, les gouvernements, la paix, la guerre. Ce qui paraît le plus ferme, branle au moindre souffe et s'écroule. Se rassemble-t-il quelques jeunes gens, quelques hommes du peuple dans les rues d'une certaine ville, aussitot voilà un trône en-pièces, et puis un autre, et puis un autre, et tout le reste de trembler. On ne tue plus les rois, on fait pis; on leur dit: allez-vous-en, nous ne voulons plus de vous; et ils s'en vont. Partout des seditions et des émeutes; et ce n' est pas un moment d' effervescence, c'est l'état habituel et raisonné. Les princes se plaignent des peuples, les peuples se plaignent des princes, de part et d'autre avec beaucoup de méthode et des raisonnements auxquels il n'est rien à repondre. On parle, on écrit,

Nihilominus, quamvis religio *naturalis* dici atque admitti queat, sensu eo mox exposito, prorsus rejicienda est ea *religio naturalis*, quam deistæ, et rationalistæ nobis solent obtrudere, non ob aliam causam, nisi ut jugum religionis revelatæ, seu potius moralis legis in eadem contentæ et sancitæ, excutiant. (1)

Enimvero, quid possit humana ratio propriis viribus relicta, historia simul et experientia abunde satis ostendunt, nempe, multiformem polytheismum, vel absurdum mahometismum cum morum corruptione ipsis respondente, apud homines et populos introducere, prout videre licet, tum in nationibus ante Christi adventum constitutis, tum in hodiernis populis a fide et religione christiana sejunctis. (2) Quibus si adjicias turpissimos

---

on parlemente, et on s'entend moins que jamais. Les uns crient à la révolte, les autres à la tyrannie, et ils ont raison les uns et les autres. Le seul tort qu'on ait, c'est de s' étonner que cela soit ainsi.

Rien n'est plus clair. Tout le monde convient que la religion est la base de la societé temporelle; par conséquent, mettre la révolte, l'anarchie dans la religion, c'est les mettre dans la base même de la societé. Or, pour que dans la religion il n' y ait point anarchie, il faut y reconnaître une autorité, et l'autorité la plus grande... D'un autre coté, tout le monde conviendrá qu'en fait de religion, l'autorité incontestablement la plus grande est l'Eglise Catholique. » *Histoire de l' Eglis.*, t. 1.°, pag. 503 et seqq.

(1) Etenim, ut apposite habet cit. Laurentie: « Le mot de *révelation* ou de religion *revelée* leur est un objet d'effroi, et ils se refugient dans une certaine religion *naturelle*, qui les met à l' aise. La difference s' explique trop aisément. Dès que par la révélation Dieu apparait, la morale a une origine assurée, la religion a une sanction eclatante et souvéraine; il n'est pas possible de se soustraire par la raison à un tel empire. Il faut donc flechir; il faut donc corriger la vie; il faut donc ataquer et dompter ses penchants... Ce mot de *révelation* l' effarouche donc, parce que seul il donne la raison des devoirs qui vont saisir la conscience dans son mystérieux silence, et dans ses plus cachés replis. Il n'y a pas d'autre raison de la resistance philosophique à la religion revelée. » *Loc. cit.*

(2) Merito igitur De Drey cujus verba ad hispanum sermonem vertimus: « Tal es la religion de la naturaleza, que diviniza la naturaleza, y

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

errores, tum speculativos, tum maxime practicos circa legem naturalem et moralem, in quos non modo populi, sed ipsimet graviores philosophi prolapsi sunt, facile conjicere licebit, cujus generis sit aut esse possit religio naturalis, quam deistæ et rationalistæ proclamare consuescunt.

Atque ex præfata impotentia rationis humanæ ad dignoscendam, constituendam, et conservandam veram religionem erga Deum, non secus ac ex turpissimis erroribus præsertim moralibus, quibus obnoxia dignoscitur propriis viribus relicta, legitime colligitur necessitas et existentia religionis a Deo ipso homini communicatæ, et revelatæ, cujus ope homo, et verum cultum vero Deo præstare possit, et legem moralem facile et tuto ediscat, et auxilia divina seu supernaturalia ad hanc legem moralem implendam, et carnis passiones frenandas recipiat. Ergo philosophus, sola ratione, historia, et experientia ducibus, admittere cogitur existere aliquam religionem a Deo, qui homini non deest in necessariis, etiam necessitate morali, homini communicatam et revelatam. Cujus rei quoque argumentum non leve deteget in natura ipsa humana, in qua observare licet signa magni alicujus lapsus moralis, ac vestigia elevationis hominis ad bona, ordinem, et finem supra naturæ vires, quales nunc existunt, posita. Quænam porro sit ejusmodi revelata religio, facile homo quilibet bonæ

---

las cosas naturales, y que encontramos en la historia de los pueblos, los cuales, ó bien se prosternan y tiemblan ante el primer objeto de la naturaleza, que se les presenta, segun que puede servirles ó dañarles; este es el fetiquismo: ó bien adoran los animales, como los Egipcios; ó bien veneran los grandes cuerpos celestes depositarios de las fuerzas elementales, como los pueblos de Oriente desde Babilonia hasta Cartago á través del Asia occidental; ó bien finalmente, divinizan al hombre, como hizo la mitología de los Griegos.» *Diction. Encycl. de la Theol., cath.*, t. 2.°, p. 90.

fidei agnoscit ex motivis credibilitatis, quæ sua evidentia, pondere, et numero Catholicam Ecclesiam perfundunt, et animo objiciunt, de quibus disserere ad theologos spectat.

Vera itaque religio, utpote a Deo revelata, præter veritates quasdam, quæ hominis captum penitus superant, quæque idcirco mysteria fidei nuncupantur, continet simul veritates, ad quas humana ratio absolute seu secundum potentiam physicam potest pertingere, sed quæ, vel ignorarentur a maxima hominum parte, vel corruptæ et obtenebratæ remanerent apud ipsos sapientes, nisi Dei revelatione continerentur. Unde merito D. Thomas: (1) «Est autem in his quæ de Deo confitemur, duplex veritatis modus. Quædam namque vera sunt de Deo, quæ omnem facultatem humanæ rationis excedunt, ut Deum esse trinum et unum. Quædam vero sunt ad quæ etiam ratio naturalis pertingere potest, sicut est Deum esse unum, et alia hujusmodi quæ etiam philosophi demonstrative de Deo probaverunt, ducti naturali lumine rationis.»

Et quidem, quod necessarium fuerit ejusmodi etiam postremas veritates a Deo per revelationem homini proponi, constat: 1.° ex historia et experientia, quæ ut nunc vidimus, testimonium perhibent de turpissimis erroribus, ad quos humana ratio declinavit circa prædictas veritates: 2.° ex magnis inconvenientibus, ad quæ absentia revelationis duceret, quæque ad tria potissimum capita revocat D. Thomas; quorum primum est ignorantia ejusmodi veritatum a maxima hominum parte, qui tum propter ingenii hebetudinem, tum propter temporales occupationes, tum propter passiones, a cognitione certa ipsarum impediuntur. «Secundum inconveniens, sub-

(1) *Sum. Cont. Gent.*, lib. 1.°, cap. 30.

dit, (1) est quod illi qui ad prædictæ veritatis cognitionem pervenirent, vix per longum tempus pertingerent; tum propter hujusmodi veritatis profunditatem, ad quam capiendam per viam rationis non nisi post longum exercitium intellectus humanus idoneus invenitur... tum propter hoc quod tempore juventutis, dum diversis motibus passionum anima fluctuat, non est apta ad tam altæ veritatis cognitionem... maneret igitur humanum genus, si sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret, in maximis ignorantiæ tenebris, cum Dei cognitio, quæ homines maxime perfectos et bonos facit (hoc est, quæ omnibus hominibus, tam juvenibus, quam senibus est necessaria, ut recte ac moraliter vivant) non nisi quibusdam paucis, et his paucis etiam post temporis longitudinem, proveniret. Tertium inconveniens est, quod investigationi rationis humanæ plerumque falsitas admixcetur propter debilitatem intellectus nostri... Inter multa etiam vera, quæ demonstrantur, immiscetur aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur, sed aliqua probabili vel sophistica ratione asseritur... Et ideo oportuit per viam fidei, fixa certitudine, ipsam veritatem (ordinis naturalis) de rebus divinis hominibus exhiberi. »

---

(1) *Ibid.*, cap. 4.°

§ II.

De officiis quæ ex religione in genere spectata enascuntur.

Ex his quæ in superiori paragrapho de religione disseruimus, colligere pronum est quænam sint officia erga Deum ratione religionis in genere spectatæ. Itaque

Primum officium est, quærere et vestigare quænam sit vera religio a Deo revelata, si eidem nondum adhæreat, vel rationabiliter dubitet de veritate religionis, quam profitetur. Nam cum homo, ex ipsa lege naturali teneatur Dei voluntati se subjicere, et ejus præcepta adimplere, atque officia religiosa ei exhibere, hæc omnia congrue servare nequit, nisi prius agnoscat veram religionem, in qua prædicta continentur. Unde primarium hocce officium ipsamque legem naturalem transgrediuntur, ut plurimum, et gravius peccant homines illi, præsertim periti et sapientes, qui vel rationalismo, sive protestantismo, sive indifferentismo adhærent, cum fere impossibile sit eos laborare ignorantia invincibili circa veritatem catholicæ Religionis.

Secundum officium est, religionem veram semel agnitam, animo complecti, idque non solum quoad ea quæ ratione demonstrantur et comprehenduntur, sed quoad ea quæ ejusdem captum superant. Etenim, ex lege naturali tenemur assentiri Deo docenti, ipsaque ratione edocemur posse existere ac revera existere veritates supra naturam humanam, sed infra naturam divinam positas; quibus proinde assentiri rationabile existit, eo ipso quod agnoscatur ipsas proponi et præcipi a Deo, qui infallibilitate absoluta potitur.

Tertium officium est, veram Religionem, non modo ore et mente, sed etiam voluntate et corde confiteri ad salutem. Quandoquidem, vera religio dum continet et proponit veritates speculativas, seu fidei mysteria, simul continet et proponit præcepta moralia, quæ ex illis veritatibus ac mysteriis, tamquam ex propria radice et ratione sufficienti originem et robur accipiunt. Imo vero, præcipuus finis propter quem Deus homini veram Religionem revelat, is est, ut homo servando perfectissima ac divina ejus mandata, moralem perfectionem assequatur in vita præsenti, ac beatitudinem supernaturalem et perfectissimam in futura.

Quartum officium est, cultum non juxta hominis arbitrium, sed juxta formam a Deo revelatam, divinitati tribuere, idque non solum interius, sed etiam exterius, de quo fusius articulo sequenti.

Quintum officium est, veram religionem semel cognitam et amplexam, tueri, conservare, et propagare. Deus enim, qui eandem pro universis hominibus proposuit ac revelavit, non potest non velle ut homo ipsam tueri et propagare totis viribus conetur, quippe hac ratione, tum gratitudinem et obedientiam erga Deum ipsum, tum amorem et benevolentiam erga proximum, homo ostendit ac exequitur.

Ex hujusmodi officiis, atque ex doctrina in superiori paragrapho tradita, legitima consecutione habentur subjecta

Corollaria:

1.^{m} *Ergo indifferentismus religiosus impius simul et absurdus existit.* Impius quidem, quatenus negligit, aut contemnit addiscere, vestigare, et amplecti veram religionem, sine qua impossibile est placere Deo, moralem vitam agere, propriam destinationem præsentem et futuram agnoscere, ac demum veram beatitudinem in vita immortali obtinere. Absurdus quoque; quia vel supponit

homini nihil curandum de Deo atque religione, aut supponit religiones omnes æque bonas et veras existere: quod utrumque rationi adversatur, et contradictionem implicat.

2.m *Ergo turpiter errat Rationalismus, dum adstruit officia hominis erga Deum sola lege morali ac naturali contineri.* Siquidem, satis constat ex dictis, insufficientia rationis humanæ ad veram religionem prosequendam, et cultum Deo exhibendum; imo etiam ad cognoscendam ipsam legem naturalem, eamque integram adimplendam, nisi humano generi Deus subvenire voluisset per revelationem doctrinæ religiosæ et moralis, cujus ope homines cuncti, sive sapientes, sive insipientes, tuto ac facile possent religionis ac moralis officia cognoscere et adimplere. (1)

ARTICULUS SECUNDUS.

De cultu Deo exhibendo.

Quoniam, ut habet D. Thomas, (2) « *religio* dicitur secundum quod exhibet Deo debitum famulatum in his quæ pertinent specialiter ad cultum divinum, sicut in sacrificiis, oblationibus, et aliis hujusmodi, » postulat methodi ratio, ut postquam de religione in genere ac officiis ex ea profluentibus, diximus, dicamus nunc de cultu, quo

(1) Igitur, ut verus rationalismi transcendentalis parens loquitur Kant, dum scribit: «Tout ce que l'homme pense pouvoir faire en dehors d'une conduite morale, pour plaire à Dieu, est pure imagination, et culte faux.» *Oischinger*, *Dict. Encyc. cit.*, tom. 19, pág. 473.

(2) *Sum. Theol.*, 2.ª 2.æ q. 81, art. 8.°

Dei religio manifestatur, et viget apud hominem ; nam *prius est Deum scire, consequens colere*, inquit Lactantius.

Qua in re confutandi præsertim veniunt: 1.° qui Dei cultum externum ac publicum rejiciunt: 2.° qui libertatem cultus seu religionis adstruunt et tuentur. Adversus quos sit

THESIS 1.ª

Homo Deum colere debet non modo cultu interno, sed etiam externo et publico.

Quoad cultum internum, thesis probatione non indiget. Nemo enim, nisi atheus existat, negaverit, hominem Deo debere adorationem, honorem, timorem, amorem, gratiarum actionem, cætera hujusmodi, queis Dei dominium et excellentiam, bonitatem summam atque beneficia ab eo recepta, protestatur et confitetur.

Quoad cultum externum prob. 1.° Ratio sufficiens cultus duo præsertim complectitur, nempe, protestari seu confiteri supremum Dei dominium et excellentiam, ratione cujus plena subjectio ipsi debetur; ac simul agnoscere ejus bonitatem et gratias agere ob beneficia ab eo emanantia: atqui homo non minus subjicitur Deo quoad corpus quam quoad animam, nec minus gratiarum actiones Deo rependere tenetur pro corporeis ac sensibilibus bonis, quam pro spiritualibus : ergo sicut ratione animæ et donorum spiritualium, homo Deo exhibet cultum internum , ita ratione corporis ac sensibilium bonorum, congruum est, ut externum ac sensibilem cultum eidem exhibeat.

2.° Cultus externus ad internum ducit, ita ut hujus perfectio et conservatio ab illo pendeat : ergo si internum homo Deo exhibere tenetur, etiam externum. Ant. ex eo constat, quod homini connaturale sit, pro præsenti statu conjunctionis animæ cum corpore, ad spiritualia ex sensibilibus et per sensibilia manuduci, prout experientia

ipsa testatur. Sicut ergo videmus animam a sensibilibus dependere quoad cognitionem intellectualem, adeo ut hæc vel penitus, vel maxima ex parte deficeret, deficientibus sensibus ac sensibilibus objectis, ita etiam cultus internus langüesceret atque deficeret, nisi ad eundem per verba et alia sensibilia, homo seipsum quoad affectiones internas excitaret. Ergo cultu externo per verba et alia signa sensibilia indiget homo, ut cultum ipsum internum, qui præcipuus est, congrua ratione exhibeat, conservet, ac foveat. Qua in re egregie D. Thomas: (1) « Verbis, alia ratione utimur ad Deum, et alia ratione ad hominem. Ad hominem enim utimur verbis, ut conceptum nostri cordis, quem non potest cognoscere nisi verbis nostris, ei exprimamus... Sed ad Deum verbis utimur, non quidem ut ei qui est inspector cordium, nostros conceptus manifestemus, sed ut nos ipsos, et alios audientes ad ejus reverentiam inducamus. Et ideo necessaria est laus oris, non quidem propter Deum, sed propter ipsum laudantem, cujus affectus excitatur in Deum ex laude ipsius.»

Quoad cultum publicum, ejus utilitas ac necessitas ex præjactis principiis colliguntur. Etenim: 1.° sicut cultus internus sine externo langueret ac deficeret, ita et ipse externus absque cultu publico seu collectivo; videmus enim homines privatos ad cultum internum et externum per cultum publicum excitari ac commoveri: (2) 2.° cultus publicus, ac solemnitates collectivæ, animæ affectus *ac internum cultum* Dei maxime fovent et augent, idque propter vim exempli, ac principium imitationis, quæ plurimum apud homines vigent; siquidem, experientia

---

(1) *Sum. Theol.*, 2.ª 2.æ, quæst. 91, art. 1.°

(2) «Plusieurs particuliers, ajebat Leibnitz, qui participent au culte public n'en auraient aucun, s'il n'y en avait point de public.» Apud Flottes, *Encyclop., du XIX siècl.* tom. 9, p. 411.

teste, dum plures homines simul conveniunt, ipsorum animi eriguntur, roborantur, ac unus in alterum influit mutua atque mysteriosa quadam actione, et reactione: 3.° quia publicus cultus non solum est consectarium spontaneum publicæ religionis, sed homines inter se arctiori vinculo conjungit, ac vitam socialem et politicam inter ipsos fovet, juvat et promovet. (1) Quod si adjiciatur, cæremonias et ritus cultus publici esse veluti symbola quædam, quibus continentur et exprimuntur dogmata religiosa et moralia; proculdubio fateri oportebit, maximam existere utilitatem et necessitatem cultus publici, qui aliunde nihil aliud est quam consectarium naturale et spontaneum cultus tam interni quam externi.

THESIS 2.ª

Libertas cultuum seu religionis illicita est ex genere suo; nec proinde licet cooperari ad ejus introductionem in natione catholica.

Thesis non procedit de libertate religionis vel conscientiæ, ut loqui amant recentiores, quatenus internam conscientiam solum afficit. Nam, quamvis ut prorsus falsa habenda sit sententia eorum, qui edicunt et autu-

(1) Le sentiment religieu, ait Baltier, s' exalte sous l' impression de l' exemple, comme le courage au milieu des batailles s' anime de l' ardeur de ceux qui nous entourent. Si d' ailleurs les homnes sont nés pour la societé ce n' est pas seulement pour s' aider mutuellement á accomplir leurs communes destinées pour benir en semble et de concért celui dont ils sont tous au même titre les serviteur, et les enfants. De la necessité d' un culte, non seulement exterieur, mais encore public. qui reunisse toutes les intelligences dans la meme foi, et tous les sentimens religieux dans une même expression. Le culte public, le culte celebré en comun, est un devoir si évident et si simple que jamais aucun peuple ne l' a meconnu ou negligé. L' histoire de ce culte est en quelque sorte l' histoire de l' homme même.» *Cours de Phil.*, t. 4.°, pág. 511.

mant, homini liberum esse, quam voluerit, religionem amplecti et sequi in foro conscientiæ, cum revera homo teneatur, etiam in hoc foro interno amplecti et sequi, non quamlibet, sed *veram* solum religionem; attamen quia internos hosce actus potestas humana nec noscere nec dijudicare potest, thesis non procedit de libertate conscientiæ internæ.

Prob. 1.° Indifferentismus religiosus illicitus est ex genere suo, atque rectæ rationi adversatur; siquidem indifferentismum religiosum adstruere aut profiteri, idem est ac edicere et profiteri, vel omnes religiones esse æque veras, quod absurdum est, cum dogmata ipsarum contradictoria sint; vel Deo indifferens esse, quod cultu legitimo, aut illegitimo, vera, vel falsa religione colatur ab homine; quod sane non minus absurdum agnoscitur: atqui libertas cultuum seu religionum involvit ac præ se fert indifferentismum religiosum: ergo. Min. patet. Nam qui propugnat, et ut bonam moraliter habet libertatem cultuum, seu religionum, practice profitetur, vel omnes religiones esse æque bonas et veras, vel indifferens esse quod Deus cultu legitimo, aut illegitimo, vera, vel falsa religione colatur, in quo sita est natura indifferentismi religiosi.

Prob. 2.° Injustum et absurdum est, eadem jura et protectionem publicam concedere errori, ac veritati, malo, ac bono; quandoquidem, tam recta ratio, quam ipsa lex naturalis docent, hominem teneri veritatem ac bonum morale amplecti et tueri, errorem atque malum morale vitare et fugere: atqui introducere in natione catholica, seu cooperari ad introducendum libertatem cultuum, nihil aliud est quam introducere vel cooperari ad introductionem erroris, et mali moralis, in locum veritatis et boni moralis; imo vero cum ex errore circa religionem majora nocumenta et mala moralia homini obveniant, major exurget obligatio ex lege naturali ipsum

vitandi, sive a seipso et aliis, quoad privatas personas, sive a multitudine, quoad publicas personas sive gubernantes, quibus cura multitudinis incumbit. Ergo qui præsunt nationi catholicæ, quæ veræ religioni adhæret, illicite agunt, legem naturalem transgrediuntur, ac muneri et officio suo desunt, si vel introducant, vel introduci sinant libertatem cultuum vel religionum.

Prob. 3.° Ex gravissimis incommodis et malis, quæ ex libertate religionum oriuntur. Quorum quædam tantum brevitatis studio indicare sufficiat: 1.° libertas religionum, dum in natione catholica introducitur, ipsam societatem civilem, ac commune bonum patriæ in periculo constituit, simulque multiplicibus malis obruit. Luculenter id testatur historia, quæ nos edocet occasione libertatis religionum introducendæ, in Gallia, in Germania, Helvetia, aliisque Europæ nationibus, exorta fuisse maximas perturbationes politicas, civilia bella, tumultus, ac mala omnis generis usque ad ruinam fere patriæ sive dissolutionem illarum nationum.

2.° Vincula societatis domesticæ, vel disrumpit, vel infirmat; dissensiones atque dissidia inter cognatos fovet, inobedientiæ filiorum erga parentes occasiones ac prætextus suppeditat, dum religionem et moralia principia, diversa a religione et moralibus principiis parentum se profiteri autumant: mæroribus denique, laboribus, ac amaritudine morali membra familiæ obruit, (1) præ-

---

(1) Vid. *La Fuente* in opere, cui titulus: *La pluralidad de cultos y sus inconvenientes*, ubi de argumento nostræ thesis egregie, pro more, disserit. Speciminis loco en ejus verba quoad inconvenientia ex parte familiæ: «El espectáculo de una familia dividida por opiniones religiosas es muy triste, y en España lo seria mucho mas. El padre protestestante, va ó no va al templo; el hijo escéptico y racionalista va al billar y al casino, mientras que la madre con su hija, cual otra Santa Mónica va á la Iglesia, arrostrando las burlas del uno, y el desden del otro, á llorar sus estravios, y pedir á Dios los reduzca al buen camino...

sertim dum hora mortis et æternitatis appropinquat.

3.° Tandem religionum libertas viam sternit perturbationibus ac malis socialibus, idque triplici potissimum ratione: 1.° quia ejus introductio in catholica natione fert secum mutationem legum, et institutionum nationalium circa familiam, circa templa, circa doctrinam cum aliis hujusmodi, quod sane perturbationi et periculis obnoxium existit: 2.° quia homines perversi, et sapientes in malo occasionem inde accipiunt ad multitudinem ignaram et simplicem decipiendam et concitandam adversus magistratus et gubernantes: 3.° quia favet corruptioni morum, cum nota sit hominis propensio et facilitas ad amplectendas doctrinas, seu religiones, quæ vitiis et passionibus indulgent. Quinimo, libertas religionum viam sternit ad eversionem omnis religionis et moralis, quippe ex tristi experientia novimus, homines eos, qui libertatem cultus initio tuentur, prædicant, magnopere extollunt, temporis lapsu eversionem totius religionis et moralis proclamare, prout observare licet in rationalistis Belgii, qui *Solidarii* audiunt, (1) quorum societas in Ga-

---

¡Oh! por mas que se quiera decir, debe ser horroroso el padecimiento de un católico al ver morir dentro de su propia casa, dentro de su propia familia, una persona querida á la cual se profesa cariño, y mirar con los brazos cruzados cual pasan los momentos en que pudiera salvarse, y cual se acerca la hora de la eternidad para aquella alma, que dentro de pocos momentos será quizá por su falta de fé, reprobada, inexorable é irremisiblemente perdida, y perdida para siempre.

Un indiferentista, un librecultista, no puede comprenderlo; ya lo sé, pero cualquier católico medianamente fervoroso lo comprenderá muy bien.

Y luego despues, al acompañar sus restos mortales á la última morada, llegar con ellos hasta la puerta del templo, ó del cementerio, y decir aquellas palabras, que en casos tales pronunciaba el gran O'Connell al acompañar los restos de algun amigo protestante: ¡Mi amistad llega hasta aquí! » Pág. 290-91.

(1) Quid hoc nomine intelligatur, quidque sibi velint *solidarii* his

llia, et nationibus aliis, in quibus libertas cultuum viget, in dies propagatur.

Ex hucusque expositis inferre licet subjecta Corollaria:

1.m Graviter peccant qui verbo, scriptura, vel alia quavis ratione, operantur vel cooperantur ad introductionem libertatis cultus, seu religionum in natione catholica. Etenim, non solum Christi præcepta, et legem naturalem contemnunt et transgrediuntur, qui hoc peragunt, sed damnum maximum inferunt concivibus, qui exponuntur periculo veram, seu catholicam Religionem amittendi, extra quam salus esse nequit.

2.m Reges et supremi magistratus reipublicæ catholicæ jus et obligationem habent obsistendi totis viribus introductioni libertatis cultuum, gravissimeque peccant in Deum, ac in rempublicam sibi commissam, si secus faciant. Siquidem, qua reges et magistratus *catholici*, tenentur Christi præcepta observare, fidem catholicam adversus errores tueri, atque Ecclesiæ jura sarta, tectaque servare.

3.m Quoad eas nationes tamen in quibus libertas religionum jam introducta et firmata existit, *tolerari* quidem possunt falsæ religiones licite a regibus et magistratibus

---

verbis exponit cit. La Fuente: «El solidario no cree en Dios, no cree en el alma, no cree en lo sobrenatural; no cree ni aun en las sibilíticas frases del krausista, que pinta á un Dios tonto y holgazan, á quien lo mismo importa el bien que el mal, y á la humanidad la convierte en un Dios. El solidario se compromete á no profesar ninguna religion, y despreciarlas todas: no casarse á la faz de la Iglesia, no bautizar á los hijos que nazcan de su concubinato, no asistir á ningun acto religioso, ni admitir ningun culto; no tratar con ningun sacerdote de ninguno de ellos, no llamarlos al fin de la vida: no consentir que los llamen sus amigos, rodear á estos de las mas esquisitas precauciones cuando estén enfermos, á fin de que no se acerque á su lecho ningun sacerdote, aunque el moribundo lo reclame.» *Op. cit.*, p. 353.

catholicis ad vitanda majora mala, sed minime directe aut positive *protegi*. Unde prorsus rejicienda hodierna praxis apud gubernia catholica usurpata, protegendi, ac æqualia jura concedendi omnibus religionibus; tum quia naturali legi, et rationi adversatur eadem jura eandemque protectionem concedere errori, et veritati, malo, et bono; tum quia hoc idem est ac indifferentismum religiosum practice profiteri, ac statum seu rempublicam statuere, et solidare velle super basim atheam.

4.m Ergo rejiciendus *Latitudinarismus*, apud quem homo æternam salutem assequi potest extra veram Christi Ecclesiam, ac per cultum cujusvis religionis. Unde jure merito Apostolica Sedes proscripsit in *Syllabo* Pii IX propositiones hasce: «Liberum cuique homini est eam amplecti atque profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus, veram putaverit.=Homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire, æternamque salutem assequi possunt.»

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° adversus 1.am thesim. Deus, utpote infinita intelligentia præditus, intime perspectas habet hominum mentes et necessitates, ac proinde opus non est oratione vocali, aut aliis externis signis in conceptu ejus uti: ergo supervacaneus existit cultus externus, nec quidpiam utilitatis sensibilis deprecatio habet.

Resp. Neg. cons. Objectio ista vulgaris rationalismi, quam tamen transcendentalis rationalismi parens Kant iterum recoquit, (1) jam pridem a D. Thoma abunde fue-

(1) «La prière, inquit ille, comme culte formel, et interieur, et par consequent comme moyen de grace, est une illusion, et une superstition;

rat soluta, ut ex probationibus thesis patet. Oratione enim vocali, aliisque rebus sensibilibus in cultu divino utimur, non quidem propter Deum, quasi ipse iis indigeat ad cognoscendum nostras necessitates aut animi affectus, sed ut nos ipsos Deo, quoad corpus et sensibilia offeramus et subjiciamus ; præsertim vero ad excitandum et fovendum animæ subjectionem, et internos affectus erga Deum. Nam, ut scite habet cit. D. Thomas, « mens humana indiget ad hoc quod conjungatur Deo, sensibilium manuductione... et ideo in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis quasi signis quibusdam mens hominis excitetur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur. » (1)

Porro, « hujusmodi exteriora, subdit ille, (2) non exhibentur Deo quasi his indigeat, sed exhibentur Deo tamquam signa quædam interiorum et spiritualium operum, quæ per se (principaliter) Deus acceptat. »

Inst. Spiritui puro respondet cultus pure spiritualis, et internus ; sed Deus est purissimus spiritus : ergo.

Resp. Dist. maj. *Tamquam principalis ac per se intentus*, conc. *per exclusionem externi ac corporalis tamquam secundarii et ad spiritualem ordinati*, neg. Verum equidem est actus interiores et spirituales, præcipuum locum obtinere in cultu religioso veri Dei, imo externi sine internis veri cultus rationem non habent ; ast exinde minime consequitur externos actus ad cultum religiosum secundario saltem non spectare, dum internis conjunguntur, ad horumque intensitatem, et conservationem ordinantur. Unde merito D. Thomas : « Religio habet quidem

---

c'est du fetichisme ; car elle n'est que l'expression d'un désir formulé devant un Etre qui n'a pas besoin que nous lui parlions de nos besoins pour les connaitre. » Apud Oischinger, *Diction. encycl. cit.*, t. 19, p. 473.

(1) *Sum. Theol.*, 2.ª 2.æ, q. 84, art. 7.°

(2) *Ibid.* ad 2.m

interiores actus quasi principales, et per se ad religionem pertinentes; exteriores vero actus, quasi secundarios, et ad interiores actus ordinatos. » (1)

Objic. 2.° Saltem oratio, seu deprecatio ad Deum pro beneficiis obtinendis inutilis est: ergo saltem cultu orationis non est colendus. Prob. ant. Quidquid in tempore fit, Deus ab æterno præscivit ac præordinavit; sed præscientia Dei atque ejusdem decreta mutari nequeunt precibus hominum: ergo.

Resp. 1.° Neg. ant. et cons. Quia etiam data inefficacia orationis quoad beneficia, vel dona, quæ a Deo postulantur, adhuc oratio utilis esset, ac verus Dei cultus, quatenus per ipsam homo perfectius Deo subjicitur ac conjungitur, quod non minimum objectum existit, nec minima utilitas orationis et precum, quas in Dei conspectu effundimus.

Resp. 2.° Neg. ant. Ad prob. dist. maj. Ab æterno præscivit et præordinavit, *ut implendum in tempore ex concursu creaturæ juxta cujusque conditionem.* conc. *ut implendum ex fatali necessitate*, neg. Et hanc quoque objectionem, quam hodierni rationalistæ post Voltaire, et Rousseau regerunt, sex ab hinc seculis præoccupavit D. Thomas his verbis: (2) « Ex divina Providentia non solum disponitur qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis, et quo ordine proveniant.

Inter alias autem causas, sunt etiam quorundam (effectuum) causæ actus humani. Unde oportet homines agere aliqua, non ut per suos actus divinam dispositionem immutent, sed ut per actus suos impleant quosdam effectus secundum ordinem a Deo dispositum. Et simile est etiam de oratione. Non enim propter hoc oramus, ut di-

---

(1) *Loc. cit.*
(2) *Opert. cit.*, quæs. 83, art. 2.°

vinam dispositionem immutemus, sed ut id impetremus, quod Deus disposuit per orationes esse implendum.» Itaque præordinatio Dei non respicit beneficium vel bonum conferendum nude sumptum, sed *ut* conferendum per orationem, ita ut ipsa oratio hominis ingrediatur decretum Dei, sicut applicatio medicinæ ingreditur Dei æternum decretum circa sanitatem ægroti. (1)

Objic. 3.° adversus 2.am thesim. Jus naturæ impediri legitime nequit per ullam potestatem humanam; sed libertas cultuum seu religionum competit homini ex jure naturæ: ergo. Prob. min. Homo ex propria natura libertatem sibi vendicat credendi hoc, vel illud circa Deum, et cultum ipsi exhibendum: ergo.

Resp. Neg. min. Ad prob. dist. ant. Libertatem *moralem*, neg. *physicam*, subd. *quoad forum internum conscientiæ*, conc., *quoad exteriores actus*, neg. Primum itaque, tantum abest ut homo libertatem moralem sibi vendicet ex jure naturæ quoad fidem, et cultum Dei, quasi penes ejus arbitrium esset quemlibet cultum Deo præstare, ut potius ex jure naturæ teneatur veram fidem, verumque cultum eidem exhibere. Deinde, si libertas, non *moraliter*, seu quatenus rectæ rationi ac legi conformari debet, sed *physice* tantum, seu quatenus coactioni et violentiæ non subest, spectetur, homini quidem competit quoad actus internos conscientiæ, quippe qui ex propria natura judicium et potestatem aliorum hominum effugiunt, mi-

---

(1) Apposite ad rem Maistre: «On ne peut faire, aucune objection contre la prière qu'on ne puisse faire contre la médecine. Ce malade doit mourir ou ne pas mourir. Donc il est inutile de lui administrer des remèdes; donc il n'y a point de médecine. Où est la différence? Nous ne voulons pas faire attention que les causes secondes se combinent avec l'action superieure, ce malade mourra, ou ne mourra pas: oui sans doute; il mourra, s'il ne prend pas des remèdes, et il ne mourra pas s'il en use. Cette condition, s'il est permis de s'exprimer ainsi, fait portion du décret divin.»

nime vero judicium et potestatem humanam effugiunt quoad externas ipsorum manifestationes, ac proinde quoad libertatem cultuum ad sensum thesis.

Objic. 4.° Ex nostra thesi, ejusque probationibus consequitur principes nationum, quæ hæresi aut infidelitate inficiuntur, jus habere impediendi introductionem libertatis cultuum, ac proinde introductionem catholicæ Religionis; atqui hoc est absurdum: ergo.

Resp. Neg. ant. Objectio enim procedit ex hypothesi non minus impia quam falsa, eadem jura deberi veritati ac errori, bono, et malo; cum e contra recta ratio simul cum lege naturali præcipiat veritatem et bonum fovere, tueri, atque protegere, errorem et malum, præsertim quoad religionem, vitare et fugere. Itaque, qui societati hæreticæ vel infideli præsunt, jus et obligationem habent, non solum non obsistendi introductioni catholicæ Religionis, sed eandem amplectendi ac protegendi; a qua obligatione solum per accidens excusari possunt ex hypothesi ignorantiæ invincibilis circa veritatem Religionis; quæ quidem ignorantia apud principes et magistratus supremos nationum, præsertim hæreticorum, difficillime locum habere potest.

Objic. 5.° Ex libertate cultuum maxima beneficia et utilitates profluere nata sunt erga rempublicam, ipsamque catholicam Ecclesiam: ergo. Ant. constat. Nam: 1.° nationis divitiæ augentur ex affluentia pecuniæ (capitales) exterorum civium: 2.° Clerus catholicus perfectior evadit quoad scientiam et mores, ex conflictatione, et communicatione cum ministris aliarum religionum: 3.° Catholici sinceri ferventiorem pietatem ostendunt atque præ se ferunt, ut contingit in nationibus, in quibus viget cultuum libertas: 4.° Ecclesia ipsa ampliorem libertatem et independentiam a potestate civili sibi vendicat.

Resp. 1.° Hæc sunt præcipua quæ pro cultuum libertate adducere consuescunt rationalistæ, seu potius pro-

testantes et indifferentistæ, ex quibus ea plagiare amant ephemeridum scriptores, ac quidam pseudopolitici, queis cordi maxime esse videtur, cultuum libertatem in nostram catholicam Hispaniam invehere. Huic porro objectioni respondere sufficeret, mala, pericula, et incommoda, quæ ex introductione libertatis cultuum in catholica natione, qualis Hispania existit emanare nata sunt, graviora esse, longeque superare utilitates et beneficia, quæ in objectione oggeruntur, etiamsi hæc talia revera forent prout objiciuntur. Sed præterea breviter ad singula:

Respond. 2.° *Ad primum*. Pecuniæ exteræ (los capitales estrangeros) liberum accesum hodie obtinent ad nostram Hispaniam, non obstante unitate cultus et religionis. Quod si abundantius non affluunt, ex aliis causis est repetendum, non ex absentia libertatis cultuum; quandoquidem, cuilibet permittitur propriam religionem privatim sequi; immo etiamsi nullam profiteatur, nullam molestiam exinde patietur. Adde his, homines aliarum nationum ejusmodi pecuniariis negotiis deditos, ut plurimum, vix quidpiam curare de cultu publico religionis.

Ad secundum. Catholici ministri a ministris protestantibus vel aliarum sectarum nihil habent quod discant, nisi aut rationalismum, aut incredulitatem et atheismum, aut uxorem et liberos quærere, aut famem lucri et pecuniæ (1). Præterea, velle vel conari ad introductionem libertatis cultuum, ut ministri catholici majorem

---

(1) «¿Si querrán los policultistas que el Obispo anglicano Colenso, que no admite la divinidad de la Biblia, venga á reformar, y enseñar á nuestro Clero? Wiliam Cobbet ha demostrado hasta la evidencia que el clero anglicano solo tiene actividad para hacer dinero, y esto lo ha probado con números y con razones, á las cuales no se ha podido contestar. Y cuando los protestantes mismos se rien de la actividad de su clero para la vida espiritual, se quiere venir á presentarlo como un modelo para el nuestro?» La Fuente, *Op. cit.*, pag. 376.—77.

activitatem et illustrationem præseferant, idem est ac affirmare et supponere, utile ac conveniens esse, ut perpetua bella sint ad hoc ut experti duces ac fortes milites existant, aut conveniens esse abundare pestes et ægritudines inter homines, ut medici studiosiores, ac magis experti et sapientes evadant.

Ad tertium. In primis, etiam in nationibus in quibus viget unitas cultus, reperiuntur sinceri catholici pietatem ferventius colentes, et fortasse abundantius quam in illis apud quas viget libertas cultuum. Deinde, melius est *omnes* catholicos esse, ac proinde in via salutis æternæ, quamvis horum plurimi tepide vitam christianam agant, cum eis præsto sint auxilia et incitamenta ad resipiscendum in vita et in morte. Unde in natione, in qua viget unitas, sunt et christiani ferventiores, qui sunt in natione, in qua viget libertas; et præterea, *omnes* sunt in via facili salutis, quod in postrema non habet locum.

Ad quartum. Experientia quotidiana nimis ostendit, hanc assertionem prorsus falsam esse: quandoquidem videmus in Gallia, Italia, aliisque nationibus libertati cultuum subjectis, catholicam Ecclesiam, ejusque ministros majoribus restrictionibus, et vexationibus subjici, minorique independentia potiri quam in nostra Hispania, quæ unitati cultus adhæret. Imo vero, in Hispania ipsa, Ecclesia tum maxime vexatur, ac contra ejus independentiam, et jura attentatur, dum rempublicam gerunt illi, qui libertatem cultus tuentur, ac magnopere extollunt, et in votis habent.

ARTICULUS TERTIUS.

De Christi Ecclesia, prout est organum veræ religionis.

Amplissima est hæc tractatio, quam evolvere theologorum est munus. Quamobrem, simulque brevitatis lege coacti, nos eam summis tantum labris delibabimus, ut tyro christianæ Ethicæ, Ecclesiæ jura, hominisque officia præcipua erga illam possit agnoscere.

§ I.

De Ecclesiæ constitutione et natura.

Ut ergo Ecclesiæ constitutionem et naturam, per summa capita attingamus,

1.° Christus Dominus *in terris visus est, et cum hominibus conversatus est,* ut hominis lapsum repararet, hominemque eveheret ad supernam illam beatitudinem videndi Deum *sicuti est*, a qua per peccatum protoparentis defecerat. Hujus rei gratia instituit religiosam societatem pro omnibus hominibus et temporibus *usque ad consummationem seculi;* quam quidem societatem fidei doctrina, sacramentis, aliisque mediis, et auxiliis communivit, quamque ipsemet Christus invisibiliter, visibiliter vero in terris per ejus Vicarium Summum Pontificem regit, fovet atque conservat. Atque ejusmodi societas religiosa Ecclesiam catholicam constituit, extra quam

salus esse nequit, et quam proinde amplecti et profiteri cuncti homines obligantur. Cujus rei gratia,

2.° *Visibilem* Ecclesiam Christus effecit, quippe frustranea existeret ejus fundatio, nisi ab homine facile et tuto posset agnosci et dijudicari. Dijudicatur autem et agnoscitur apud homines, potissimum ex unitate, sanctitate, apostolicitate, catholicitate, quæ idcirco dicuntur notæ veræ Ecclesiæ a Christo constitutæ, quæ est, et dicitur,

a) *Una:* 1.° unitate corporis sub uno capite Christo in cælis, ejusque Vicario in terris: 2.° unitate fidei, et doctrinæ: 3.° unitate mediorum seu sacramentorum, et cultus, quibus ad unum, eumdemque finem supernaturalem homines diriguntur. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.*

b) *Sancta:* 1.° Sanctitate multorum membrorum, quæ vel manifeste apparet, vel miraculis ostenditur: 2.° ratione doctrinæ et sacramentorum, quæ sanctitatem edocent et producunt.

c) *Catholica:* 1.° ratione doctrinæ, quæ eadem, ac sibi perpetuo constans existit apud quævis tempora, loca, et personas: 2.° ratione loci, et personarum, quatenus omnes gentes, populos, ac cujusvis conditionis personas complectitur, et ad se vocat.

d) *Apostolica* denique; quia ab Apostolis fundata et propagata, ad nos usque pervenit perpetua et constanti successione Episcoporum, qui vel Apostolis subrogati sunt, vel ab eisdem ordinati, et missi.

3.° *Forma* Ecclesiæ est theocratia monarchica, simul cum aristocratica, et democratica. *Theocratia*, quia ejus supremum caput ac Princeps monarcha est ipsemet Christus, verus Deus, et homo, a quo præcipua et absoluta auctoritate, Ecclesia regitur et gubernatur. *Monarchica*, non modo quia Christus, ut nunc diximus, est supremus et absolutus ejus monarcha et Princeps abso-

luta auctoritate præditus, sed etiam quatenus supremam, ac independentem auctoritatem regendi et gubernandi Ecclesiam in terris, commisit et tradidit Petro, ejusque successoribus Romanis Pontificibus. *Aristocratica*, quatenus Christi Vicarius in partem sollicitudinis et ministerii gubernationis, adsciscere tenetur Episcopos, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei. Democratica* demum, tum quatenus summus Pontifex electione non jure hæreditario creatur; tum etiam quia et ipse, et Episcopi, et sacerdotes cum aliis ministris, ex omni populo, tribu, lingua, ac ex quavis conditione assumuntur (1). Cæterum, in electione Romani Pontificis, sola designatio personæ ad homines eligentes spectat; ast potestas ipsa gubernandi et regendi Ecclesiam, eidem a Christo ipso immediate confertur.

4.° *Finis* Ecclesiæ, quoad vitam præsentem est perfectio spiritualis hominis, ac ejus sanctificatio moralis per gratiam supernaturalem Dei, ac bona opera, quæ ex illa proficiscuntur. Quoad vitam futuram, est consecutio seu possessio supernaturalis Dei per intuitionem divinæ essentiæ. *Media* præcipua in hos fines adsequendos ab ipso Christo ordinata et constituta, sunt fides, gratia, sacramenta, et cultus divinus.

---

(1) «Sous le monarque éternel et invisible, le Christ, est un monarque visible et mortel, son vicaire, le Pape, qui a reçu de lui la pleine puissance de paître, et de règir l'Eglise universelle. Par son canal d'autres princes et pasteurs appélés en partage de sa sollicitude, reçoivent à paître et à régir des Eglises particulières, non pas comme ses vicaires ou lieutenants, mais comme princes, et pasteurs véritables. En fin, ni la papauté, ni l'episcopat, ni le simple sacerdoce n'est héréditaire. Tout se recrute dans le peuple, qui est toute l'humanité chrétienne. Le dernier peut devenir le premier. Un pêcheur de Galilée será le premier Pape, saint Pierre; un thrace deviendra le pape Cénon; le fils d'un charpentier de Toscane, le pape Gregoire VII; le fils d'un domestique anglais, le pape Adrien IV, un petit pâtre, le pape Siste V.» Rohrbacher, *Hist. de l'Eglis.*, tom. 1.°, p. 366.

Ex hucusque expositis circa Ecclesiæ constitutionem et naturam,

Infertur 1.° eam esse societatem, quæ gaudet omnimoda independentia a quavis auctoritate humana, seu civili societate; siquidem tota quanta est, jure divino, ac Dei voluntate et potestate consistit, quoad fundationem, propagationem, formam, doctrinam, cultum, sacramenta, finem, et media. Potestas autem Dei et jus divinum, humanæ potestati, aut juri civili non subjacent.

Infertur 2.° plenum ac perfectissimum ordinem hierarchicum præfatæ Ecclesiæ jure divino competere, qui hierarchicus ordo, ex summo Pontifice, Episcopis, sacerdotibus, ac inferioribus ministris coalescit et exurgit; quorum proinde potestas, in his quæ ad vitam spiritualem membrorum Ecclesiæ, hujusque gubernationem spectant, a nulla auctoritate humana imminui potest, aut licite coarctari.

Infertur 3.° Ecclesiam Christi vitam sibi propriam habere, simulque proprium et peculiarem organismum, quorum conservationem, incrementum, et expansionem, triplici potissimum ministerio perficit; quapropter sibi vendicat,

a) *Ministerium doctrinale* seu ministerium verbi Dei, quod ab Ecclesiæ ministris exercetur, ab unoquoque juxta proprium gradum seu conditionem, idque sive per prædicationem Evangelii, sive per decisiones doctrinales, interpretationem Scripturæ, proscriptionem errorum.

b) *Ministerium sacerdotale*, quo nomine designatur administratio sacramentorum, aliorumque mediorum, quibus supernaturalis gratia hominibus confertur, sive hæc interim sacramenta et media salutis a simplicibus sacerdotibus, ab Episcopis, aut ab aliis ministris administrentur aut conferantur.

c) *Ministerium legale*, seu ferendi leges, tum ad promovendam sanctitatem morum, tum ad conservandam,

fovendam unionem, et subordinationem membrorum Ecclesiæ, tum denique ut Ecclesiæ de idoneis ministris provideatur, qui apud fideles et infideles triplex hocce ministerium congrue exercere valeant.

Infertur 4.° Christi Ecclesiam constituere societatem religiosam, quæ naturalis, simul ac supernaturalis existit. *Naturalis* quidem appellari potest, tum quatenus coalescit ex hominibus, quos perficiendos assumit, non destruendos, cum supernaturalis gratia non destruat sed perficiat naturam ; tum præsertim quatenus adimplet insitam homini aspirationem ad infinitum, et veluti connaturalem propensionem ad cultum Deo exhibendum. *Supernaturalis* vero, quia ejus institutio, propagatio, finis, doctrina, sacramenta vires naturæ superant, et a Deo auctore *gratiæ* profluxere et profluunt. Quinimo, catholica Ecclesia constituit societatem omnium perfectissimam, ac veluti *ideale* illud societatis universalis a veteribus quibusdam philosophis, quos inter eminent Plato et Cicero, in votis habitæ et adumbratæ; quoniam ea est quæ hominem primævæ integritati et dignitati restituit, ipsum disponit ac evehit ad altissimum illum finem intuendi Deum facie ad faciem, ac proinde primam Veritatem, in qua continentur omnes veritates ; profundissima mysteria quæ in humana natura latent, explicat; hominis menti illustrationem, voluntati vires ad bonum morale, cordi amorem et sacrificium confert, infundit, inspirat; imperium pacis et justitiæ, violentiæ et belli imperio substituere amat, et præcipit ; veram æqualitatem et fraternitatem inter homines prosequitur, dum ad se vocat universum humanum genus, homines cunctos cujusque nationis, aut conditionis existant, in sinu suo excipiendo, imo et quærendo per suos ministros usque ad sanguinis effusionem.

§ II.

De juribus Ecclesiæ, hominumque officiis ex eis emanantibus.

Ex constitutione et natura Ecclesiæ superiori paragrapho expositis, difficile non est colligere quænam sint præcipua jura, quæ ipsi competunt, ac proinde quænam sint hominis officia seu obligationes erga ipsam ; cum obligatio seu officium, alterius partis juri necessario respondeat. Itaque

1.° Ecclesia jus habet prædicandi Evangelium ubique terrarum. Etenim, eo ipso quod Christus Ecclesiam constituit tamquam societatem religiosam universis hominibus necessariam ad vitam æternam, inest Ecclesiæ jus divinum se ipsam propagandi ac diffundendi per cunctas mundi plagas et regiones, ut ab universis hominibus possit agnosci. Quin et ipsemet Christus jus hocce ac munus eidem expresis verbis injunxit, dum Apostolis dixit: *Euntes docete omnes gentes... docentes eos servare quæcumque mandavi vobis.* Igitur, sive spectemus ordinationem et præceptum Christi, *cui data est omnis potestas in cælo et in terra*, sive spectemus finem et objectum fundationis Ecclesiæ, doctrinam necessario credendam, atque præcepta servanda ad æternam hominum salutem, quæ non nisi prædicatione Evangelii cognosci et obtineri queunt, evidens fit Ecclesiam sibi vendicare jus divinum ad prædicationem Evangelii quoad homines universos.

Huic juri Ecclesiæ respondet ex parte privatorum hominum, gravissima obligatio, seu officium amplectendi fidem, et mandata Christi, statim ac ea, ut Christi agno-

verint, vel agnoscere potuerint. Ex parte vero eorum qui præsunt aut regunt societatem civilem, respondet præterea officium non obsistendi prædicationi Evangelii, imo eandem protegendi ac fovendi; quæ quidem obligatio gravius urget Principes jam christianos, tum quia hoc obsequium debent Ecclesiæ ob beneficia multiplicia, quæ ex eadem reportarunt, et reportant; tum quia ex proprio officio tenentur protegere et fovere quidquid in bonum subditorum cedit.

Præterea, ex præfato jure Ecclesiæ derivatur ad ipsam et ad Principes catholicos, jus expugnandi Principes eos qui prædicationi Evangelii obsistunt. Nam si Ecclesia jus habet ubique, ac proinde in data natione prædicandi fidem Christi, injuriam patitur ab eo qui hocce violenter impedit, proindeque vicissim Ecclesia ejusque filii jure gaudent injuriam repellendi.

2.° Ecclesia jus habet condendi leges ad congruam societatis fidelium gubernationem, eorundemque spirituale bonum. Hæc potestas Ecclesiæ collata est ab ipso Christo, ut constat apertissime in Sacra Scriptura et consectarium necessarium existit constitutionis et organismi Ecclesiæ, quæ utpote societas in suo ordine perfectissima, potestatem legislativam suæ naturæ respondentem necessario sibi vendicat, ita ut ejus leges non modo vim præceptivam, sed coactivam quoque obtineant, quippe jus habet easdem sanciendi pœnis spiritualibus, idque mandato, et jure divino, prout ex Evangelio, et Apostolorum doctrina, et factis, satis constat.

Cui sane Ecclesiæ juri respondet ex parte membrorum ejus, cujuscumque sint conditionis: 1.° *officium obedientiæ* et sumissionis; quoniam si Ecclesia a Christo Domino potestatem legislativam accepit, Christi ordinationem transgrediuntur qui ejus legibus non parent, ita ut qui *Ecclesiam non audierit*, sive Princeps sit, sive simplex fidelis, haberi possit *sicut ethnicus et publicanus.*

2.° *Officium libertatis* ex parte magistratuum seu potestatis civilis. Et revera quidem, si fideles omnes, cujusvis sint gradus et conditionis, obedire tenentur legibus Ecclesiæ utpote ad bonum spirituale ipsorum ordinatis, potiori ratione tenebuntur ejus potestatem legislativam non impedire; quod enim ab ipso Christo Deo Ecclesiæ collatum est, nulla auctoritate humana licite præpediri potest.

Infertur ex his, injuriam in Christum ejusque Ecclesiam atque divina jura admittere, suoque officio deesse Principes christianos, horumque ministros, qui Ecclesiæ leges, decreta, aut constitutiones circa fidem, mores, et disciplinam, publica reddi non sinunt, nisi in casibus, et quoad ea tantum, quæ Ecclesia ipsa, vel summi Pontifices ex privilegio, vel gratia concessere.

3.° Ecclesia vendicat sibi jus divinum, infallibilemque auctoritatem ad decernendum circa doctrinam fidei et morum, utpote *columna* et *firmamentum veritatis*, quoad conservandas, tuendas, interpretandas, definiendas veritates eas supernaturales, sine quibus Ecclesia a Christo fundata consistere nequit, et quarum ope homines ad spiritualem destinationem vitæ præsentis et futuræ perveniunt, et evehuntur. Exinde enascitur: 1.° officium quoad homines, sive privatos, sive publicos, fide divina credendi ejusmodi veritates ab Ecclesia propositas, easdemque ad praxim revocandi dum mores spectant. 2.° Quoad Principes, et magistratus catholicos, enascitur officium cohibendi publicationem et diffusionem doctrinarum, quæ veritatibus ab Ecclesia definitis et propositis adversantur; cum ejusmodi doctrinæ cedant in nocumentum et perniciem subditorum, quorum bonum ipsi procurare tenentur, ac præterea qua *catholici* principes, obedientiam, obsequium, et protectionem catholicæ veritati debent.

4.° Ecclesia jus habet invigilandi ac in examen vo-

candi doctrinam publicam, ac proinde jus interveniendi in Universitatibus, Collegiis, aliisve locis quæ a suis membris frequentantur. Nam secus, nec congrue exercere potest jus divinum infallibiliter definiendi et declarandi veritatem circa fidem et mores; nec fideles sibi commissos in ordine ad æternam salutem congrua ratione regere posset et pascere. Ergo injustitiæ rei sunt, suoque officio erga Dei Ecclesiam deficiunt magistratus et Reges nationis catholicæ qui, aut interdicunt, aut non protegunt interventum summi Pontificis, et Episcoporum, quoad publicam doctrinam (enseñanza pública) seu juventutis instructionem. Profecto, præstandum id esset a christianis Principibus non modo propter jus Ecclesiæ, sed et propter propriam utilitatem, et animi gratitudinem. Propter propriam utilitatem; quia ex doctrina et interventu Ecclesiæ in publica instructione, homines discunt Principibus et magistratibus subjici et obedire, non propter timorem pænæ, sed ex conscientiæ imperio et persuasione, seditiones publicæ proscribuntur, tumultus, perturbationes politicæ, crimina vitantur. Propter animi gratitudinem; tum quia scientiarum initium, incrementum et evolutionem, indeficienter, totisque viribus constanter Ecclesia catholica promovit, tum quia Universitates et Collegia scientiis dicata, ab eadem vel fundationem, vel proventus, privilegia, et beneficia maxima ex parte acceperunt, prout historia luculenter testatur.

Infertur ex dictis, prorsus rejiciendum esse tamquam repugans, non modo juribus Ecclesiæ quoad sua membra, sed ipsi libertati sociali et politicæ hominis, monopolium illud doctrinæ (monopolio universitario de la enseñanza) quod Universitates hodiernæ sibi arrogare contendunt, quasi infallibilitate doctrinali universim præditæ essent. Porro monopolium hocce universitarium, ex duplici præsertim capite originem ducit: 1.° ex Protes-

tantismo, qui ad vetus Cæsarismum vergit atque tendit, omnia civium jura, sive sacra, sive profana in rempublicam ipsam, seu ejus præsidentem transferre satagens: 2.° ex rationalistarum ac impiorum hominum odio in Ecclesiam catholicam, quippe hac ratione salutaremejus influxum in mentes et corda hominum ope instructionis ac educationis juventutis, evacuare penitus optant.

5.° Ecclesia jus habet acquirendi, ac cum proprietatis dominio possidendi bona temporalia. Nam 1.° Si jus istud agnoscitur in aliis societatibus, ac in individuis, potiori ratione agnoscendum est in Ecclesia Christi, quæ perfectissima societas existit, majoremque independentiam, ac perfectiorem organismum ex sua natura sibi vendicat. Deinde, Christi Ecclesia sine divino cultu consistere nequit; at cultus divinus, et sustentationem ministrorum, et templa, vasa, aras, aliaque postulat, quæ sine possessione et dominio temporalium bonorum, congrua ratione obtineri nequeunt. Ergo *officium* Regis et magistratus catholici est conservare et tueri jus hocce Ecclesiæ acquirendi et possidendi temporalia bona. Quod si aliquando incommoda aliqua ex hoc promanare existimentur, remedium eis adhibere oportet, non per vim aut ex propria auctoritate, sed de consensu ipsius Ecclesiæ, qui ab ea nunquam denegatur, dummodo Principis petitio rationi sit consentanea.

Atque ex his jam facile colliget quispiam sanæ mentis homo, *desamortizationem* illam, ut ajunt, bonorum Ecclesiæ, qua hodierni gubernantes maxime delectantur, nihil esse aliud, quam veram ac violentam spoliationem adversus jura Ecclesiæ, ipsique naturali legi repugnantem; namque, ut Grotius ipse fatetur, (1) «dominium ex qualicumque causa ortum sit, suos semper effectus

(1) *De Jure Belli et Pac.*, lib. 3.°, cap. 2.°

habet, ex ipso jure naturali, ut scilicet, auferri nequeat, nisi ex causis, quæ aut dominio insunt, aut ex dominorum facto ortum habent. »

Corollaria :

1.m Ergo principium fundamentale relationum inter Ecclesiam et societatem civilem, constituendum est in absoluta distinctione ac independentia, simul cum dependentia quadam relativa. Absolutam distinctionem et independentiam præ se ferunt, quatenus utriusque origo immediata, finis, destinatio, ministri, media, sunt prorsus distincta. Dependentiam relativam, quatenus, sicut catholici homines, ipsique ministri Ecclesiæ subjiciuntur legibus et magistratibus civilis societatis, cujus sunt membra, quoad temporalia atque justas leges civiles, ita vicissim magistratus, ipsique Reges subjiciuntur legibus ac ministris Ecclesiæ, quoad negotia spiritualia.

2.m Ejusmodi absoluta distinctio inter utramque potestatem, non modo profluit ex ipsa utriusque diversa natura, sed est veluti fundamentum, primaque conditio *sine qua non* libertatis, tam individualis, quam politicæ, (1) quæ absque utriusque potestatis separatione et independentia periclitantur.

---

(1) Qua in re consentientes habemus Guizot, aliosque illustrioreé politicos, et scriptores, quos inter Buchez hæc scribit : « On a essays de nos jours de nier la necesité de cette distinction, et l'on n'a pas vu qu' en le faisant on niait un des progrès les plus positifs, et les plus incontestables des temps modernes. Qué résulterai-t-il, en effet, de la confusion de deux pouvoirs? En premier lieu, il arriverait, d'un côté, que la societé religieuse perdrait son caractère d'universalité... de l'autre que les nations privées du bien spirituel, isolées par leurs intérêts religieux comme par leurs intérêts politiques, retomberaient dans les sentiments d' hostilité et d' exclusion réciproque propres aux peuples anciens... En fin la garantie la plus puissante de la liberté de tous serait anéantie... une même domination s'appesantirait sur l' âme, et sur le corps, et tout recours serait enlevé au droit individuel. Ce que nous venons de dire n' est pas d' ailleurs une pure hypothèse fondée

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

3.m Principes igitur sæculares nullum *jus in sacra* sibi vendicant, aut vendicare possunt quoad catholicam Ecclesiam, nisi ex hujus aut privilegio, aut permissione. Quod si quidam recentiores pseudopolitici aut jurisconsulti, præfatum jus Principi adjudicant, theoriam istam hauserunt ex absurda illa maxima protestantica: *Cujus est regio, illius est religio:* quasi hæc ex mutatione regionis, vel voluntatis Principis mutanda esset, vel quasi spirituale corporali, internum externo, æternum temporali, Deus homini subjicienda forent.

---

seulement sur des déductions logiques et denouée de preuves positives. L'expérience est faite et le passé offre des exemples nombreux des faits que nous signalons; l' histoire du califat surtout en est la démonstration évidente...

Parmi les Etats chrétiens fondés sur des principes analogues, nous citerons la Russie. Si, dans ce pays, le moment de la décadence n' est pas arrivé, si l'expansion conquérante dure encore, la réunion des deux pouvoirs a néanmoins produit déjà un de ses effets, le despotisme barbare, et impitoyable qui, chaque jour, se manifeste a l' Europe par quelque iniquité nouvelle.» *Encyclop. du XIX siècle*, tom. 20, pag. 286.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

CAPUT SECUNDUM.

DE OFFICIIS HOMINIS QUA SOCIALIS.

ARTICULUS PRIMUS.

De origine societatis civilis, et supremæ potestatis ejus.

Prænotanda:

1.° Aliud est vestigare originem societatis civilis secundum se spectatæ, seu quatenus significat associationem plurium hominum et familiarum, ut communem vitam politicam et civilem agant; aliud vestigare originem supremæ potestatis, qua multitudo ista regitur, et ad commune bonum dirigitur.

2.° Origo societatis civilis, alia est *historica*, nempe, factum illud a quo occasionem duxit, eaque varia existit pro varietate rerum, factorum, vel circumstantiarum, quæ constitutionem politicam hujus vel illius societatis determinarunt. Quorum quædam, non omnia, expressit Cicero his verbis: (1) « Subjiciunt se homines imperio alterius et potestati, pluribus de causis. Ducuntur enim aut benevolentia, aut beneficiorum multitudine, aut dignitatis præstantia, aut spe id sibi utile futurum, aut metu, ne vi parere cogantur, aut spe largitionis, promissionisque capti. » Alia est origo *philosophica* seu ra-

(1) *De Offic.* Cap. 6.°

tionalis, qua continetur et exprimitur prima ratio sufficiens civilis societatis, ejusque fundamentum rationale. Atque de hac postrema hic sermo habetur.

THESIS 1.ª

Origo societatis civilis repetenda est ex ipsa hominis natura.

Prob. 1.° Inest homini inclinatio naturalis et spontanea ad agendam vitam socialem et politicam cum aliis, prout habetur sive dignoscitur aperte: 1.° ex eo quod sponte quærit aliorum hominum convictum et societatem, ex qua vehementem voluptatem accipit: 2.° ex amore patriæ, qui homini naturalis existit, quique civilem ac politicam societatem respicit et supponit: 3.° ac præsertim, quia impossibile est quod homo sibi congrue subveniat, nec etiam quoad ipsas necessitates physicas vitæ, nisi ex consortio atque politica communicatione cum alio, ex qua, et per quam ratione distributionis virium, sive per *divisionem laboris*, unusquisque sibi congrue et facile providere potest de necessariis et utilibus ad vitam. Unde merito D. Thomas (1) «Naturale est homini, ut sit animal sociale, et politicum in multitudine vivens, quod ejusdem naturalis necessitas declarat. Aliis enim animalibus natura præparavit cibum, tegumenta pilorum, defensionem, ut dentes, cornua, ungues, vel saltem velocitatem ad fugam. Homo autem institutus est nullo horum sibi a natura præparato, sed loco omnium data est ei ratio, per quam sibi hæc omnia officio manuum posset præparare, ad quæ omnia præparanda unus homo non sufficit; nam unus homo per se sufficienter vitam transigere non posset. Est igitur ho-

(1) *De Regim. Princ.*, lib. 1.°, Cap. 1.°

mini naturale, quod in societate multorum vivat. Amplius: aliis animalibus insita est naturalis industria ad omnia ea quæ sunt eis utilia, vel nociva... Homo autem horum quæ sunt vitæ suæ necessaria, naturalem cognitionem habet solum in communi, quasi eo per rationem valente (quatenus potest rationis ope) ex universalibus principiis ad cognitionem singulorum, quæ necessaria sunt humanæ vitæ pervenire. Non est autem possibile, quod unus homo ad omnia hujusmodi per suam rationem pertingat. Est igitur necessarium homini quod in multitudine vivat, ut unus ab alio adjuvetur, et diversi diversis inveniendis (ecce divisionem laboris) per rationem occupentur, puta, unus in medicina, alius in hoc, alius in alio.»

Prob. 2.° ex inclinatione *rationali* hominis, quæ non minus quam naturalis ea et spontanea quoad sensibilia et necessaria vitæ physicæ, hominem impellit ad civilem societatem. Etenim homo, utpote ens intellectuale et morale, cui, ut aptissime loquitur D. Thomas, *loco omnium data est ratio*, sibi vendicat naturalem inclinationem ad perficiendum seipsum per evolutionem et culturam facultatum intellectualium et moralium; atqui hoc non nisi imperfectissime obtineri potest, nisi ope societatis civilis, in qua per disciplinam aliorum, per convictum socialem, et litterarium, per exempla virtutum, et vitiorum omnis generis, ac per mutuam communicationem conceptuum ope sermonis, instruitur mediis congruis ad seipsum intellectualiter et moraliter perficiendum, et evolvendum: ergo sicut inest homini per naturam inclinatio ad civilem societatem propter necessitates physicæ ac sensibilis vitæ, ita et potiori ratione propter necessitates intellectualis et moralis vitæ.

Prob. 3.° ex facultate sermonis articulati, quæ homini per naturam inest. Hæc quippe facultas aperte veluti a *posteriori* demonstrat et innuit, hominem factum, ac

constitutum per naturam ad degendam vitam socialem cum aliis hominibus, quibuscum mutuo ac reciproca ratione, proprios ac internos conceptus communicet. Scite ad rem D. Thomas: (1) «Hoc etiam evidentissime declaratur per hoc quod est proprium hominis locutione uti, per quam unus homo aliis suum conceptum totaliter potest exprimere. Alia quidem animalia exprimunt mutuo passiones suas in communi, ut canis in latratu iram... Magis igitur homo est communicativus alteri, quam quodcumque aliud animal, quod gregale videatur ut grus, formica, et apis.»

Corollaria:

1.m Ergo rationi et experientiæ simul adversatur, Hobbes sententia, qua statuit, homini naturale existere extra societatem, ac ab aliis hominibus segregem vitam agere.

2.m Nec minus absurde adjecit idem Hobbes, civilem societatem non aliam originem agnoscere nisi bellum aut violentiam fortioris contra alios. Nam id si accipiatur quoad originem philosophicam societatis, falsum demonstratur ex dictis; si accipiatur, aut de origine historica, aut de origine potestatis supremæ in societate civili, locum habere potest quoad singularem casum, minime quoad omnes.

3.m Ergo absurdum similiter est *pactum illud sociale* Rousseau, quod politici quidem recentiores ac rerum publicarum scriptores, amplectuntur atque summopere extollunt. Siquidem, theoria illa *pacti socialis*, tota quanta est, innititur hypothesi hominis cui naturale sit extra aliorum societatem, ac segregis, ferarum more, vitam agere. Quæ quidem hypothesis, non modo gratuita prorsus, sed rationi, experientiæ, ipsique naturæ humanæ,

---

(1) *Loc. cit.*

repugnans et opposita, ex thesis probationibus demonstratur.

THESIS 2.ª

Suprema potestas, qua regitur civilis societas, originem ducit immediate ex jure humano, mediate vero ex jure divino, seu ex Deo auctore naturæ humanæ.

Prob. 1.ª pars. Nec Deus, nec natura præcipiunt potestatem supremam societatis civilis obtineri ab hoc, vel illo homine; imo vero nec designant aut præcipiunt formam determinatam quoad possessionem, et exercitium prædictæ potestatis, quæ ab uno, vel pluribus, idque adhuc diversimode obtineri et exerceri potest. Ergo ejusmodi suprema potestas non nisi ex hominum associatorum voluntate originem immediatam potest ducere. Ergo potestas suprema, qua societas civilis regitur, si in concreto spectetur, oritur ex conventione hominum, ex quibus societas illa coalescit; quæ quidem conventio, vel tacita, vel expressa, vel etiam juridica esse potest, ut dum una societas vel natio alteri aggregatur ope belli justi; si enim bellum sit injustum, suprema potestas non ex subditorum juridica saltem voluntate, sed *injusta usurpatione* habetur, quæ nullum jus legitimum præsefert.

Prob. 2.° Suprema potestas civilis profluit immediate a jure humano, sive quoad designationem personæ, sive quoad formam regiminis spectetur. Quoad designationem personæ, quia, ut optime habet Bellarminus, «sublato jure positivo, non est major ratio cur ex multis æqualibus, unus potius quam alius dominetur.» Quoad formam regiminis, quia, ut idem subdit, «pendet a consensu multitudinis constituere super se Regem, vel Consules, vel alios magistratus, ut patet; et si causa legitima adsit, potest multitudo mutare regnum in aristocratiam, aut democratiam, et e contrario.»

Prob. altera pars. Primo enim ea haberi potest corollarium legitimum præcedentis thesis. Cum enim indubium sit, multorum hominum societatem, nec firmam et ordinatam consistere posse, nec associatorum hominum commune bonum et commoda procurare et tueri, nisi adsit suprema aliqua potestas, qua ordo et firmitas societatis conserventur, jura singulorum in tuto collocentur, commune omnium bonum, commoda, et utilitates promoveantur, colligere pronum est, publicam potestatem secundum se spectatam, eandem originem sibi vendicare, ac ipsa civilis societas, cujus est veluti conditio essentialis, quæque nec constitui, nec consistere potest sine illa. Atqui origo societatis est ipsamet natura hominis, vel si malueris, Deus auctor hujus naturæ: ergo quamvis suprema potestas, prout per hanc vel illam personam, sub hac, vel illa forma exercetur, ortum ducat immediate ex jure, vel voluntate hominum, mediate et radicaliter originem ducit ex jure naturæ, sive ex Deo, auctore humanæ naturæ.

Infertur ex dictis, supremam potestatem civilem, si in concreto et adæquate spectetur, coalescere ex duplici elemento, quorum unum est humanum, alterum divinum et naturale. Ratione prioris, societas civilis ac suprema potestas, qua regitur, mutabilitati et variationi est obnoxia, tum quoad designationem personæ, tum quoad limites, modum, et tempus potestatem exercendi, tum quoad formam sive organismum societatis. Ratione elementi divini, et naturalis, immutabilitatem quandam et necessitatem sibi vendicat: atque ex hoc fonte emanant jus ferendi leges, et cogendi populum ad earum observantiam, facultas puniendi etiam pœna mortis, vel obligandi in conscientia ad servandas leges justas, cætera hujusmodi.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objicies 1.° adversus 1.am thesim. Si hominum civilis societas ex ipsa natura humana originem duceret, repugnaret legi naturali, illicitaque redderetur vita hominum illorum qui, vel in desertis eremiticam, vel in cœnobiis religiosam vitam degunt: ergo. Prob. ant. Nam homines illi separati existunt a reliquis hominibus in societate degentibus, nec quidquam conferunt ad commune bonum, et perfectionem ejus: ergo.

Resp. Neg. ant. Ad prob. neg. ant. Homines de quibus objectio, separantur quidem a consortio aliorum hominum quoad relationes illas inferioris ordinis, quæ habentur in theatris, in plateis, in choreis, aliisque hujusmodi, quæ nimium ab hominibus frequentantur; sed minime separantur ab iis quoad relationes eas superioris ordinis, quæ sunt veluti fundamentales respectu societatis, imo ex quibus hæc maxime perficitur, ut quoad vitam politicam, victum, cibum, vestitum, scientias, virtutes morales, cultum divinum, auxilium, solamina, beneficia omnis generis præstanda cæteris civibus, in vita, in morte, in domo, in templo, ubique demum, et quoad omnia sive temporalia, sive spiritualia. Atque exinde jam facile constat, quam inepte, ne dicam impie, adseratur ejusmodi homines ad commune bonum civilis societatis nihil conferre, aut ipsum non promovere. Promovent sane, idque multo verius, vehementius, ac efficacius, quam illi ipsi qui religiosorum cœtus quasi inutiles societati traducunt. Adde his, speciatim quoad ipsos eremitas rigurose acceptos, utilissimum societati esse, existire homines, qui officiis erga Deum et cultum divinum adimplendis, data opera vacent, Deique miseri-

cordiam et beneficia pro tota societate, ejusque membris deprecentur, sicut utilissimum societati habetur, existere milites qui eandem adversus hostes propugnent.

Objic. 2.° cum Rousseau. Societas civilis exurgit ex ordine sociali hominum; sed socialis ordo apud homines, originem non ducit ex natura: ergo. (1)

Resp. Neg. min. Ex probationibus duarum thesium adductis, satis constat, non modo civilem societatem hominum, sed ipsam supremam potestatem, qua regitur, si secundum se, abstrahendo a personis, et formis determinatis, spectetur, ex hominis natura, naturalique inclinatione sua sponte necessario profluere. Ac ad postremam quidem quod attinet, quam præcipue Rousseau convellere pertentat, quisque facile videt esse consectarium conditionemque essentialem hominis qua socialis vitæ ex natura idoneus. Namque, ut optime habet D. Thomas, (2) «si naturale est homini quod in societate multorum vivat, necesse est in hominibus esse, per quod multitudo regatur. Multis enim existentibus, et unoquoque id quod est sibi congruum providente, multitudo in diversa dispergeretur, nisi etiam esset aliquis de eo quod ad bonum multitudinis pertinet, curam habens, sicut et corpus hominis, et cujuslibet animalis defluereret, nisi esset aliqua vis regitiva communis in corpore, quæ ad bonum commune omnium membrorum intenderet.»

Objic. 3.° adversus alteram thesim. Si suprema potestas in concreto ex jure humano immediate oriretur, sequeretur eos qui eandem obtinent, a populo dependere, ac proinde posse ejusmodi potestate privari; atqui hoc

---

(1) «L'ordre social, inquit ille, est un droit sacré qui sert de base à tous les autres. Cependant, ce droit ne vient point de la nature: il est donc fondé sur des conventions.» *Du Contr. soc.*, lib. 1.°, cap. 1.°

(2) *De Regim. Princ.*, lib. 1.°, cap. 1.°

minime admittere oportet, cum seditionibus politicis, ac injustis viam sternat: ergo.

Resp. Dist. ant. Posse ejusmodi potestate privari *quoad eos qui præsunt ex vi electionis populi ad determinatum tempus*, conc. *quoad eos qui præsunt aut jure hæreditario, aut sine determinatione temporis*, subd. *si adsit legitima causa, ac cum determinatis adjunctis*, conc. *secus*, neg. Ut æquivocationi non sit locus, ac sensus solutionis capiatur, hæc adnotare liceat: 1.° Si sermo sit de iis qui societati præsunt ex populi electione ad certum aut determinatum tempus, ut contingere solet in societate, quæ *Respublica* dicitur, transacto tempore præfixo, licite possunt ii potestate privari, etiamsi nullam specialem causam dederint. 2.° Si sermo sit de iis qui supremam potestatem absque limitatione temporis exercent, ut contingit in Regibus, vel hanc potestatem obtinuerunt ex populi electione, excludendo positive jus hæreditarium, prout in veteri Polonia contingebat; et tunc ea privari nequeunt dum vivunt, nisi legitima causa, ac adjuncta quædam adsint; attamen hæc suprema potestas a populo dependet, quatenus post mortem regis eam libere committit vel tradit alteri: vel supremam potestatem obtinuerunt ex jure hæreditario ipsis collato; et tunc quia populus supremam potestatem simul cum jure hæreditario, ac proinde non solum primo regi, sed ejus successoribus, contulit atque in perpetuum commisit, eundem hac potestate licite privare nequit, nisi legitima ac sufficiens causa pro rei conditione adsit.

Jam vero, legitima causa hic solum esse potest abusus potestatis per tyrannidem, si tamen simul adsint conditiones et adjuncta quædam, quæ ut cum D. Thoma exponamus:

1.° Opus est ut interveniat non quilibet abusus potestatis, sed abusus ita notabilis, ut tyrannidem fere intolerabilem constituat: « Et quidem si non fuerit exces-

sus tyrannidis, utilius est remissam tyrannidem tolerare ad tempus, quam in tyrannum agendo, multis implicari periculis, quæ sunt graviora ipsa tyrannide: potest enim contingere, ut qui contra tyrannum agunt, prævalere non possint, et sic provocatus tyrannus magis desæviat. Quod si prævalere quis possit adversus tyrannum, ex hoc ipso proveniunt multoties gravissimæ dissensiones in populo, sive dum in tyrannum insurgitur, sive post dejectionem tyranni, erga ordinationem regiminis multitudo separatur in partes.» (1)

2.° Populus nequit licite insurgere adversus regem, etiam tyrannum, si aliter remedium possit afferri, prouti per consilia, et minas aliorum regum, maxime vero, si possit ad superiorem recurri. «Si vero ad jus alicujus superioris pertineat multitudini providere de rege, expectandum est ab eo remedium contra tyranni nequitiam.»

3.° Si nullum aliud suppetat remedium contra intolerabilem tyrannidem, potest quidem tyrannus potestate privari; ad id tamen procedendum est non ex tumultuaria populi seditione aut privata aliquorum voluntate, sed ope, et consilio eorum hominum, vel collegiorum, ad quos maxime spectat pro societatis diversa natura, conditione, et forma regiminis, communi saluti prospicere. «Contra tyrannorum sævitiam, non privata præsumptione aliquorum, sed auctoritate publica procedendum.» (2)

4.° Tandem ejusmodi privatio potestatis per simplicem depositionem, aut limitationem fieri debet; ast minime per mortem tyranni, saltem quoad tyrannum per abusum potestatis, quidquid sit de tyranno usurpationis.

---

(1) *Loc cit.*, cap. 6.°
(2) *Ibid.*

« Si sit intolerabilis excessus tyrannidis, quibusdam visum fuit, ut ad fortium virorum virtutem pertineat tyrannum interimere, seque pro liberatione multitudinis exponere periculis mortis... Sed hoc apostolicæ doctrinæ non congruit... Quod si omnino contra tyrannum auxilium humanum haberi non potest, recurrendum est ad regem omnium Deum, qui est adjutor in opportunitatibus, in tribulatione. » (1)

Adque ex doctrina hic exposita infertur: 1.° difficile admodum esse, quamvis non penitus impossibile, locum habere causas omnes, et conditiones, quæ exiguntur ad privandum regem potestate publica: 2.° doctrinam D. Thomæ de re hac, nec tyrannidi, nec seditionibus, ac tumultibus politicis favere, ita ut utrumque periculum et extremum fugiat, ac reprobationis nota insigniat.

SCHOLIUM.

Ex his quæ disseruimus, tum alibi de lege naturali, tum in hocce articulo, satis liquet prorsus rejiciendam esse theoriam illam *suffragii universalis*, ut vocant, quam recentiores politici magnopere amant, extollunt, et opere prosequuntur, idque triplici potissimum ratione: 1.° Quia adversatur rectæ rationi et juri naturæ; quippe apud theoriam istam, voluntas hominis habetur de facto tamquam regula et mensura justi et honesti; et tamen indubium est, justum et honestum non ex voluntate hominis, sed ex lege naturæ derivari; non juxta voluntatis placitum et arbitrium, sed juxta rectæ rationis dictamen esse dijudicandum et efficiendum. 2.° Quia præfata theo-

(1) *Ibid.*

ria innititur hypothesi æqualitatis hominum, ex quibus societas civilis coalescit; quam quidem hypothesim, non gratuitam modo, sed absurdam quoque ratio et experientia simul ostendunt. (1)

3.° Quia applicatio hujus theoriæ non aliter fit, nec attenta hominis conditione, aliter fieri potest, nisi quatenus multitudo a paucis quibusdam dolo, fraudibus, violentia, promissionibus, deceptione, circumvenitur, ac determinatur ad aliquid agendum.

4.° Quia in praxi ejusmodi theoria solummodo inservit ad larvandam ambitionem, ad communicandum similitudinem legalitatis injustissimis bellis, quibus debiliores a potentioribus contra jus humanum et naturale debellantur, opprimuntur, spoliantur, prout hac nostra ætate in Italia maxime contingit.

---

(1) Apposite ad rem Taparelli: «Si todas estas razones os pareciesen simplezas propias de estúpidos mas que de idiotas ¿cómo justificareis la asercion de aquellos que creen haber igualado á los ciudadanos ante la ley por haberles concedido el derecho de depositar una papeleta igual en la urna?... A mí que me estoy en casa ignorante, é ignorado, sin conocer ni electores, ni elegibles, me poneis en la mano una papeleta, con la que un intrigante haria milagros como un cubilete ro, mientras que yo no sabré hacer mas que despropósitos, dando quizá el voto á alguno que esté dispuesto á venderme á mí, á mi familia, á mi parentela, á mi pueblo, á mi provincia, y tal vez á mi patria por conseguir una cartera, ó un puñado de oro... Igualad primero el talento en las cabezas, la fuerza en los brazos, el número en las familias, las ramificaciones en los linages, las influencias en las profesiones, la estension en las relaciones, y despues podreis hablarme de la justicia del sufragio universal... Solo falta una ampliacion del sufragio, y no hay que dudarlo, pronto se añadirá á las anteriores: «Todos tenemos derecho á la felicidad; cada uno tiene un modo particular de sentirla y poseerla, todos por consiguiente tenemos igual derecho al mando.» Hé aquí el último término á que tiende la teoría del sufragio universal: disolucion universal de la sociedad, abandono de los miserables al fraude de los tramposos, abandono del órden á la violencia de los fuertes.» *Ensayo Crit. del Gob. Rep.*, t. 1.°, pág. 115, 16, 17, Edic. Pens. Esp.

ARTICULUS SECUNDUS.

De scopo et organismo societatis civilis.

§ I.

De scopo civilis societatis.

Mirum profecto, at non minus verum in diversas sententias philosophos abisse circa scopum civili societati præfigendum. Nam ut veteres scholasticos mittamus, quorum plurimi formula nimis communi et vaga utentes, scopum civili societati assignabant, *bonum commune*, *publicam utilitatem*, *bonum multitudinis*, reliqua hujusmodi, quidam e recentioribus eundem reponunt in progressu naturæ humanæ; alii in omnimoda securitate multitudinis associatæ; quidam in successiva evolutione libertatis individualis; quidam vero in evolutione et applicatione principii justitiæ; alii in securitate et evolutione æqualitatis, simulque in organizatione communi laboris: (1) alii demum alias proferunt et tuentur sententias, quas, quia expendere non licet ex hujus operis

(1) Quam sententiam amplecti videtur Lamennais, dum scribit.= "Quel est le but de l' association entre les familles primitivement indépendantes? Une plus forte garantie de l'egalité et de la liberté... un acroissement de bien-être par l' organisation du travail commun.» *Le Livre du Peuple*, §. 13.

conditione et præfixis limitibus, quid nostra ferat sententia de re hac, paucis exponemus. Itaque,

1.° Nobis ea insidet opinio, finem seu scopum civilis societatis, reponendum esse *in perfectione naturali hominis qua ens morale*. Et re vera quidem, primum quod homo ex societate ac in societate obtinere intendit, est seipsum *perficere*, seu perfectius esse, vivere, et operari, quam dum solitarius, ac segregis existit. Dico *naturali*, quia civilis societas nonnisi ad perfectionem et media ordinis naturalis ex propria natura pertingit: *ex propria* inquam, *natura*, quia per accidens, seu ex hypothesi quod christiana existat, perfectionem, mediaque supernaturalia indirecte attingit. Addo *hominis qua ens morale;* tum quia perfectio moralis includit et præsupponit perfectionem physicam et intellectualem tamquam, conditiones et media; tum quia hominis perfectio tam physica, quam intellectualis subordinantur perfectioni morali, ad quam tamquam ad proprium finem diriguntur ac ex propria natura tendunt.

2.° Hic porro finis omnes eas conditiones complectitur, quas in scopo civilis societatis quærere et assignare oportet. Nam: 1.° quoad substantiam non discriminatur, sed quodammodo identificatur cum fine singulorum hominum, ex quibus societas coalescit: 2.° ejus adsecutio juvari, ac promoveri nata est ope civilis societatis, atque per hujus vim et organismum: 3.° distinguitur tum a scopo societatis religiosæ, cujus est bonum divinum et supernaturale procurare, tum a fine ultimo societatis civilis, ac hominis uniuscujusque, qui est vita æterna seu beatitudo suprema per possessionem Dei: 4.° non tamen opponitur ejusmodi duobus finibus, sed potius est veluti via et præparatio quædam ad illos: 5.° constituit normam primariam boni regiminis; quod quidem eatenus bonum, proficuum, et rationabile existit, quatenus congrua media adhibet ad promovendum et conservandum perfe-

ctionem hominis, qua ens morale: unde fini a nobis asignato optime congruit esse criterium fundamentale et primarium ordinis socialis, et politici.

3.° Nec quis existimet scopum societati civili a nobis hic præfixum et assignatum, differre ab eo, quem D. Thomas eidem assignat; imo adamussim quoad rem significatam cum eo consentit. Audiantur ejus verba: (1) «Ad hoc enim homines congregantur, ut simul bene vivant, quod consequi non posset unusquisque singulariter vivens: bona autem vita est secundum virtutem: virtuosa igitur vita est congregationis humanæ finis.» (2)

4.° Igitur finis societatis civilis ex duobus veluti elementis coalescit; quorum primum est actio secundum virtutem, quæ exurgit ex evolutione et perfectione facultatum intellectualium et moralium hominis; alterum vero, copia bonorum externorum et corporalium, quæ sunt veluti media necessaria ad evolutionem et perfectionem prædictarum facultatum, ac proinde ad perfectionem hominis, qua ens morale. Unde jure merito D. Thomas: (3) «Ad bonam autem unius hominis vitam duo requiruntur, unum principale, quod est operatio secundum virtutem; virtus enim est qua bene vivitur: aliud

---

(1) *De Regim. Princ.*, lib. 1.°, cap. 14.

(2) In re hac, sicut et in aliis bene multis, cum D. Thoma et nobiscum consentit quoad rem significatam Rosmini, qui societatis finem reponit in *bono humano*; quod apud ipsum nihil aliud est quam virtus moralis. «Un altro principio che non sembra aver bisogno di dimostrazione, e che non è meno importante de'precedenti per la scienza sociale, si è che il bene vero a cui dee intendere una società di uomini, dee esser il *bene umano*, quello che è definitivamente bene per la *natura umana*, quello che è consentaneo a tutte le exigenze di questa natura...

Da ciò che fu detto si racoglie, che il vero bene umano non è altro se non la virtù morale è tutti que' beni che possono stare insieme colla virtù.» *Filos. della Polit.*, lib. 2.°, cap. 1.°

(3) *Ibid.*, cap. 15.

vero secundarium, et quasi instrumentale, scilicet, corporalium bonorum sufficientia, quorum usus est necessarius ad actum virtutis.» Itaque colligere licet ex dictis subjecta

Corollaria:

1.m Perfectio naturalis hominis, qua ens morale, quæ finem constituit societatis civilis, triplicem hominis perfectionem implicat et exigit: 1.° *perfectionem physicam* quoad corpus, vires physicas, externa bona, et similia: 2.° *perfectionem intellectualem* hominis, ope scientiarum et artium: 3.° *perfectionem stricte moralem* seu voluntatis, quoad virtutis opera perficienda. Ex hac triplici perfectione inadæquata, ac veluti evolutione partiali facultatum hominis, exurgit ejusdem adæquata perfectio quatenus ens morale constituit.

2.m Cum perfectio rei quæ ad finem ordinatur, ex finis consecutione desumatur, ea erit perfectior societas civilis, in qua plus abundabunt homines moraliter perfecti, et quæ ex propria conditione et constitutione, aptior existat ad evolvendos et perficiendos homines in ordine morali.

3.m Progressus civilis societatis ac vera ejusdem *civilizatio*, repetenda sunt ex triplici illa evolutione hominis quoad ordinem physicum seu materialem, quoad ordinem intellectualem seu scientificum, et quoad ordinem moralem; ita tamen ut motu quodammodo simultaneo perficiatur, ac veluti sub quodam parallelismo: ex nimio namque excessu unius ordinis supra alios, perturbatio et incommoda necessario oriuntur. Cæterum, ejusmodi incommoda minora essent, si ordo moralis reliquis duobus præponderaret; quippe qui ad virtutem et perfectionem interiorem tamquam ad finem immediatum ordinatur. Contra vero, maxima imperfectio ac incommoda gravissima oriuntur, si evolutio hominis physici sive quoad res materiales, nimium excrescat, ejusdem

evolutionem moralem impediat, ac veluti obruat; quoniam id præ se fert inversionem quamdam ac perturbationem finis adæquati societatis.

§ II.

De organismo civilis societatis.

Organismus societatis civilis, si spectetur *ex parte personarum* tria elementa complectitur, nempe, *potestatem* publicam et supremam, ejusdem *ministros* seu magistratus, *subditos* sive homines privatos. Hæc constituunt veluti totidem *personas morales*, ex quibus organismus hierarchicus societatis cujuslibet efflorescit et consistit. Atque enumerata elementa societatis civilis, respondent quodammodo *patri*, *matri* et *filio* in societate domestica, (1) quæ merito habetur elementum immediatum societatis civilis, quæ, ut patet, ex pluribus familiis seu societatibus domesticis exurgit et coalescit.

Ex parte formæ seu regiminis, organismus societa-

---

(1) « Le pouvoir domestique, inquit Bonald, agit pour la production et la conservation de ses *sujets*, qui sont ses enfants, par le *moyen* ou le ministère de la mère... Ainsi le pouvoir public agit pour la production, et la conservation de ses sujets, par le *moyen* ou le ministère de ses agents, noblesse, magistrats, guerrièrs, fonctionaires... Qu'on ne s'etonne pas de ce rapprochement entre la societé publique; car de même que sans le père et la mère il n'y aurait pas de famille et de sujets dans la societé domestique, ainsi nous avons vu que, sans pouvoir public, et sans ministres, il n'y aurait pas de societé, par consequent pas de sujets, mais une foule sans conseil, et sans direction qui ne pourrait que se detruire elle même, si elle n'etait pas detruite par des causes etrangeres.» *Demonstr. philosop. du principe const. de la Societé*, cap 8.°

tis civilis, vel est monarchicus, dum unius imperio et regimini omnia subjiciuntur; vel *aristocraticus*, dum potestas publica ab optimatibus seu principibus quibusdam civibus exercetur; vel *democraticus*, dum populus vel multitudo potestatem supremam aliqua ratione exercet, sive rempublicam administrat atque regit per jura quædam quæ sibi reservat, quoad leges condendas, quoad magistratuum electionem, etc.; vel demum *mixtus ex tribus*, quod postremum *regimen*, inquit D. Thomas, *est optimum*.

Optimum, inquam, ex rei natura, et secundum se spectatum, quatenus vitia et excessus regiminum aliorum declinare aptum est: non vero optimum sensu absoluto et universali. Nam, ut scite docet idem D. Thomas, «regimen et dominium ordinari debet secundum dispositionem gentis;» ac proinde oportet societatis formam respondere et analogiam servare cum natura, conditione, habitibus, moribus, perfectione intellectuali, aliisque adjunctis hominum, ex quibus societas illa coalescit.

Cave tamen ne inde inferas, regimen illud ex tribus aliis *commixtum, quod est optimum*, apud D. Thomam, identificari cum regimine illo *parlamentario* seu repræsentativo recentiorum. Siquidem, istud prout hodie nunc proclamatur, et magis adhuc prout hodie nunc exerceri solet, toto cœlo discriminatur a monarchia temperata, qualis ætate D. Thomæ vigebat, præsertim in nostra Hispania, nec in praxi regimen mixtum seu temperatum, sicut hac nostra ætate ope *parlamentarismi* habetur, ad aliud ducit, nec ducere potest, nisi ad denegationem et contemptum regiæ auctoritatis, ad tyrannidem ministerialem, ac ad corruptionem morum ex parte multitudinis.

ARTICULUS TERTIUS.

De officiis hominum respectu societatis civilis.

Officia hominis quatenus pars existit societatis civilis, alia sunt gubernantium, alia subditorum. Et quia, ut scite habet D. Thomas, « gubernare est id quod gubernatur convenienter ad debitum finem perducere, » consequitur plane quod officium primarium et fundamentale regis, seu cujuslibet gubernantis, qua talis, sit societatem sibi commissam ita regere et administrare, ut societatis membra finem, quem in societate et per societatem quærunt, tuto et faciliori via adsequantur. Ad quod quidem tria potissimum requiruntur, ut merito adnotavit D. Thomas: (1) « Primo quidem, ut multitudo in unitate pacis constituatur: secundo, ut multitudo vinculo pacis unita dirigatur ad bene agendum; sicut enim homo nihil bene agere potest nisi præsupposita suarum partium unitate, ita hominum multitudo pacis unitate carens, dum impugnat seipsam, impeditur a bene agendo; tertio vero, requiritur ut per regentis industriam, necessariorum ad bene vivendum adsit sufficiens copia. »

Ex verbis hisce D. Thomæ, quibus continetur ac exprimitur officium primarium eorum qui societati præssunt, facile quispiam potest colligere quænam sint gubernantium reliqua officia particularia, quæ ex primario hocce ac universali emanant:

---

(1) *Ibid*, cap. 5.°

Quorum ut quædam innuamus, ad regem seu gubernantem spectat:

a) Ferre et promulgare leges justas, quæ juxta societatis conditionem diversasque circumstantias, aptæ sint unitatem et pacem tueri et conservare apud concives, hosque incitare ac perducere ad perfectionem secundum moralem virtutem; quandoquidem ad scopum istum, ut supra diximus, necessario tendere debet civilis societas, ac proinde leges cunctæ, quæ pro ea conduntur. (1)

b) Fovere, et protegere quidquid ad moralem perfectionem hominis, cui cætera ejus bona subordinantur, ducere potest prout est vera religio, associationes hominum apud quas emicant virtutum exempla, ut sunt ordines religiosi, societates, et comitia piorum hominum ad subveniendum indigentiæ proximi, etc.

c) Removere obstacula, quæ prædicti boni moralis adsecutionem impediunt aut retardant, sive ex defectuosis institutionibus, sive ex hominum abusu, aut juris usurpatione oriantur. (2)

d) Subditos tueri non modo contra exteros hostes, sed

---

(1) Quamobrem egregie habet Rosmini. «Niuna società è legittima se ella ha uno scopo contrario alla virtù, poichè questo scopo pugna contro l'essenza della società.

Niuna légge sociale ha valore di sorte se, od in quanto ella impedisce i sozii di pervenire all' acquisto della virtù, perocchè senza la virtù non si da bene umano, per ottenere il quale è istituita la società.» *Op. cit.*, lib. 2.°, cap. 2.°

(2) Ad rem iterum laudatus Rosmini inter gubernii civilis præcipua officia statuit:

1.° «Di non mettere agl' individui che compongono la società alcun ostacolo, pel quale essi sieno impediti ó impacciati nel conseguimento del *vero bene umano*, ultimo ed essenzial fine non meno, dell individuo que della società.

2.° Di togliere, per quanto sta in suo potere, tutti gli ostacoli che impacciano gl' individui nel conseguimento del detto bene; é segnatamente di defendere il diritto di ciascuno contro la usurpazione ó la soperchieria degli altri.» *Ibid*, cap. 10.

etiam contra homines eos qui verbo, opere, scriptis, secretis associationibus, societatis ordinem, jura, et existentiam perturbare conantur; populum decipiendo, seditiones machinando, perniciosissimos errores spargendo.

Sed quoniam officium hocce nexum habet cum effrenata illa libertate præli, (libertad de la prensa) pro qua hodie rerum publicarum ac ephemeridum scriptores plurimi, præsertim e schola liberali, ut ajunt, tamquam pro aris et focis dimicare solent et amant, sit

THESIS.

Absoluta libertas præli illicita est ex genere suo.

Prob. Illicitum ac immorale existit ex suo genere cooperari malo morali alterius, aut etiam nocumento proximi; id namque vetat ipsa lex naturæ, præsertim quoad eos quibus ex officio cura incumbit avertendi malum et nocumentum, ut sunt superiores respectu subditorum; atqui concedere libertatem præli idem est ac cooperari malæ voluntati eorum qui ea abutuntur, simulque damno et nocumentis, quæ ex eadem libertate membris societatis, ipsique societati obveniunt: ergo. Minor probatione non indiget apud hominem quemlibet bonæ fidei, qui fateri velit quod suis oculis videt, ac quotidie experitur. Nemo enim est qui nesciat: 1.° impios homines non ob alium finem typographicam seu præli libertatem amare, tueri, atque ad praxim revocare velle, nisi ut Deum, Christum ejus, veram, imo omnem religionem, ac divinam legem, blasphemiis obruant; ut familiam, proprietatem, publicam auctoritatem, aliaque fundamenta civilis societatis evellant: 2.° plures homines decipi ac in errorem duci ex ejusmodi impiorum hominum scriptis; morum corruptionem, ac indifferen-

tismum religiosum apud multitudinem invalescere; populos denique concitari atque impelli ad seditionem et tumultus politicos, quibus reipublicæ pax, securitas, bonum perturbantur. Ergo gubernantes illi qui vel absolutam, vel nimiam præli libertatem concedunt, non solum illicite agunt contra legem naturæ, prohibentem cooperationem ad malum, et nocumentum proximi; sed ulterius desunt propio officio, ex quo tenentur societatis membra ad moralem perfectionem, quæ finis est civilis societatis, promovere, et juvare, simulque obstacula pro viribus removere; quin etiam infideles existunt societati sibi commissæ, cujus pax, securitas, conservatio, ex præli libertate, vel nimia, vel omnimoda, periculo exponuntur.

Quod si sermo sit de gubernantibus catholicis, aut de natione quæ adhæret uni religioni catholicæ, gravior urget obligatio cohibendi præfatam præli libertatem, quæ præterea juribus ac doctrinæ Ecclesiæ adversatur, quæ idcirco merito proscripsit hanc propositionem: »Enimvero falsum est civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam, quaslibet, opiniones, cogitationesque palam, publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores, animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.» (1) Itaque

e) Ad officium spectat gubernantium, præsertim in natione catholica, tam legibus quam pœnis congruis, præli libertatem cohibere.

f) Congruis legibus et statutis providere quoad sufficientiam et copiam bonorum ad vitæ sustentationem, et commoditatem necessariorum, præsertim vero curare ut ejusmodi sufficientia ad omnia membra, quoad fieri

---

(1) *Syllab*, prop 79.

potest, protendatur, ita ut his qui proprio labore vivunt, atque pauperibus, labor utilis, atque necessaria ad vitam non deficiant.

g) Commercium, industriam fovere, patriæ honorem, gloriam et jura tueri et propugnare, etiam per bellum, si opus fuerit.

h) Rempublicam tributis et oneribus innecessariis non obruere aut opprimere; ac proinde ea solummodo ministeria, dignitates, et officia publica instituere, quæ prorsus necessaria existunt, eademque civibus conferre juxta leges distributivæ justitiæ: qua sane in re non parum hodie peccatur, dum pro gubernii *parlamentarii* consuetudine et exigentia, ministeria publica indefinita ratione et sine necessitate gubernantes augent, quibus proprio, et aliorum commodo et ambitioni, potius quam publicæ utilitati, frequenter prospicitur. (1) Quod attinet subditorum officia quoad societatem, ea omnia quadantenus continentur obedientia erga præsides et magistratus ejusdem societatis. Etenim, subditus, qua talis, officium adimplet servando leges justas promulgatas ab eis respectu quorum subditus dicitur. Quænam autem sint leges humanæ injustæ, et quando liceat, vel non liceat easdem servare, et præcipientibus obedire, jam supra diximus, dum de lege humana.

---

(2) Apposite ad rem habet Bonald. «Un des plus grands maux qu'ait fait à l'Etat et à la famille la révolution, a eté d' inspirer l'ambition des places et des honneurs, disons mieux, la fureur de sortir de leur condition, à une foule d'individus, hereux jusque-la dans la vie privée, tourmentés aujour d' hui par des désirs, que la loi d' admissibilité générale ne leur donne ni les moyens, ni l'occasion de satisfaire, et d'avoir ainsi encombré toutes les carrières de médiocrités mécontentes; inutiles à leurs familles, à charge á l' Etat, qui ne peut cependant laisser sans moyens de subsistance ce nombre immense de jeunes gens à qui l' education des arts et des lettres qu' ils out reçue, et presque toujours aux frais du public, ne permet plus de reprendre les travaux utiles et lucratifs de la maison paternelle.» *Demons. phil. du princ.*, etc., cap. 9.°

CAPUT TERTIUM.

DE OFFICIIS HOMINIS ERGA PROXIMUM ET SEIPSUM.

Agendum hìc esset de officiis, quæ homini competunt ratione societatis domesticæ, sed quoniam video opus hocce ultra terminos præfixos excrescere, calamum oportet convertere ad officia hominis erga seipsum, et erga alios, per præcipua et summa capita pertractanda.

ARTICULUS PRIMUS.

De officiis hominis erga alios in genere.

Officia hominis erga alios, duobus hisce principiis legi naturali consentaneis, tamquam fundamentis innituntur. Primum: *Quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris*; quod quidem principium non absoluto, sed accommodo et relativo sensu accipere oportet; siquidem, non omnia quæ aliis debemus, nobis semper debentur, ut patet quoad honores speciales, tributa, alia hujusmodi, quæ superioribus debemus, nec nobis ab omnibus debentur. Secundum principium, ejusmodi existit: *Dilige alios homines sicut te ipsum*, sive eo modo, quo optas ab eis diligi.

Atque ex his duobus principiis cuncta hominis officia erga proximum veluti consectaria profluunt, eaque ad tria capita universim revocari possunt. Nam

a) Primo hominis officium erit abstinere ab omni ac-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tione qua vel injuria proximo irrogetur, vel ejus jura quolibet modo lædantur. Porro, homini jura determinata competunt: 1.° quatenus est ens intellectuale; atque sub hoc respectu ei competit jus ad veritatem, jus ne in errorem inducatur, cætera hujusmodi: 2.° qua ens morale et liberum; atque sub hac ratione homini competit jus de se ipso disponendi, alteri inserviendi, statum eligendi, similia: 3.° quatenus ens physicum, sub quo respectu ei competit jus ad vitam, jus ad famam, jus ad incolumitatem membrorum, ad bona fortunæ, cætera hujusmodi.

b) Secundo, hominis officium est, injuriam et damna proximi reparare, ex hypothesi quod ejusdem jura læserit, ita ut reparatio et restitutio respondeant juri læso.

c) Tertio, hominis officium est, benevolentiæ et amoris, non signa solummodo, sed opera erga alterum ostendere, ejus miseriis et indigentiæ subveniendo, juxta personarum, rerum, et adjunctorum conditionem et varietatem. Quod quidem officium non amicos modo, sed ipsos inimicos complectitur; ex jure etenim naturæ, inimicos, saltem qua homines, tenemur diligere, erga quos præcepto illo Christi præterea adstringimur: *Diligite inimicos vestros; benefacite his qui oderunt vos.*

Officia hominis erga alios, si respiciunt jura, quæ homini per naturam insunt, ut jus ad vitam, ad incolumitatem membrorum. ad famam, ad veritatem, cætera hujusmodi, *absoluta* dicuntur. Si vero respiciant jura quæ hominis liberam actionem supponunt atque præexigunt, prout contingit quoad bona fortunæ nuncupata, quæ ex hæreditate, ex contractibus, ex labore, etc., acquiruntur, et possidentur, jura *hypothetica* vocari solent.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Mendacio.

Homo, qua ens intellectuale et morale, jus habet præsertim ad veritatem, quod jus læditur per mendacium, quod solet definiri: *sermo prolatus cum intentione dicendi falsum.*

Unde mendacium adæquate sumptum, secundum quod includit simul mendacium materiale et formale, implicat discrepantiam verborum cum interna mente, ac præterea intentionem rem falsam exterius proferendi; quod postremum, utpote mendacium *formale* constituens, essentiale ac præcipuum est quoad malitiam moralem mendacii.

Dividi solet in *jocosum*, quod propter voluptatem capiendam profertur; *officiosum*, quod causa utilitatis propriæ, vel alienæ dicitur; *perniciosum*, quod profertur ex intentione inferendi nocumentum proximo.

Oppido hic animadvertendum, nec intentionem nocendi proximo, nec ipsam intentionem fallendi alium, ad constitutionem essentialem mendacii pertinere. Enimvero, ut recte docet D. Thomas, (1) «ratio mendacii sumitur a formali falsitate, ex hoc, scilicet, quod aliquis habet voluntatem falsum enuntiandi; unde et mendacium nominatur (nomen desumit) ex eo quod contra mentem dicitur. Et ideo, siquis falsum enuntiet, credens id esse verum, est quidem falsum materialiter, sed non formali-

(1) *Sum. Theol.*, 2.ª 2.æ q. 110, art. 1.°

ter (mendacium formale); quia falsitas est præter intentionem dicentis: unde non habet perfectam rationem (essentiam) mendacii. Si vero aliquis formaliter falsum dicat, habens voluntatem falsum dicendi, licet sit verum id quod dicitur, in quantum tamen hujusmodi actus est voluntarius et moralis, habet per se falsitatem, et per accidens veritatem; unde ad speciem mendacii pertingit. Quod autem aliquis intendat falsitatem in opinione alterius constituere, fallendo ipsum, non pertinet ad speciem (essentiam) mendacii, sed ad quamdam perfectionem ipsius. »

Nimirum, intentio fallendi alium, pertinet ad *perfectionem* mendacii, quatenus est effectus ipsum naturaliter consequens, ac veluti proprietas, quæ mendacium, ut plurimum, comitatur, proindeque essentialiter non constituit, sed constitutum præsupponit per *voluntatem falsum dicendi*, ut docet D. Thomas. (1) Itaque ex adductis verbis D. Thomæ facile dignosci potest in quo posita sit essentia moralis mendacii, quodque adsit discrimen inter mendacium materiale et formale.

---

(3) Oppido atque vehementer igitur, sive bona, sive mala fide fallitur Pacetti, perperamque D. Thomam interpretatur, seu potius eidem imponit, dum scribit:=Ad proprie dictum mendacium constituendum non solum requiritur (uti monet D. Thomas 2.ª 2.æ q. 110, a 1.) ut falsum sit quod enuntiatur, et quod *adsit voluntas falsum enuntiandi;* sed præterea requiritur *intentio fallendi.* Ratio enim mendacii ex eo potissimum sumitur, ut *quis habeat voluntatem.* id est, *directam intentionem, fallendi, ac decipiendi.*» *Instit. Phil. Mor.*, Tract. 2.°, p. 3.ª cap. 1.° art. 2.° Ubi D. Thomæ mentem et verba, in transversum penitus agit et immutat.

THESIS.

Mendacium essentialiter malum est in ordine morali, ita ut nunquam fas sit mentiri.

Prob. 1.° Actus ille qui ex propria natura adversatur fini ad quem facultas eliciendi ipsum per se seu ex propria constitutione et essentia tendit, essentialiter malus est, quippe qui ordinem naturæ pervertit, ac proinde intrinsecam inordinationem præsefert; sed mendacium est actus qui ex propria natura repugnat fini facultatis qua elicitur, hujusque naturalem ordinem invertit ac perturbat; siquidem, naturalis finis facultatis loquendi, quæ homini inest per naturam, est manifestatio internorum conceptuum, cui fini directe opponitur mendacium: ergo mendacium implicat ex propria conditione inversionem ordinis naturalis, ac proinde essentialem ac intrinsecam malitiam sibi vendicat. «Cum enim voces, inquit D. Thomas, (1) naturaliter sint signa intellectuum, (internarum conceptionum) innaturale est et indebitum, quod aliquis voce significet id quod non habet in mente.»

Prob. 2.° Quia 1.° ex communi hominum sensu, ac ex naturali inclinatione, natura humana mendacium ut rem turpem habet et aversatur, de eoque naturaliter, et sponte homo erubescit. 2.° Quia societas humana consistere nequit, nisi homines sibi invicem internos conceptus manifestent: ergo mendacium adversatur societati humanæ, ac ipsi naturæ hominis quatenus est animal sociale et politicum.

Corollarium.

Ergo mendacium excusari quidem poterit, hoc est, imminui quoad moralem malitiam pro ratione finis, ef-

(1) *Loc. cit.*, art. 3.°

fectus, intentionis, aut aliarum circumstantiarum; ast nunquam potest licitum reddi, utpote intrinsece et essentialiter malum, non secus ac adulterium et alia, quæ lege naturali vetantur.

SCHOLIUM.

Quamvis mentiri nunquam fas sit, licet tamen veritatem dissimulare, vel celare, si congrua adsit causa; non equidem per restrictionem eam quæ *pure mentalis* dicitur, dum verba vel signa detorquentur ad significationem mentis solummodo internam, ita ut nullatenus sensibilis reddatur per externa adjuncta, quoniam ejusmodi restrictio mendacio æquivalet, quod nunquam licere potest. Itaque dissimulatio, vel occultatio veritatis, fieri utique potest: 1.° adhibendo locutiones metaphoricas, parabolas, figuras, etc.: 2.° adhibendo verba æquivoca, seu amphibologica, quæ duplicem, aut plures significationes apud homines vendicant, minime vero æquivocationem aut amphibologiam mere internam, quæ identificatur cum restrictione pure mentali: 3.° adhibendo restrictionem *sensibilem*, quæ ab aliquibus *late mentalis* nuncupatur, «quæ vel ex modo interrogandi, inquit Billuart, aut respondendi, vel ex usu, vel ex aliquibus circumstantiis exterioribus, sic apparet exterius, ut ab audiente possit percipi, ut si v. g.... amico viro prudenti et religioso interroganti, an Titus revera commiserit homicidium, de quo est accusatus, respondeam ego confessarius: *Nescio*, quod tamen scio ex confessione... Ubi vides, verba sub restrictione late mentali prolata, importare duplicem sensum, unum ex sua primaria significatione seu impositione, quem voco naturalem; alterum ex circumstantiis consignificantibus, quem voco accidentalem: ut ly *nescio*

ex sua institutione significat simpliciter nescire; ex circumstantiis significat nescire ut homo, seu ad revelandum, sicque coincidere cum æquivocis. » Itaque, si justa adsit causa, cujus sufficientia ex rerum adjunctis desumenda est, « non est licitum mendacium dicere, ut cum D. Thoma loquamur, licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione; » idque non solum per locutiones metaphoricas, sed etiam per verba æquivoca, ac per restrictionem *imperfecte sensibilem*; namque, ut habet D. Augustinus, « quamquam omnis qui mentitur velit celare quod verum est, non tamen omnis qui vult celare quod verum est, mentitur. »

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Sicut mendacium est intrinsece malum, ac repugnans legi naturali, ita quoque homicidium; atqui homicidium aliquando licite fit: ergo.

Respond. Dist. maj. Ita quoque homicidium *auctoritate privata aut sine sufficienti causa perpetratum*, conc. *secus*, neg. Falsum enim est, *omne homicidium* legi naturali adversari, aut esse intrinsece malum; nam si adsit sufficiens ratio, publica auctoritas jus habet hominem occidendi, præsertim si ob ejus malitiam societas periculum, vel damnum grave incurrat. Namque, ut habet D. Thomas: (1) «Quamvis hominem in sua dignitate manentem occidere, sit secundum; se malum; tamen hominem peccatorem occidere, potest esse bonum, sicut occidere bes-

(1) *Loc. cit.*, q. 64, art. 2.°, ad 3 m

tiam: pejor enim est malus homo quam bestia, et plus nocet.»

«Et ideo, subdit, (1) si aliquis homo sit periculosus communitati, et corruptivus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter, et salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur.»

Objic. 2.° Ipsa ratio naturalis dictat minus malum esse eligendum ad majus vitandum; sed malum quod ex mendacio oritur, nempe, falsa opinio alterius, minus malum est quam occisio hominis innocentis, quæ ope mendacii vitari potest: ergo saltem in hoc aut similibus casibus, licitum erit mendacium.

Resp. 1.ª Dist. maj. *Si mala sint ejusdem ordinis*, conc. *si sint diversi ordinis*, neg. Jam vero occisio inocentis secundum se spectata, seu quatenus alius nobis non cooperantibus eam patitur, est malum physicum, quod longe minus est malo morali, essentialiter mendacio inhærenti.

Resp. 2.° Neg. cons. Objectio enim innititur hypothesi quod malitia moralis mendacii tota oriatur ex nocumento proximi, cum e contra essentialis ac præcipua malitia mendacii in ordine morali, in ejusdem inordinatione intrinseca posita sit. Ad rem D. Thomas: (2) «Mendacium non solum habet rationem peccati ex damno quod infertur proximo, sed ex sua inordinatione. Non licet autem aliqua illicita ordinatione uti ad impediendum nocumenta et defectus aliorum; sicut non licet furari ad hoc quod homo eleemosynam faciat... Et ideo non est licitum mendacium dicere ad hoc quod aliquis alium a quocumque periculo liberet.»

Inst. Saltem licitum erit mentiri ad vitandum majus

---

(1) *Ibid.*, *in corp.*

(2) *Loc. cit.*, q. 110, art. 3.°, ad 4.m

peccatum alterius qui vult hominem innocentem occidere: ergo.

Resp. Neg. ant. Non enim tenemur, imo nec licitum nobis est peccatum committere, ut peccatum alterius vitemus. Porro, a mendacio formali divelli nequit ratio peccati eo ipso quod essentialem malitiam moralem implicat, ut demonstratum manet.

ARTICULUS TERTIUS.

De Duellis.

Inter præcipua hominis officia erga alios, merito communeratur obligatio nihil efficiendi adversus vitam proximi, cui e regione opponitur duellum, quod nihil aliud est, saltem prout hodie usurpatur, nisi *certamen duorum, vel plurium privata auctoritate susceptum, designatis loco, tempore, patrinis, et armis ad pugnandum.* Ad duellum tamen prout juri canonico, ac pœnis ecclesiasticis subest, quædam conditiones requiruntur, de quibus theologi.

Si universim accipiantur duella, seu potius singularia certamina, non unius sunt generis. Nam ea

a) Suscipi queunt inter duos vel plures milites duarum nationum, apud quas actuale bellum viget; quod quidem, si auctoritate publica locum habeat, ut finis bello imponatur, licitum evadit, tum quia ad justitiam belli revocatur, tum quia hac ratione belli mala mitiora fiunt.

b) Alia sunt quæ suscipiebantur olim inter nobiliores equites, vel ludi, vel fortitudinis, ac dexteritatis in armis

ostendendi gratia. Magno apparatu hujuscemodi duella locum habebant, atque condictum præmium per manus, ut plurimum, nobilioris alicujus fœminæ conferebatur victori, qui vel plures lanceas frangebat, aut plures equites ex equo dejiciebat. Quod si plures equites simul cum pluribus ex adversa parte congrediebantur, certamina hujusmodi *torneamenta* (torneos) audiebant; si vero singuli cum singulis, *justas* (justas) appellabant. Porro cum certamina illa non sine vitæ et membrorum discrimine locum haberent, illicita revera sunt, quamvis minorem malitiam quam usurpata hodie quodammodo præ se ferant. (1)

c) Medio quoque ævo viguerunt certamina singularia, quæ auctoritate publica suscipiebantur ad lites tum civiles, tum criminales dirimendas, quæ *judicia Dei* audiebant. Ab eis sicut et a præcedentibus semper abhorruit Ecclesia, quæ idcirco paulatim, et prout per temporum conditionem licuit, eadem evellere curavit, ac tandem duella cuncta privata auctoritate suscepta severissimis pœnis mulctavit. (2)

---

(1) «Entre le duel du XVI siècle, et le duel du XIX, inquit Laurentie, il y a toute la différence de l' exaltation au calcul, de l' enthousiasme au scepticisme. On s' est tué long-temps avec frénésie; on s' est tué ensuite avec modération; on a fini par se tuer avec precaution. Ce n' est pas que les idées d' honneur se soient rectifiées, c' est plutot qu' il n' y a plus guère d' honneur. Le duel était un reste de chevalerie; il est devenu à peu près une forme convenue d' assassinat.» *Encyclop. du XIX siècl.*, t. 10, pag. 609.

(2) L'Eglise trouva cette institution parmi ces peuples lorsque elle commença à exercer son influence sur eux, sans être à même tout d' abord de la abolir... en s' efforçant de la rendre utile en introduisant une procedure régulièr à la place du duel judiciaire. Son action législative atteignit son apogée à cet egard dans le Concile de Trente. D' après le décrét du Concile, les duellistes et ses seconds et quiconque a pris part à la conclusion ou à la execution d' un duel sont, *ipso facto*, frappés d' excomunication, et le Pape seul peut les en relever; en

d) Tandem duella, prouti hodie usurpantur, quibus duo homines auctoritate privata, adhibitis testibus, congrediuntur, sive usque ad primam sanguinis effusionem, sive usque ad unius mortem. Ac de his præsertim procedit subjecta

THESIS

Duellum privata auctoritate initum, legi naturali, principiis socialibus, ac rectæ rationi adversatur.

Prob. 1.ª pars. Ex jure naturæ tenemur non violare dominium et jus Dei, supra vitam et membra hominis; sed per duellum auctoritate privata susceptum violatur ejusmodi Dei dominium; etenim homo, qui duellum offert, aut suscipit, dat veniam alteri, aut sibi jus arrogat homicidium, aut membrorum ablationem perpetrandi, imo vero suicidii reus efficitur, quatenus voluntarie et absque sufficienti causa se ipsum committit discrimini vitæ amittendæ: ergo duellum non solum adversatur legi naturali, sed quodammodo implicat simul malitiam homicidii, et suicidii, quibus lex naturalis, et Dei jura violantur. 2.° Duellum adversatur naturali inclinationi, qua homo sponte ad benevolentiam, amorem, et misericordiam erga alios fertur: ¿quid namque magis abhorrens ab hujusmodi naturæ humanæ inclinatione, quam cruentam mortem alteri inferre, idque levi plerumque de causa, ob quam integra familia in luctum et miseriam conjicitur? (1)

---

outre, la sepulture ecclesiastique est refusée à celui qui a succombé. En même temps le Concile excommunie les souverains temporels, qui accorderaient sur leurs terres un lieu pour le combat singulier. Il voulait évidemment ainsi proscrire les tournois, et il y reussit.» Goschler, *Diction. ency. de la theol. cath.*, art. *Duel*, tom. 7.°

(1) Jure merito proinde ipsemet Rousseau scribit: «Je les regarde

Prob. 2.ª pars. Unum e præcipuis principiis socialibus, illud est, quo delictorum et criminum vindicta, et punitio, auctoritati publicæ ac tribunalibus reservatur; secus enim civilis societas consistere nequiret, quoniam ipsa ejus fundamenta convellerentur, si cuique privato homini liceret sibi ipsi justitiam et jus dicere: atqui hæc lex fundamentalis societatis directe violatur per duellum auctoritate privata susceptum, ut patet. Duellum ergo hujusmodi e regione pugnat cum ipsis principiis socialibus.

Prob. 3.ª pars. Nam 1.° non modo rationi, sed æquitati naturali repugnat, mortem infligere ob injuriam levissimam, et fortasse nullam, ut non raro contingit in duellis; quandoquidem primaria regula justitiæ ea est, quæ præcipit ut pœna respondeat culpæ, quod in duellis privatis fere nunquam evenit, præsertim cum non justitiæ, sed vindictæ amore, et ulciscendi animo, duellantes congrediantur. 2.° Quia duellum, ut plurimum, offertur et acceptatur ad conservandum honorem, aut ad ostendendam animi fortitudinem. Ast verus honor, non in ore, verbis, aut opinione hominum est positus, sed in eo quod homo justitiæ et virtuti firmiter adhæreat, nec ab eis divelli patiatur hominum verbis, aut contumeliis; ut enim optime ajebat Seneca: (1) « verba contumeliosa, alia negligenda, alia deridenda sunt.» Similiter, vera animi fortitudo adesse nequit, nisi pericula adeantur non ob privatum commodum, aut vindictam, sed juxta virtutis, legis, ac justitiæ moralis normam. Quod quidem ipsimet

---

(duella) comme le dernier degré de brutalité, où les hommes puissent parvenir. Celui qui va se battre de gaieté de cœur n' est à mes yeux qu' une bête féroce qui s' efforce d' en dechirer une autre; et s' il reste le moindre sentiment naturel dans leur âme, je trouve celui qui perit moins à plaindre que le vainqueur.» *Nouvelle Helois*, lettr. 47.

(1) *De ira*, lib. 3.°, cap. 2.°

ethnici philosophi, cordatiores quoad hoc præ plurimis christianis, agnoverunt. Audiatur Cicero: (1) «Ea animi elatio, quæ cernitur in adeundis periculis, et laboribus sustinendis, si justitia vacat, pugnatque non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est.» «Non audiendi, subdit, qui graviter irascendum inimicis putant, idque magnanimi et fortis viri esse censent. Nihil enim laudabilius, nihil magno, et præclaro viro dignius placabilitate atque clementia.»

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Objic. 1.° Homo jus habet ad propriam dignitatem, et æstimationem apud societatem conservandam, et propugnandam; sed quandoque hæc dignitas, et æstimatio apud societatem, non nisi duello tueri et conservari possunt: ergo. (2)

Resp. Dist maj. *Utendo mediis legitimis* conc. *utendo mediis illegitimis, et intrinsece malis*, neg. Et neg. min. In quavis societate recte constituta, adsunt, vel adesse debent media legalia ad propriam dignitatem, et veram æstimationem aliorum tuendam et conservandam, dum ab alio graviter læditur, quin ad duellum confugere opus sit. Quod si ea non adessent, adhuc non liceret provocare ad duellum, cum includat essentialem inordinationem moralem, quam adhibere ut medium ad æstimationem,

---

(1) *De offic.*, lib. 1.°

(2) Ita objcit Lerminier, qui duellum ut licitum, imo ut jus inalienabile hominis propugnare non veretur his verbis: «L' homme n' existe socialement que s' il est estimé de lui-même et des autres; et il doit toujours retenir le droit de venger lui-même ces outrages que la société ne nous permet pas de pardonner. La loi ne saurait désarmer à ce point l' individu; et, pour tout homme libre, ce droit est inalienable.»

vel aliud bonum physicum quærendum, illicitum prorsus est.

Objic. 2.° simul instando. Licitum est honorem tueri etiam cum morte ejus, qui auferre conatur: sed in duello quandoque homo congreditur ad honorem propugnandum: ergo.

Resp. Omissa. maj. Dist. min. Ad honorem *falsum* propugnandum, conc. honorem *verum*, neg. Revera illi qui ajunt se duellum acceptare, vel duello congredi, ut honorem tueantur, non alium honorem intelligunt, nisi eum qui enascitur ex falsa et gratuita opinione eorum, apud quos ignavi animi habetur qui cruentam mortem alteri homini non infert propter levem quandoque injuriam. Cæterum, verus honor, quippe qui justitiæ, virtuti, ac legi innititur, a nemine auferri, multo minus duello, quod legi, virtuti, ac justitiæ adversatur, propugnari potest.

Objic. 3.° Contingere potest, ut injuria vindicanda ejus sit conditionis, quæ si ad tribunalia deferatur, gravior reddatur propter publicitatem, et scandalum: ergo saltem in eo casu licitum erit injuriam duello vindicare.

Resp. 1.° Neg. ant. Etenim experientia ipsa teste, publicitas circa causas duelli, et scandala exinde profluentia, augescunt super ea quæ ex tribunalium processu et forma originem ducunt. Et revera quidem, experimur ac videmus quotidie duellum fere nullum accidere, quin hominum curiositas circa ejus causas maxime excitetur.

Resp. 2.° Neg. cons. Etiamsi daretur casus, in quo major publicitas ex tribunalibus, quam ex duello oriretur, minime idcirco licitum redderetur duellum, tum quia id esset veluti per accidens, tum quia satius est incommoda quædam quæ ex civili societate occasionem ducunt tolerare, quam ejus leges fundamentales transgredi, prout transgrediuntur per duellum, tum præser-

tim, quia ejusmodi major publicitas licitum minime reddere potest, quod legi naturali adversatur, ac intrinsecam malitiam moralem sibi vendicat.

ARTICULUS QUARTUS.

De officiis hominis erga seipsum.

Hominis officia omnia erga seipsum, hoc uno veluti capite, et universali officio continentur: *conservare, et perficere naturam, et vires sibi ab Auctore naturæ collatas.* Ex quo fundamentali officio hominis erga seipsum, tamquam consectaria profluunt:

1.° Officium se ipsum perficiendi quoad mentem, seu vires cognitrices. Homini, namque collata est ratio veluti fax quædam totius vitæ intellectualis, et moralis; ac proinde primum ac præcipuum ejus officium est, animum exornare per scientias, artes, vel saltem notitias eas, sine quibus ejus vita, qua humana, et moralis, consistere nequit. Ad officium hocce revocantur, seu potius ex illo derivantur, tum officium eligendi illum vitæ statum, qui propensioni, conditioni, ac reliquis adjunctis cujusque congruat; tum officium acquirendi scientiam, quæ statui, muneribus, dignitatibus, aut functionibus, quæ quis amplectitur, respondeat atque sufficiat. 2.° Officium perficiendi seipsum per virtutes morales, quod quidem homini competit qua ens morale: imo vero ad hoc tamquam ad finem proprium reliqua hominis officia referre atque ordinare oportet, tum quia perfectio moralis reliquas necessario præsupponit et includit, tum quia est præparatio et via ad ultimam et supremam hominis perfectionem in futura vita.

Officii hujus consectarium est illud, quod respicit affectuum, seu passionum sensitivæ partis rectum usum. Quamvis enim ejusmodi animi affectus non sint ex propria natura moraliter mali, prout Stoici autumabant, sunt tamen motus ejus conditionis, ut nisi rationis, et voluntatis imperio regantur et temperentur, malitiam moralem facile induunt, ac in vitia hominem pertrahunt.

3.° Officium conservandi vitam, corpus, hujusque membra, et incolumitatem; cui sane officio e regione opponitur sui ipsius occisio vel suicidium, ut ajunt, quod quia ut licitum habuere quidam, ac nostra ætate nimium invaluit, confutare oportet.

THESIS.

Suicidium est peccatum gravissimum, cum lege naturæ ac recta ratione pugnans.

Prob. 1.° Legi naturali, ac rectæ rationi adversatur illud, quo violantur Dei jura, et dominium, ac ipsa inclinatio spontanea naturæ humanæ: atqui sic se habet suicidium. Nam 1.° vita, et mors hominis in manu solius Dei sunt, penes quem est vitam, et existentiam homini concedere; qui proinde easdem ut donum, et depositum a Deo receptum, tueri, et conservare tenetur; quod si secus faciat, in Deum peccat, jus ac dominium ejus violando. Egregie ad rem D. Thomas: (1) «vita est quoddam donum divinitus homini attributum, et ejus potestati subjectum, qui occidit, et vivere facit. Et ideo qui seipsum vita privat, in Deum peccat, sicut qui alienum servum interficit, peccat in dominum ejus, cujus est servus.» 2.° Quia suicidium directe opponitur inclinationi illi na-

(1) *Sum. Theol.*, 2.ª 2.æ q. 64, art. 5.°

turali imis naturæ humanæ visceribus vehementissime insculpta, qua ad vitam, vitæque conservationem spontaneo impetu, et appetitu fertur.

Prob. 2.° Qui seipsum occidit, irrationabiliter, ac inique agit, tum contra seipsum, tum contra societatem. Contra seipsum; quia ut vitet mala quædam præsentis vitæ eligit mortem, quæ est omnium malorum maximum respectu vitæ præsentis, et quod pejus est, incurrit mala, et pœnas alterius vitæ, in qua a Deo punietur, tum ob admissum scelus suicidii, tum quia hujus vitæ malis ad iram, et desperationem usus est, non ad exercitium virtutis, prout recta ratio, et Deus simul præcipiunt.

Contra societatem: hæc namque, sicut plurima in nos confert beneficia, ita jus habet ut eidem, qua ratione possimus, inserviamus, ac obsequia præstare parati simus. Ut enim optime argumentatur D. Thomas, (1) «quælibet pars, id quod est, est totius. Quilibet autem homo est pars communitatis, et ita id quod est, est communitatis: unde in hoc quod seipsum interficit, injuriam communitati facit.»

Corollarium.

1.ᵐ Ex dictis facile colligitur, causam præcipuam, ac veluti primariam suicidii, hac nostra ætate, esse carentiam veræ fidei, ac indifferentismum religiosum, tam speculativum, quam practicum. Vix namque suicidium concipi potest in homine, qui aut sciat suicidas gravissimis ac æternis pœnis post mortem puniri a Deo, vel catholicæ religionis fidem et præcepta, mente et corde complectatur, quippe qui et a suicidio tamquam a gravissimo peccato abhorrebit, simulque ope sacramentorum et orationis vires accipiet ad mala quævis hujus vitæ

(1) *Loc. cit.*

fortiter, ac ad futurum meritum perferenda. Cui sane rei adstipulatur quoque experientia, qua observare licet, suicidii frequentiam præfatæ causæ respondere; (1) idque sive populorum, sive singularium hominum conditio præoculis habeatur.

2.m Ergo nunquam licet scipsum ex intentione occidere, nec etiam ad vitandum periculum peccati, seu consensus in tentationem, quia, ut docet D. Thomas: (2) «nulli licet scipsum occidere ob timorem ne consentiat in peccatum, quia non sunt facienda mala, ut veniant bona, vel ut vitentur mala, præsertim minora, et minus certa: incertum enim est an aliquis in futurum consentiat in peccatum: potens est enim Deus hominem quacumque tentatione superveniente liberare a peccato.» Quapropter rejicienda prorsus sententia Bergier, dum suicidium ob præfatum periculum admissum, non modo ut licitum, sed ut actum heroicum amoris erga Deum habet. (3)

---

(1) Apposite ad rem habet Debreyne: «Reina esta enfermedad (el suicidio) particularmente en los pueblos donde la fé y las convicciones religiosas son casi nulas, y no ejercen por consiguiente en la poblacion sino poquísima influencia. La experiencia tiene probado que en todas las naciones el suicidio es mas frecuente á proporcion que disminuye el sentimiento religioso...

La otra gran llaga de la sociedad, y acaso la mas incurable, orígen á la vez de un infinito número de males, es la ignorancia de la religion, y hasta de las primeras verdades religiosas y morales... En tal estado de degradacion ignora su fin y su destino, ignora á Dios, se ignora á sí mismo, y en nada cree, porque todo lo ignora... Es muy singular que sea mas frecuente el suicidio en los pueblos á medida que se retira de ellos el catolicismo, y que se desconozca generalmente en los que la religion se observa y se practica exactamente. El suicidio era desconocido en España, mientras este pueblo ha sido observador sincero de la religion católica, y la ha practicado exactamente. Observad lo sucedido en Inglaterra, tierra clásica del suicidio, desde que el catolicismo ha sido de ella desterrado.» *Pensam. de un crey. cat.* pagin. 189 et seq.

(2) *Loc. cit.* ad 3.m

(3) En ejus verba, quæ sane nescio quomodo ab hispano ejus Dic-

Quod si adsint exempla martyrum, aut aliorum hominum, quorum suicidia excusare opus sit, ea non ad normam sententiæ Bergier, sed ex speciali Dei impulsu, aut revelatione, vel ex ignorantia, vel ex perturbatione rationis, ex metu, vel alio simili affectu exorta existimare oportet.

SOLVUNTUR OBJECTONES.

Objic. 1.° Vita hominis est donum seu beneficium ipsi a Deo collatum; atqui licet homini renuntiare donis ac beneficiis, quæ eidem conferuntur: ergo. Ita Montesquieu, qui suicidium propugnavit ut licitum in *Epistolis Persicis*, quamvis postea sententiam mutasse videatur. (1)

Resp. Disting min. *Si usus tantum et administratio doni concedatur*, neg. *si vitæ dominium homini a Deo concessum fuisset*, conc. Ex demonstratis satis liquet, Deum nobis concedere vitæ donum et beneficium, quoad depositum, et administrationem, ast minime quoad domi-

---

tionario expulsa non sunt. «Preferir, pues, la muerte á una tentacion violenta y á un peligro inminente de ofender á Dios, no es un crímen, sino un rasgo de amor á Dios elevado al mas alto grado.» *Dict. cit.* art. *Suicidio*. Porro, S. Pelagia, aliæve martyres, quæ ne jacturam castitatis paterentur, aut ne in manus militum venirent, mortem oppetierunt ex instinctu Spiritus Sancti, aut speciali inspiratione Dei, qui vitæ, et mortis, est arbiter et dominus, excusandæ sunt, minime vero ex doctrina Bergier, quæ e regione opponitur doctrinæ D. Thomæ in textu allatæ; imo etiam doctrinæ ejusdem respectu mulieris, cujus castitas in periculum vertitur. Audiantur ejus verba: «Similiter etiam, non licet mulieri se ipsam occidere, ne ab alio corrumpatur; quia non debet in se committere crimen maximum, quod est sui ipsius occisio, ut vitet minus crimen alienum; non enim est crimen mulieris per violentiam violatæ, si consensus non adsit. Constat autem minus esse peccatum fornicationem, vel adulterium, quam homicidium, et præcipue sui ipsius, quod est gravissimum... est etiam periculossisimum, quia non restat tempus ut per pœnitentiam expietur.»

(1) Nempe in opere *Esprit des lois*, lib. 14, cap. 12.

nium, et plenam potestatem vitæ, et mortis, quæ apud Deum solum permanet.

Objic. 2.° cum eodem Montesquieu. Suicidium nullam implicat violationem ordinis universi, aut legum divinæ Providentiæ; namque, ut ille habet: «¿nunquid Providentiæ ordinem violaverim si materiæ modificationem immutem?... Quando e corpore mens mea soluta fuerit, nihil detrimenti inde capiet orbis universi ordo et dispositio:» ergo.

Resp. Dist. ant. Ordinis *physici* universi, conc. ordinis *moralis*, neg. Integra objectio æquivocationi innititur, qua ordo physicus cum ordine morali confunditur. Suicidio enim non secus ac aliis peccatis et criminibus, leges morales universi ac divinæ Providentiæ, violantur, quin idcirco opus sit, simul perturbari leges physicas, quibus naturæ ordo subjicitur.

Objic. 3.° Si suicidium eam sibi vindicaret malitiam quam thesis supponit, ut illicitum a veteribus philosophis habitum fuisset; sed apud veteres philosophos suicidium, non modo ut licitum, sed ut actus virtutis prædicatur: ergo.

Resp. 1.° Actuum moralium bonitas et malitia, non ex philosophorum opinione, sed ex rei natura ac conformitate, et discrepantia cum lege dijudicanda sunt. Nec mirum quosdam ethnicos philosophos in re hac, sicut in aliis bene multis, iisque gravissimis, a veritate aberrasse. Quosdam, inquam, nam

Resp. 2.° Neg. min. Etenim si Stoicos, et Epicureos excipias, plurimi e veteribus ipsis philosophis, iique nobiliores, suicidium reprobarunt, (1) nec eum ut veræ fortitudis actum habuerunt.

Objic. 4.° Ubi abest liberum rationis judicium, non

---

(1) Et revera quidem Pythagoras docebat: «injussu Imperatoris (id est Dei) de præsidio, et statione vitæ non esse discedendum.» Apud

adest peccatum; sed in suicidio abest liberum judicium rationis, ut pote ex amentia originem ducens: ergo.

Resp. Ultro concedimus suicidium ex actuali amentia seu perturbatione integra rationis originem posse ducere, ast minime adsentimur hodiernis medicis, qui, ut hujus criminis horrorem, ac pœnarum Ecclesiæ severitatem effugiant, indiscriminatim adfirmant suicidium non nisi ex amentia tamquam ex causa oriri. Id namque aperte pugnat cum experientia, qua videmus suicidia quædam perpetrari pleno rationis usu, prout ostendunt adjuncta, quæ crimen, et præcedunt, et comitantur. ¿Quis etiam inficiari audebit, Catonem ex. gr. sui compotem fuisse, dum seipsum occidit? Vera itaque causa suicidii, ut plurimum, non ea est, quam medici autumant, sed ea potius quam supra diximus, nempe, carentia veræ fidei, ac indifferentismus religiosus, et practicus, quæ nostra ætate christianas ipsas nationes corrodunt. ¡Utinam nostrum hocce opus, vulneribus ejusmodi medendis quidpiam conferre valeat, sicut optamus ad gloriam et honorem ejus qui *Deus scientiarum Dominus est;* qui sit benedictus in sæcula. Amen.

Stanley, lib. 2.°, epig. 56. cui adstipulatur Socrates, qui apud Platonem in *Phæd.* sic loquitur: «Id mihi o Cebes, recte dici videtur, Deum quidem curam habere nostri; nos vero homines unam quandam ex possessionibus esse Deorum. ¿Nonne, igitur et tu, si quod ex mancipiis tuis seipsum perimeret, irasceris illi, et si potestatem haberes, pœna quadam afficeres?»

Plato item: «In custodia quadam positi sumus, nec decet quemquam ex ea seipsum solvère, neque auferre.» *Phæd.*

Orator Romanus: «Piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis; nec injussu ejus, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est.» *De Repub.*, lib. 6.°

Aristoteles: «Mori, ut pauperiem, vel dolorem, vel molestum quidpiam fugiamus, fortis viri minime est, sed potius timidi.» Lib. 3.° ad Nicom. cap. 11.

Adstipulantur ipsi poetæ, quos inter noster Martialis: «Rebus in adversis facile est contemnere vitam=Fortiter ille facit, qui miser esse potest.» Lib. 2.° epigr. 57.

LIBER OCTAVUS.

HISTORIA PHILOSOPHIÆ.

CAPUT PROEMIALE.

In Historia Philosophiæ prænoscere oportet ejus notionem, finem, legem, divisionem.

Notio Historiæ Philosophiæ in eo sita est, quod sit *ordinata narratio originis et evolutionum philosophiæ*. Unde ad eam spectat exponere quid ratio humana propriis viribus excogitaverit circa summa illa objecta, quibus integra Philosophia continetur, Deum, nempe, mundum, hominem.

Finis duplex assignari potest Historiæ Philosophiæ: alter *proximus*, qui est cognitio rationalis systematum Philosophiæ, seu notitia conatuum (esfuerzos) rationis humanæ ad veritatem naturalem detegendam, simulque causarum, effectuum, et relationum præfatorum systematum. Finis alter qui *remotus* potest dici, est cognitio

et amplexus veritatis. Enimvero, ex notitia et collatione rationali systematum Philosophiæ, errorem ejusque causas vitare, simulque veritatem agnoscere discimus. Unde merito D. Thomas: «Hoc quidem ad duo erit utile: primo quia illud quod bene dictum est ab eis, (philosophis) accipiemus in adjutorium nostrum. Secundo, quia illud quod male enunciatum est, cavebimus.» (1)

Lex hujus Historiæ eadem est ac lex historiæ universim sumptæ. Veritatem igitur in primis sectatur, ac summopere cavendum ne in exponendis philosophorum doctrinis et systematibus, non quid ipsi revera senserint, sed quid sibi videatur vel velit eos sensisse, historicus exponat. Unde a præconceptis aut præjudicatis opinationibus, sicut et ab affectibus voluntatis, animum avertere debet qui Historiam Philosophiæ conscribendam suscipit. Ubi obiter notandum, Philosophiæ Historiam integram fusiori calamo scribere difficillimum esse opus, quippe id perfici congrue nequit nisi cunctorum philosophorum philosophica opera perlegerit, ac simul ea conferre ac scientifice dijudicare quis aptus inveniatur: res profecto hominis vitam et vires proculdubio superans.

Divisio Historiæ Philosophiæ perfici potest: 1.° ratione *formæ* quatenus cogitata rationis naturalis exponuntur, vel sub forma *poetica*, vel sub forma *symbolica* aut *mythologica*, vel sub forma *religiosa*, vel tandem sub forma *scientifica* aut rationali: 2.° perfici potest ratione *temporis*. Quam divisionem, utpote faciliorem et compendio accommodatiorem nos hic sectantes, universam Philosophiæ Historiam in duas magnas periodos dispescimus.

Periodus prima ab initio Philosophiæ, vel si mavis, humani generis ad Christum usque, in quo *omnia instaurata sunt* excurrit. *Periodus* altera, sæcula a Christo usque ad nos elapsa complectetur.

---

(1) *De Anim.*, lib. 1.°, lect. 2.ª

Utraque periodus in tres epochas commode dividitur; unde epochæ sex pro universa Philosophiæ Historia chronologice exsurgunt. *Prima*, ab exordio Philosophiæ usque ad ejus introductionem inter Græcos sub forma scientifica et rationali. *Secunda*, usque ad instaurationem socraticam. *Tertia*, usque ad Christum, seu potius Christianismi introductionem. *Quarta* epocha, quæ est prima secundæ periodi, complectetur philosophiam Patrum Ecclesiæ a Christo usque ad Carolum Magnum. *Quinta*, usque ad instaurationem scientiæ ethnicæ (Renacimiento) sæculo decimo quinto. *Sexta*, usque ad nostra tempora.

Quoniam vero nostrum hocce opus hispanicæ juventuti præsertim dicamus, in qualibet epocha, pro rei natura, paulisper immorabimur in exponenda Historia philosophiæ hispanicæ.

Observatio fundamentalis pro Historia Philosophiæ.

Qui philosophorum et scholarum systemata congrua ratione dijudicare velit, præ oculis habeat Philosophiam universim spectatam, duplex elementum involvere, nempe, elementum *traditionale* seu positivum, quod nihil aliud est quam doctrina homini primitus communicata per Dei revelationem ac posteris transmissa per sacerdotes et poetas, sed erroribus ac figmentis magis aut minus deturpata; et elementum *rationale*, seu doctrina per solam humanam rationem circa Deum, mundum et hominem acquisita. Hinc exsurgit primaria ac fundamentalis distinctio inter philosophorum ac scholarum systemata. Nam ex iis quædam constituuntur per evolutionem elementi traditionalis; quædam vero per evolutionem elementi rationalis: alia demum, quæ veritati proprius accedunt, utrumque elementum includunt et evolvunt. Sic v. gr., ut in Græcorum philosophia exemplum offeramus, in schola italica seu pythagorica dominatur elementum traditionale, in jonica seu Thaletis dominatur

:

elementum rationale; et in philosophia Platonis utrumque elementum continetur et evolvitur. Quod ipsum, pro diversis tamen gradibus, in cunctis philosophorum scholis et systematibus tam veteribus quam recentioribus, reperitur; (1) ex quo solers homo præfatorum systematum spiritum et notionem generalem facile agnoscet et dijudicabit.

---

(1) Huic observationi concinit Rosmini, dum de Platone ita scribit: «Dans les écrits de Platon, il faut distinguer deux doctrines combinées ensemble: l' une *positive* et traditionelle, l' autre *rationelle*.

La distinction de ces deux doctrines se retrouve dans toute l' antiquité: c' est comme la clef qui ouvre l' intelligence de la philosophie ancienne. Aristote lui-même en parle très clairement: il fait mention d' une division des savants en deux classes, comme d' une division généralement admise; les uns s' appelaient *théologiens*, les autres se nommaient *philosophes*. Les théologiens devaient être ceux qui s' occupaient à recueillir et à pénétrer le sens des verités que Dieu communiqua aux hommes dès les premiers âges du monde, et qui n' ayant jamais été entiérement perdues, s' étaient transmises de bouche en bouche, et de génération en génération. Au contraire, les philosophes devaient être ceux qui loin de s' en tenir à la tradition et à l' autorité n' y faisaient presque aucune attention, mais s' appliquaient à l' étude des vérités, en prenant pour guide le raisonnement individuel.» *Ideol. et Log.*, sect. 4.ª, cap. 1.°, art. 26.

PERIODUS PRIMA HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ.

CAPUT PRIMUM.

EPOCHA PRIMA HUJUS PERIODI.

§ I.

Philosophia Hebræorum.

Sunt qui velint nullam apud Hebræos extitisse veri nominis philosophiam; sed immerito: quandoquidem non solum in ipsorum libris divinis philosophia satis perfecta continetur, sed præterea opiniones ac systemata conflarunt propria ratione, ex quo cum chaldeis, ægyptiis, græcis ac romanis, temporis lapsu litterarium commercium habuere. Hinc Hebræorum philosophia, altera pure *traditionalis*, quæ sacris litteris continetur; altera ex traditionali et rationali *mixta* distingui commode potest.

1.° Philosophia traditionalis.

a) Existit Deus, ens summum, infinitum, spirituale, æternum, omnipotens, summe sanctus ac felix, nulla alia re præter seipso indigens.

b) Hic Deus non ex necessitate, sed libera voluntate mundum creavit, id est, ex nihilo eduxit; qui mundus hominum usui et commodo tamquam fini proximo destinatus est.

c) Est autem homo creatura coalescens ex corpore et

anima rationali, quæ spiritualis existit ac immortalis, ad supernam felicitatem libere consequendam in altera vita per cognitionem, amorem et fruitionem æternam ipsius Dei destinata.

d) Voluntas Dei, quatenus sanctissima ac ipsius intellectu infinito regulata, constituit regulam primariam et absolutam actionum moralium hominis, ac proinde ex ea originaliter derivantur leges, officia et jura hominum quoad Deum, quoad seipsos, et quoad alios homines.

e) Homo quia per peccatum libere amisit dona supernaturalia ipsi a Deo primitus collata, morti, tumultui passionum ac miseriis, tam physicis, quam intellectualibus ac moralibus remansit obnoxius, a quibus Dei auxilio et supernaturali redemptione liberatur.

2.° Philosophia mixta ex traditionali et rationali.

Jam ante Christi tempora, et probabiliter paulo post captivitatem babylonicam, Judæorum sapientes in tres sectas scissi sunt. Ex quibus

a) *Essenii* docebant hominum animas spirituales et immortales, corporibus quasi carceribus includi, ac eas quæ illecebras carnis vitarent, æternis gaudiis; eas vero quæ voluptatibus inservirent, æternis supliciis post mortem deputandas. Hinc a corporis voluptatibus abhorrentes, contemplationem divinorum sectabantur. Essenii mysticismum apud Judæos quodammodo repræsentabant.

b) *Saducæi*, statuebant: 1.° animam immortalem non esse: 2.° nullas esse pœnas, vel præmia post mortem; ac proinde nec dari resurrectionem corporum: 3.° non agnoscebant existentiam angelorum sive spirituum homini superiorum. Unde epicureismum, sive materialismum, apud Judæos Saducæi repræsentabant.

c) *Pharisæi* tuebantur: 1.° animæ immortalitatem, pœnas et præmia, resurrectionem hominis, et angelorum existentiam, adversus Saducæos: 2.° simul tamen ad-

mittebant quandam animarum metempsychosim: 3.° præter libros sacros, quos sæpe præpostere interpretabantur, sectabantur orales multas traditiones, quas a Moyse per majores se accepisse gloriabantur. Hinc illud apud rabbinicos libros tritum: « Moses accepit legem oralem in monte Sinai et tradidit eam Josuæ, Josua autem senioribus, seniores prophetis, prophetæ eum tradiderunt viris magnæ Synagogæ quæ floruit ætate Esdræ et Nehemiæ. »

3.° Ex hac orali traditione, cujus ope sensum mysticum ac secretum Scripturæ Rabbini affingebant, originem duxerunt Thalmud et philosophia cabalistica (sic dicta ex *Kabbalah*) quæ apud Judæos postea viguit. Nam post excidium hierosolimitanum traditiones illas orales et secretas mandarunt scriptis sub nomine *Mischnæ*; atque tandem eas permixcendo cum doctrinis orientalibus et græcis, systema quoddam conflarunt quod in Thalmud continetur, ac in libris cabalisticis a Rabbinis *Akibha* et *Jochai* secundo sæculo confectis. Hoc porro systema præter plura peregrina ad orientalium morem, sequentia continet:

a) Deus est lumen primævum et purissimum, ex quo per successivas et decrescentes emanationes omnia mundana entia processerunt, ita ut quævis emanatio præcedens sit origo subsequentis eaque perfectior.

b) Hinc quo res existit per emanationem a Deo primævo lumine remotiorem, imperfectior evadit, ita tamen ut quamtumvis remota, vera ematio sit illius primæ substantiæ.

c) Itaque, ipsa materia quæ ultima est emanatio, revera est substantia spiritualis, sicut primævum lumen ex quo emanat, ac dici potest *carbo Dei*, quasi condensatio radiorum illius luminis.

d) Primus homo, *Adam Kadmon*, est prima emanatio ex Deo, ac etiam est Messias in quo et per quem mundus

præfatis successivis et decrescentibus emanationibus ex Deo Patre procedit.

4.° Inter philosophos Judæos merito annumeratur Philo Christo coævus et Alexandriæ natus, qui systema conflavit ex doctrinis Judæorum cum ideis orientalibus ac græcis, præsertim Platonis, permixtis. Apud ipsum:

a) Mundus originem ducit ex Deo et materia tamquam duobus principiis æternis ; ita ut Deus sit ens infinitum, immutabile, et incomprehensibile; materia vero principium recipiens a Deo formam et vitam.

b) Intelligentia infinita Dei quatenus continet ideas archetypas rerum omnium, sive existentium, sive possibilium, dicitur *Logos* et *Filius Dei*; et hujusmodi *Logos* est id juxta quod Deus mundum tam intelligibilem quam visibilem formavit.

c) Rationalis anima, præter partem *rationalem*, complectitur aliam partem *irrationalem*, passione et cupiditate constantem: qui partem rationalem sequuntur, id est boni, præmio post mortem fruuntur; mali vero, in alia corpora migrare coguntur.

d) Deus, ens infinitum et purissimum lumen, non discursu aut ratiocinio, sed quadam immediata intuitione ac per extasim animæ ab homine intelligitur.

Observationes.

Prima: Infertur ex dictis, Judæorum philosophiam thalmudicam et cabalisticam, pantheismum emanationis involvere; Philonis vero philosophiam, dualismum ac theoriam idearum Platonis, simul cum metempsychosi ac aliis doctrinis pythagoricis et orientalibus.

Secunda: Nihilominus, quod ad Philonem attinet, difficile est ejus systema dilucide ac tuto capere, quoniam ut viri critici adnotarunt, contradictoria et diversa in diversis libris docere videtur. Sic v. g. hominis anima quandoque apud ipsum post mortem manere in propria personalitate videtur; quandoque vero adfirmare videtur

ipsius personalitatem in morte evanescere, ita ut in esse et per esse Dei absorbeatur.

§ II.

Philosophia Indorum.

Indorum philosophia dispesci etiam potest in *traditionalem*, quo nomine nuncupo eam quæ continetur, tum in libris *sacris*, tum in philosophicis, libris sacris consentaneis; ac *rationalem*, quæ continetur systematibus per solam rationem, nullo habito respectu ad libros sacros, elaboratis. Libri *sacri* Indorum *Vedæ* nominantur, ac quatuor numerantur: *Rig-Veda*, *Iadjoush-Veda*, *Sama-Veda*, et *Atharvana*. Auctor horum librorum habetur *Vyasa*, de quo dubitatur utrum singularis sit scriptor, vel potius designet plures compilatores, eo quod *Vyasa*, *compilatorem* significet.

Systemata libris vedicis consentanea, sunt *Mimansa*, cujus auctor habetur *Djaïmini*; et *Vedanta*, cujus auctor habetur prædictus *Vyasa* compilator Vedarum. Præcipua vero systemata heterodoxa, seu libris vedicis non consentanea, sunt *Djainas* et *Budhas*. Sed tam hæc quam priora sub multiplici librorum ac systematum forma continentur et exponuntur. Ast nobis summa tantum capita philosophiæ traditionalis et rationalis, breviter exponere licet.

1.° Philosophia traditionalis.

a) Substantia prima et infinita quæ *Brahm* dicitur, extitit ab æterno indeterminata, indistincta ac veluti unitas pura, somno divino dedita et absque sui conscientia.

b) Ex hujusmodi somno evigilans *Brahm*, transit ab

indeterminatione ad determinationem, fitque potentia creatrix et intelligentia determinata, ex qua primitus emanat *Maya*, id est, materia, seu illusio, quæ est veluti origo phænomenorum particularium et individuorum.

c) Simul cum *Maya* vel materia, emanavit ex sinu Brahm, *Brahma* qui creator, *Vischnu* qui conservator, et *Schiva* qui destructor formarum ac phænomenorum qui in mundo cernuntur, habentur. Atque hæc est *Trimurti* philosophiæ indicæ, in qua Trinitatem catholicam immerito quidam rationalistæ suspexerunt.

d) Secunda præfatæ Trimurti persona, Vischnu, pluries in terram descendit ut varias incarnationes et transformationes subiret, quarum narrationi nuncupatur maxima pars Vedarum.

e) Hominis animæ immortales quidem existunt; at continuo de corpore in corpus transmigrant, qua metempsychosi purificantur, ac tandem universali animæ uniuntur in qua absorbentur.

f) Denique, in systemate *Vedanta* in quo Vedarum doctrina evolvitur, docetur quod via ad felicitatem, ultimaque, perfectissima ac universalis hominis scientia positæ sunt in cognitione, hujus veritatis: *Brahma solus existit, et quidquid non est Brahma, est illusio.*

g) Hinc homo in duplici statu existere potest quoad possessionem scientiæ: dum existimat entia quæ in mundo apparent, esse objective realia ac inter se distincta, versatur in statu somnii: dum e contra agnoscit omnia idem esse cum Brahma, ita ut extra ipsum nihil reale existat, tunc versatur in statu vigiliæ.

2.° Philosophia rationalis.

Systemata heterodoxa quæ a Vedis recedunt vel saltem abstrahunt, sigillatim exponere non licet ex suscepti operis consilio et brevitate. Sufficiat igitur commemorare ea quæ celebriora sunt. Inter quæ annumerantur

A) Philosophia *Nyaya*, cujus auctor habetur *Gotama*.

Logicam præcipue continet: 1.° exponit argumentationem syllogismo analogam, quæ constat *propositione* seu thesi, *ratione*, *exemplo*, *applicatione* seu assumptione, et *conclusione*: 2.° sex cathegorias vel prædicamenta assignat, nempe, *substantiam*, *qualitatem*, *actionem*, *universale*, *proprium* seu particulare, et *relationem*: 3.° docet animam hominis esse spiritualem, et a corpore distinctam et independentem. Unde *Nyaya* haberi potest tamquam philosophia reliquis indicis systematibus præstantior, utpote rationi et veritati magis consentanea.

B) Philosophia *Sankhya*, cujus auctor *Kapila* habetur. Sensualismum ac materialismum continet, quippe docet: 1.° sensationem esse facultatem unicam qua res cognoscimus, quamvis inductionem ac traditionem hominum ei adjungat: 2.° primum principium rerum, esse materiam æternam, informem, indivisam, quæ producit, et non est producta: 3.° animam hominis ex materia originem ducere, atque ex combinatione aliorum elementorum exsurgere.

C) Est et alia philosophia *Sankhya*, quæ dicitur *Patandjali*, quia hic ejus auctor habetur. Sicut prior ad materialismum, ita hæc posterior ad mysticismum purum vergit. Nam inter alia hæc habet: 1.° vera hominis felicitas et scientia omnem actionem excludit, ac in perfecto otio et quiete reperitur: 2.° fides et contemplatio Dei, id est, entis absoluti, bonitatem et malitiam actionum excludit, nam «mente devotus in hoc ævo utraque dimittit, bene et male facta:» 3.° Deus est ens in seipso seu indeterminatum, quod cum in omnibus rebus reperiatur, in omnibus reperitur Deus, seu omnia sunt Deus, quatenus omnia, rationem entis participant: 4.° per extasim et contemplationem homo absorbetur tandem et extinguitur in Deo.

Observationes.

Prima: Philosophiam budhicam omittimus, quia ad-

huc satis non constat de Budhaistarum vero systemate scientifico, quamquam conjectari licet eos animam hominis mortalem efficere.

Secunda: Ex dictis facile colligitur, falli eos, inter quos Balmes, qui pantheismum in philosophia Indorum renuunt agnoscere. Siquidem, sive orthodoxa, sive heterodoxa illorum systemata inspiciantur, in omnibus ferme perspicue sese offert pantheismus seu identitas absoluta et substantialis rerum. Quinimo, ipsa philosophia *Sankhya* Kapilæ, quæ, ut vidimus, materialismum profitetur, ex alia parte ad identificationem omnium cum materia vergit, ita ut inficietur objectivam realitatem ipsius *ego* humani singularis. Ait enim, si fides Colebrooke: *Ego non existo; nec ego, nec aliquid quod sit mei, vere existit.*

Tertia: Apud Indos observantur cuncta fere systemata, quæ postea tum apud Græcos, tum apud occidentales populos extra doctrinam catholicam prodierunt; unde initia philosophiæ pure rationalis eis tribui merito posset. (1)

§ III.

Philosophia Sinensium, Persarum et Ægyptiorum.

Horum populorum philosophiam jungimus, tum quia certa monumenta ad ipsorum doctrinas tuto dijudican-

---

(1) «L' Orient est le berceau de la civilisation et de la philosophie; l'histoire remonte jusque-là, et pas plus haut.» Cousin, *Histoir de la Phil.*, lect. 5.ª

das non habemus, tum maxime quia theologiam ac religionem potius quam philosophiam proprie sapiunt illorum systemata.

A) Duo præcipui philosophi apud Sinenses celebrantur, quorum primus *Lao-tseu* 604 ante Christum natus, scripsit opus inscriptum: *Tao-te-king* (*Liber viæ et virtutis*) in quo præter metaphysica quædam circa Dei naturam rerumque emanationem ex divina substantia, fusius de moralibus disserit. Alter Sinensium philosophus Confucius (*Khoung-fu-tzée*) 551 ante Christum natus, quantumvis maxima veneratione et cultu Sinenses eum prosequantur, potius compilatoris quam philosophi nomen meretur; quandoquidem libri qui ipsi tribuuntur, moralia quædam solum continent: unde revera, qua philosophus, multo inferior Lao-tseu proculdubio existit. Igitur, nostra sententia, si nomen et venerationem apud Sinenses obtinet, id debet: 1.° sectæ *Litteratorum* populo præsidentium et imperantium, qui se Confucii discipulos profitentur: 2.° compilationi veteris Sinensium doctrinæ. (1)

B) Persarum doctrina hæc continet: 1.° Primum omnium principium est *Mithras*, quod etiam *Zeruane-Akerene* dicitur, quasi tempus illimitatum, ac ens æternum sine ullo principio: 2.° Hoc principium genuit *Ormuzd*, principium boni, et *Ahriman* principium mali, ex quorum pugna prodiit mundus iste bonis et malis constans: 3.° Hæc pugna, statuto tempore finem accipiet per victoriam Ormuzd destruentis regnum Ahriman, qui tunc amicitia cum Ormuzd et ipse conjungetur.

---

(1) «C' est lui, qui recueillit et mit en ordre tous les documents religieux, philosophiques, politiques et moraux qui existaient de son temps, et en forma un corps de doctrines sous le titre de *Y-king*, ou *Livre sacré des changements*; *Chou-king*, ou *Livre sacré par excellence; Chi-king*, ou *Livre des vers; Li-ki* ou *Livre des rites.*» Pauthier, *Les Livres sac. de l'Orient*, Introd, pag. 11.

Persæ ignem primitus coluerunt tamquam symbolum divinitatis; postea vero cultum astrorum (*Sabæismum*) amplexati sunt. Admittebant tamen resurrectionem hominum, animarum immortalitatem, et præmia ipsarum in paradiso post definitivam victoriam Ormuzd. Ipsorum systema tam theologicum quam philosophicum continetur in *Zend-Avesta*, cujus auctor habetur *Zoroaster*, qui floruit ætate Darii Hystaspes.

C) Ægyptiorum doctrina secreta (*esoterica*) quæ apud sacerdotes servabatur, ignota nobis adhuc existit. Quod attinet ad externam (*exotericam*) quæ apud vulgares homines vigebat, sequentibus summatim continetur: 1.° existit principium æternum et universale omnium, ex quo emanant *Osiris* et *Isis*; quorum primum est principium activum et immateriale, alterum principium passivum et materiale: 2.° ex unione horum duorum principiorum reliqua entia producuntur: 3.° Osiris est sol vel saltem in ipso dominatur, sicut Isis in luna: 4.° spiritus inferiores ex Osiri procedunt, et astra ac præcipuas mundi partes regunt, movent et gubernant: 5.° hominum animæ immortales sunt, ac si purificatæ in morte inveniantur per bona opera, præmia recipiunt; si vero peccatis maculentur, puniuntur per transmigrationem in corpora animantium et alia viliora. Ex hac fortasse doctrina originem duxit stupida superstitio populi ægyptiaci, qui non sabæismum modo, sed etiam fetichismum consectabatur.

CAPUT SECUNDUM.

EPOCHA SECUNDA.

Philosophia græca usque ad instaurationem socraticam.

Postquam Græcorum doctrina emersit e forma poetica et religiosa, sub qua in Orpheo et reliquis vetustioribus poetis invenitur, quatuor præcipua systemata peperit quæ continentur schola *jonica*, *italica*, *atomistica* et *pantheistica* seu eleatica, ac denique tamquam communem omnium terminum *scepticismum*; de quibus sigillatim dicendum.

§ I.

Schola jonica.

Thales Mileti natus sex ante Christum sæculis, fundator habetur hujus scholæ, cujus character fundamentalis est: 1.° spectare mundum seu naturam tamquam animatam vi quadam divina, singulis ejus partibus intime conjuncta; unde non aliam divinitatem quam naturam ipsam agnovisse videtur: 2.° adserere primum principium omnium rerum esse materiam, quam tamquam ens primævum et improductum habebant hujus scholæ

sectatores. Dissidebant tamen quoad designationem et nomen hujus materiæ-principii. Nam

a) Thales principium rerum nuncupabat *aquam*, ex qua cætera elementa et composita formata sunt. Sed ejus discipulus

b) *Anaximander* principium rerum ajebat esse materiam nude sive abstracte sumptam, quam sub nomine *infiniti* designabat; ac simul rerum mundanarum varietatem explicabat per *rarefactionem* et *condensationem* præfatæ materiæ.

c) *Anaximenes* (548 ante Christum Mileti natus) hanc materiam originem rerum vocavit *aerem*, ex cujus rarefactione et condensatione cuncta oriri et interire autumabat; quam sententiam sequutus est ejus discipulus *Diogenes* Appollonius.

d) *Heraclitus* (500 ante Christum Ephesi natus) asseruit: 1.° materiam primævam ac rerum principium, esse ignem: 2.° ipsum constituere etiam animam universalem mundi: 3.° animas singulorum hominum esse veluti quasdam exhalationes illius animæ universalis.

e) *Anaxagoras* tandem (494 ante Christum Clazomenæ natus) scholam jonicam regeneravit ac perfecit. Quamvis enim Anaximenis fuerit discipulus, et quamvis cum jonicis docuerit, materiam ex qua mundus constat, esse primævam et æternam, at simul docuit: 1.° materiæ hujus atomos temere primum confusas, per *spiritum divinum* fuisse ordinatas: 2.° præfatum *spiritum divinum* esse omnipotentem, sapientem, ac a mundo et materia distinctum et independentem; ac proinde notionem veri Dei personalis atque spiritualis philosophorum primus apud Græcos docuisse videtur. Atque propter doctrinam circa Deum, quæ cum populorum superstitione et poetarum figmentis pugnabat, carcere et exilio fuit damnatus, eximius hic philosophus.

§ II.

Schola italica.

Pythagoras in insula Samos natus ac Thaleti coævus, hujus scholæ fundator extitit. Postquam Pherecidem Syrum audivit, Ægyptum, Phæniciam, Persidem et alias orientales regiones peragravit, orientaliumque artibus et scientiis cognitis, Crotone in Italia constitit. Juxta orientalium morem, præter doctrinam vulgarem et publicam, aliam secretam seu esotericam habebat, illustrioribus quibusdam discipulis reservatam. Tanta auctoritate apud discipulos pollebat, ut quæstio quævis finem acciperet, ex quo constabat quid Pythagoras docuerit. Hinc illud tritum: *magister dixit*. Hujus scholæ doctrina philosophica ad sequentia revocari potest:

a) Principium omnium rerum est Deus, unitas absoluta, (*monas*) et prima, quæ continet in se sive in sua unitate, ens ideale et materiale, sive spiritum et materiam.

b) Ex hac prima *monade* vel unitate oritur *dyas*, principium vel ratio indeterminationis, oppositionis et imperfectionis, in rebus ex quibus mundus coalescit: unde ex *monade* tamquam principio activo, et ex *dyade* tamquam principio passivo, mundus formatus est.

c) Est autem mundus complexus unitatum, seu potius, manifestatio externa et multiplex unitatis primævæ vel monadis: atque ipsa anima rationalis, est quidam numerus, quatenus ex monade atque ex dyade simul participat.

d) Deus seu monas prima, cunctis rebus seu substan-

tiis implicatur; ac proinde constituit animam universalem mundi, ex qua spiritus, dæmonia, et animæ hominum emanant.

e) Homo quibusdam operationibus communicare potest cum spiritibus illis ac dæmoniis: atque ad præfatam communicationem maxime disponitur, dum intellectum et voluntatem ab objectis et bonis sensibilibus secernit, seipsum ad intelligibilia et æterna convertendo.

f) Hominis animæ ante corpora extitere, ac de corpore in corpus perpetuo migrant: quibus transmigrationibus purificantur a maculis quæ ex dyade ipsis obveniunt, donec ab ista penitus liberatæ et solutæ in Deum transformentur et absorbeantur.

Pythagorici, non philosophiam tantum, sed musicam, astronomiam, ac præsertim mathesim, coluerunt, ex qua etiam symbola acceperunt, quibus ipsorum obvolvitur philosophia. Moralem quoque ac politicam evolverunt Pythagoræ discipuli ac successores; quorum præcipui sunt, Empedocles Agrigentinus, Ephicharmus, Ocelus, Timæus Locrensis, Architas Tarentinus, Philolaus, et tandem Hiparcus et Eudoxius, qui in physicis et mathesi excelluere.

§ III.

Schola atomistica.

Doctrinam scholæ jonicæ *Leucippus* et *Democritus* evolventes, systema atomisticum materialismo infectum protulerunt, cujus hæc sunt præcipuæ assertiones:

a) Rerum omnium principia sunt *plenum* et *vacuum*; quod quidem vacuum non entis carentia vel privatio, sed

ens reale et positivum est: *plenum* vero constituitur per infinitam multitudinem *atomorum* diversæ figuræ et magnitudinis, sed æterno et essentiali motu præditarum.

b) Atque varia conjunctione harum atomorum, rerum varietas quæ in mundo cernitur, exurgit.

c) Animæ humanæ sunt atomi igneæ; ac proinde cum ipsarum extinctione aut separatione extinguuntur et animæ.

d) Cognitio perficitur quatenus tenuissimæ quædam imagines ex objectis continuo avulsæ et avolantes, sensus et rationem percellunt, eisque objecta repræsentant.

Leucippus natus est Abderæ in Thracia anno 470 ante Christum; et discipulum habuit Democritum ibidem natum.

§ IV.

Schola pantheistica.

Ex idealismo et anima universali mundi a Pythagora traditis, initium et occasionem sumpsit pantheismus scholæ eleaticæ, cujus præcipui asseclæ habentur:

A) *Xenophanes*, (617 ante Christum Colophoniæ natus) qui Eleæ sedem figens ac nomen huic scholæ tribuens, hæc docebat: 1.° Ex nihilo nihil fit, ac proinde nihil de novo produci potest, sed quidquid existit secundum essentiam suam ab æterno existit, et in æternum erit. 2.° Deus ergo est omne esse, et rerum universitas est unum et idem esse Dei. 3.° Igitur quoad esse substantiale, omnia sunt unum, quia nonnisi unum esse dari potest.

B) *Parmenides* (508 ante Christum Eleæ natus) Xeno-

phanis auditor, ejus doctrinam tuitus est ac evolvit, docens entia seu substantias finitas quas in mundo cernimus, non esse *objective reales*, sed mera phænomena apparentia, seu illusiones sensuum. Hinc eleatici, sensibus vim omnem erga veritatis cognitionem negabant, solique rationi insistendum docebant; qua in re scholæ atomisticæ e regione opponebantur, quæ vim animæ erga cognitionem objectorum sensibus tantummodo tribuebat.

C) *Melissus* demum (444 in insula Samos, ante Christum natus) eandem doctrinam professus est ac Parmenides, cujus fuerat auditor.

Notare velim, non multum fidendum esse analysibus doctrinæ harum veterum scholarum, quarum vel nulla, vel perpauca originaria et indubitata monumenta ad nos pervenerunt. Etenim, ut prudenter Balmes adnotavit, ex temporum distantia, operum corruptione, idiomatum difficultatibus, ænigmaticarum locutionum inepta interpretatione, gravissimi errores non potuerunt non oriri. Prudenter igitur se geret lector ille, qui horum veterum systematum expositionem intra probabilitatis terminos contineat.

D) *Zeno*, Parmenides auditor, (460 ante Christum Eleæ natus) ex una parte pantheismum idealistam firmavit; ex alia vero scepticismi fundamenta jecit. Pantheismum eleaticum firmavit quatenus docuit:

a) Pluralitatem objectivam entium minime admittendam esse, quia aliter opus esset rebus tribuere contrarias qualitates vel attributa, similitudinem et dissimilitudinem, unitatem et pluralitatem, motum et quietem etc.

b) Divisibilitas tribui nequit rei extensæ absque contradictione; nam si partes quæ in ea supponuntur sunt simplices et indivisibiles, ex eis nequit conflari res extensa; si partes compositæ sunt, in infinitum progredietur divisio, ac proinde non tantum tollitur unitas,

sed corpus extensum erit finitum simul et infinitum.

Scepticismo favet dum docet:

a) Fidem omnem denegandam sensibus, quibus perpetuo deludimur et ad falsa judicia impellimur.

b) Sensus quippe testantur res in spatio reali existere, quod tamen impossibile est; nam si corpora in spatio essent, ipsum spatium in alio spatio esset, et sic in infinitum.

c) Similiter nos decipiunt sensus, dum motum esse testantur; res namque moveri nequeunt nec in loco in quo sunt, quia ibi quiescunt, nec in loco in quo non sunt.

§ V.

Schola sceptica.

Doctrinam Zenonis eleatici evolventes philosophi qui ei successerunt, Scepticismum facile induxerunt; cui systemati viam simul et occasionem præbuerunt pugnæ quibus quatuor enumeratæ scholæ inter se digladiabantur. Pythagorici enim naturalismum scholæ jonicæ; hujus vero adseclæ idealismum scholæ pythagoricæ, falsitatis evincebant: similiter eleatici materialismum Leucippi et Democriti; hi vero pantheismum scholæ eleaticæ facile oppugnabant; ex quo contigit, ut mens humana dubia et falsa ubique reperiens, ab omni affirmatione se cohibuit atque ad universalem dubitationem se convertit. Profluxit exinde non parvus numerus *sophistarum*, (1) qui om-

(1) «El nombre de sofista considerado en su etimología nada tiene de infamante, pues se deriva de un verbo griego que significa enseñar

nia susque deque permixcentes, subtilitatibus ac cavillis insistentes, affirmationem et negationem, veritatem et errorem æque simul consectabantur, ac sceptica ratione pertractabant. Horum præcipui fuere:

A) *Gorgias*, (440 ante Christum Leonti in Sicilia natus) qui ajebat: 1.° nihil realiter existere, vel saltem nihil certo ab homine posse cognosci: 2.° si quid vere existat aut verum in seipso sit, cæteris hominibus non posse id ostendi: 3.° moralitatis regulas et principia, non ex propria essentia, sed ex hominum conventione vera aut falsa esse.

B) *Protagoras*, Democriti discipulus (Abderæ 498 ante Christum natus) qui ajebat: 1.° humanam cognitionem, phænomena tantum seu rerum apparentiam attingere: 2.° hominem percipientem, esse mensuram veritatis et falsitatis quoad res perceptas, ita ut res objective sumptæ, nec veræ sint nec falsæ, sed veritatis et falsitatis denominationem recipiunt ex modo quo a subjecto percipiuntur: 3.° nihil posse tuto de rebus disputari, quia ex utraque parte æqualis veritas reperitur: 4.° Deorum existentiam realem dubiam ac problematicam esse, nec per certitudinem dignosci posse.

C) *Calicles* ex Acharnania ortus, qui præter alia sophistis coævis communia, profitebatur non aliam esse regulam justi et injusti moralis, præter instinctum natu-

---

la sabiduría, y no designaba primitivamente sino á los que estaban encargados de esta bella mision. Mas en lo sucesivo se halló una nube de *ergotistas* que abusaban de sus talentos, de los conocimientos que tenian en el arte del raciocinio, y de su facilidad en hablar, para disputar sobre todo: embrollaban lo que era mas claro, oscurecian toda verdad, seducian y engañaban los entendimientos bajo pretesto de instruirlos, y se decoraban con el honorífico título de sofistas. Desde entonces cambió de significacion esta palabra, y aunque noble en su orígen, no ha sido tomada despues sino en mal sentido.» Bouvier, *Historia Elem. de la Filos.*, cap. 7.°

ralem, ipsorumque distinctionem apud homines ex politica et legibus promanasse.

Præter hos extiterunt quamplurimi ejusdem furfuris sophistæ et sceptici, ut *Prodicus* in insula Ceos natus, *Hippias* ex Elide originem ducens, *Thrasymacus* Chalcedone, *Euthydemus* in insula Chio, ac *Critias* Athenis nati.

Observationes.

1.ª Prout fere semper ac constanter in historia philosophiæ observatur, in hac secunda epocha, systemata varia quæ hominis ratio sibi ipsi relicta peperit atque evolvit, scepticismo tandem occasionem et originem suppeditarunt, postremis temporibus.

2.ª Quatuor præcipuæ scholæ, quæ hac secunda epocha viguerunt, peculiaribus characteribus insigniuntur. Equidem, *jonica* physicam fere unice colebat; unde eidem nimis insistendo dualismum consectatur, simulque proinde ad naturalismum purum vergit, atheismoque viam parat: *pythagorica*, præter symbolismum quo philosophiam deturpat et obruit, ad idealismum vergit, simulque semina pantheismi statuit: *atomistica*, naturalismum scholæ jonicæ evolvens, atheismum docet atque amplectitur: *eleatica* similiter, idealismum et semina pantheistica scholæ pythagoricæ evolvit, atque ad pantheismum purum perducit.

3.ª Cæterum, atheismo scholæ atomisticæ viam stravit, ac proludium fecit speciali ratione Anaximander, dum statuit principium rerum omnium esse materiam, quam etiam simul *infinitam* nuncupabat: ex hac quippe doctrina facillimus ac spontaneus existit transitus ad negationem Dei viventis, personalis, intelligentis ac spiritualis.

CAPUT TERTIUM.

TERTIA EPOCHA PRIMI PERIODI.

§ I.

Instauratio Socratica.

Socrates (Athenis 470 ante Christum natus) philosophiam procacitate et erroribus sophistarum deturpatam ac fere eversam, instaurare agressus est, idque duplici potissimum ratione: 1.° retundendo arrogantiam et petulantiam coævorum sophistarum quos ex simulata ignorantia interrogationibus premebat, eos cogens absurda et contradictoria amplecti: 2.° mentis aciem hominisque attentionem ad observationem psychologicam convertens, ac eam sobrietatem in scientia humana constituens, qua verus sapiens profitetur aliquas ac præcipuas veritates hominem attingere per certitudinem posse, at multo plura ea esse quæ homo, aut probabiliter tantum, aut nulla ratione cognoscit. Fuit autem Socrates modestæ fortunæ homo, utpote filius Sophronisci statuarii, ac Phænaretæ obstetricis, suavitate morum præcellens, ac familiarem consuetudinem et dialogos adhibens pro philosophia quærenda et discipulis tradenda. Librum nullum, quod sciamus, scripsit; at ipsius doctrina prout ex Xenophonte, Platone, Aristotele, Cicerone, Plutarcho et aliis constat, sequentibus summatim continetur.

a) Homo sapientiæ initium et profectum ex seipso desumere debet juxta illud delphicum: *Nosce teipsum;* atque ex suipsius vestigatione et notitia, assurgit ad divina, moralia et politica cognoscenda; ad quæ objecta integram humanæ mentis aciem convertere oportet, quandoquidem mundi originem, naturam, proprietates et leges dignoscere, parum homini interest, ac difficile obtinetur.

b) Vera igitur sapientia posita est in eo quod homo agnoscat quidnam sibi agendum est, tum quoad seipsum, tum quoad alios ; quod quidem obtinetur et cognitione suipsius, et exercitio virtutum moralium, quibus homo suipsius fit dominus ac vere sapiens. Virtutes porro quibus homo moralem perfectionem, in qua hujus vitæ felicitas sita est, adsequitur, sunt prudentia, temperantia, fortitudo et justitia.

c) Deus unicus existit, essentialiter bonus, ab omni materia sejunctus, omnibus rebus providens, ac cuncta humana et mundana, videns et audiens ; qui quidem Deus ab homine coli debet pietate, quæ nihil aliud est quam cultus Deo redditus per praxim bonarum actionum ac per conatum ad continuo proficiendum in perfectione morali. Hic porro Deus invisibilis quidem est in seipso; at ex mundi hujus adspectabilis existentia, ordine et harmonia, aperte colligitur.

d) Anima hominis spiritualis et divinæ naturæ particeps existit, ac post mortem ad locum migrat, in quo ab omnibus miseriis libera, vera ac perfecta felicitate potitur. Hæc ipsa anima, dum in mundo perstat, communicationem habere potest cum Deo et spiritibus ipsa superioribus.

Notum est, Socratem ab Aristophane in comœdia *Nubes* irrissum ac de impietate erga populares Deos accusatum, cicutam bibere coactum fuisse 70 ætatis suæ

anno. Turpium vitiorum nihilominùs ab aliquibus (1) fortasse immerito est accusatus.

§ II.

Scholæ quædam quæ ex instauratione socratica initium et occasionem habuerunt.

Ex schola Socratis, aliæ plurimæ sive immediate sive mediate exortæ sunt, quarum quædam *incompletæ* dici queunt, quia partem tantum ipsius doctrinæ excoluerunt atque evolvere agressæ sunt; aliæ *completæ*, illæ nimirum, quæ universam Socratis doctrinam non solum amplexatæ sunt, sed eam nova ratione evolverunt et auxerunt. Priores, quas summatim tantum attingere licet, sunt:

A) *Schola Cyrenaica*, cujus auctor extitit Aristippus (Cyrene in Africa 380 ante Christum natus) qui docebat: 1.° voluptatem esse non solum ultimum finem hominis, sed regulam etiam ad discernendum verum et falsum, ac proinde integram hominis vitam, tamquam fundamentis inniti voluptati ac dolori: 2.° corporis voluptates voluptatibus animæ præcellere, verumque existere virtutis humanæ premium, ac idcirco: 3.° nullam existere veram aut essentialem differentiam inter bonum et malum mo-

(1) «Lo que se ha dicho de su bigamia y de su amor infame hácia el jóven Alcibiades su discípulo, es considerado generalmente como falso y calumnioso, y se halla desmentido por su doctrina, por su vida, y, en fin, por el silencio de muchos que debieran haber hablado de ello.» Bouvier, *Historia Elem. de Filos.*, cap. 8.°

rale, quippe quæ ex hominum consuetudine, opinionibus et legibus, unice oritur.

Aristippi doctrinam tuiti sunt et evolverunt ejus discipulus et consanguineus *Aristippus*, Cyrene similiter natus, sicut et hujus discipulus *Theodorus*, *atheus* cognominatus, eo quod non tantum Dei existentiam negavit, sed systema conflavit in quo et tuetur indifferentiam moralem et religiosam, ac simul e medio tollit veritatis omne criterium, viam Pyrrhoni sternens; tandem *Hegesias* et *Anniceris* qui Alexandriæ docuerunt.

B) *Schola Cynica*, fundata fuit ab *Antisthene* altero Socratis discipulo, qui magistri moralem evolvens et ad exaggerationem perducens, constituit: 1.° summum hominis bonum in virtute situm esse, quæ quidem virtus non habetur nisi per privationem et contemptum omnium bonorum sensibilium et externorum: 2.° cum solum vitium habeat rationem mali, et sola virtus rationem boni, cætera omnia indifferentia prorsus sunt, ac proinde operationes quæcumque hominis et corporis, dummodo vitia non sint, semper, publice et ad solius naturæ leges exercere fas est. Atque ex hac insolita licentia et inverecundia, qua functiones quasdam appetitus sensitivi et corporis peragebant, *cynici* appellati sunt Antisthenis discipuli et asseclæ, quamquam alii sic denominatos volunt ex loco in quo ille docebat, qui *Cynosarges* dicebatur.

Doctrinam cynicam verbo et exemplis tradiderunt *Diogenes* (414 aate Christum Synope natus) qui famosus evasit potius propter insolitam vivendi rationem, et narrationes anedocticas quæ de ipso habentur, quam propter ejus doctrinam; *Crates* Thebis, ejusque uxor *Hipparquia* apud Maronæam nati; *Onesicritus* apud Æginam natus, *Menedemus* et *Menippus*.

C) *Schola Megarica*, nomen accipit a civitate in qua fundata fuit ab *Euclide* (qui confundendus non est cum

altero Euclide mathematico ibidem posteriori ætate nato) qui post mortem Socratis Megaræ sedens, docuit: summum hominis bonum esse τὸ *Unum*, qua in re Euclides reminisci vedetur systema eleaticum quod professus fuerat priusquam Socratis discipulus evaderet. Addebat τὸ *Unum* esse verum ac unicum ens reale et immutabile. Præter hæc, ratiocinium ex analogia rejiciebat, ac doctrinam socraticam formulis abstrusis et obscuris exponebat.

Hujus scholæ nobiliores asseclæ fuerunt, *Eubolides* Mileti natus, qui auctor habetur septem sophismatum, qui denominantur, *Mentiens*, *Occultus*, *Electra*, *Velatus*, *Sorites*, *Cornutus*, *Calvus*, *Alexius*, *Phylo*, *Stilpo*, *Clinomacus* et *Euphantus*.

D) Præter recensitas, duæ aliæ ex schola Socratis exortæ sunt, nempe, *Elidensis* et *Eretriensis*, de quibus nihil speciale constat. Harum prima a *Phædone* stabilita fuit, altera a *Menedemo*.

§ III.

Philosophia Platonis.

Inter scholas quæ ex impulsu socratico emerserunt, merito celebrantur *Academica* et *Peripatetica*, quarum fundatores Plato et Aristoteles inter maximos philosophos proculdubio connumerari debent, et quorum idcirco philosophiam fusius exponemus.

Plato (430 ante Christum) Athenis natus est ex stirpe Codri et Solonis, Aristone et Perictione parentibus. Post auditum per octo annos Socratem, Ægyptum, Siciliam aliasque regiones peragravit, veterum traditiones et doc-

trinas præsertim orientales colligendo. Non philosophiam modo, sed poesim ac mathesim colens, inscriptionem scholæ apposuit: *Nemo huc intret geometriæ ignarus.* Ex gymnasio in quo Athenis docuit, cujus dominus *Academus* vocabatur, ipsius schola *Academia* dicta fuit. Plurima sub forma dialogorum scripsit; at non raro obscura et enigmatica ratione, ita ut difficile sit ejus genuinam mentem assequi, ex quo et aliis signis conjectari licet, eum, præter doctrinam publicam, aliam secretam habuisse. Utut sit, en probabiliter ejus doctrinæ summa. 1.° Quoad scientias.

a) Hominis proprie dicta *scientia* constituitur per philosophiam, per quam homo et divina noscit, et humana gubernat; unde philosophia partim theoretica, partim practica existit.

b) Veritates vero quas philosophia complectitur, homo sola ratione cognoscit; nam sensus corporalia et sensibilia percipientes, quæ contingentiæ et mutationi sunt obnoxia, nequeunt pertingere ad cognitionem scientificam, quæ circa esse immutabile et necessarium versatur.

c) Rerum essentiæ, quarum cognitio *scientiam* unice constituit, sunt *Ideæ* immutabiles, æternæ, necessariæ, ab omni materia sejunctæ et independentes, ex quarum impressione seu participatione in materia exsurgunt individua, at ex earumdem impressione primitiva in anima seu mente, resultant in hac ideæ participatæ, seu potius aptitudo et vis ad cognoscendas illas *Ideas* æternas, quæ continent essentias rerum.

2.° Quoad mundum.

a) Mundus hic adspectabilis duplici constat elemento seu principio, quorum primum est materia, quæ est quasi principium passivum, informe ac compositum ex quatuor elementis; alterum est anima universalis, quæ est quasi principium activum et vitale, mundum ejusque omnes partes informans.

b) Præfata mundi materia est æterna et improducta, eamque Deus distribuit et formavit in varia entia, juxta *Ideas* illas prototypas, quæ constituunt mundum idealem; eidemque materiæ communicavit (nescitur num per emanationem ex propria substantia, aut per productionem ex materia) animam universalem.

c) Principium passivum mundi seu materia, est origo et ratio mali; ex quo consequitur *malum* esse æternum et necessarium, sicut ipsa materia, in theoria Platonis.

3.° Quoad Deum.

a) Existit Deus summe bonus, bonique totius, pulchri ac veri principium, a mundo et omni materia sejunctus.

b) Hic Deus mundi conditor et ordinator existit, unde ejus principium activum nuncupari potest; non tamen conjunctum, ut anima universalis, sed separatum et independens; astomnium rerum providentiam et curam habet.

4.° Quoad hominem.

a) Ex mundi anima universali plures animæ humanæ oriuntur; quæ primum astris præpositæ, ob scelera admissa in corpora humana pro carceribus detruduntur, ubi cum anima alia irrationali conjunguntur.

b) In homine igitur, præter rationalem animam quæ spiritualis, immortalis ac divinæ particeps existit naturæ, invenitur alia quæ mortalis est, atque origo concupiscentiæ et passionum. Aliqui tamen opinantur Platonem tres animas homini concedere, quarum *intellectualis* in capite existat, animalis seu *sensitiva* in hepate vel corde, *vegetativa* in regione gastrica.

c) Quoniam rationalis anima antequam corpori uniretur, impressione et cognitione *Idearum* jam potiebatur, dum in hac vita occasione sensationum vim exerit, et veritatem cognoscit, iteratam cognitionem seu potius conscientiam obtinet præcedentium notionum; unde scientia quæ in præsenti vita acquiritur, *reminiscentia* dici potest.

5.° Quoad moralem et politicam.

Hæc merito habet Balmes: «Quamquam Platonis theoriæ morales sublimes sint, quippe qui virtutem ponit in imitatione Dei, fatendum tamen cum ad praxim descendit, minus felicem esse: in ejus *Republica* nonnulla inveniuntur quæ referre pudet: ejus *dialogos* appelavit Jefferson libellos famosos contra Socratem.

Platonis politicæ summa perfectio erat individui absortio in societate; quæ perfectio tunc summa existeret, cum omnia communia forent, etiam mulieres. «Perfectior societas illa erit, inquit Plato, in qua strictius et plenius in praxim deducatur vetus proverbium, *inter amicos omnia esse communia*. Ubicumque id eveniat, vel in posterum eventurum sit, ut mulieres, filii, bona, communia sint, diligentissime curando ut vel ipsum dominii nomen penitus obsolescat, ac quantum fieri possit communia sint etiam vel illa quæ homini natura dedit, ut oculi, aures, manus, ita ut cives omnes sibi videantur in communi operari, audire, et videre, et eadem omnes probent vel rejiciant, atque iisdem doloribus vel voluptatibus afficiantur; uno verbo, ubicumque leges sibi proponant facere *Rempublicam* perfecte *unam*, ibi erit politicæ virtutis summa, nec legibus illis perfectiores excogitari poterunt. Hæc Respublica sive Deorum sit, sive Diis genitorum, completissimæ felicitatis mansio est.»

Observationes.

Prima: Inter multa vera quæ philosophia Platonis continet, plurima etiam sunt inepta, prorsus falsa ac periculosa, ut videre est in ejus doctrina morali et politica, in ejusdem opinionibus circa naturam et præexistentiam animarum rationalium, materiæ æternitatem, etc. Sed præterea scepticismo et idealismo viam sternit: idealismo quidem, ex omnimoda oblivione materiæ et contemptu sensuum quoad scientiam capessendam, non secus ac ex confusa et obscura Idearum theoria:

scepticismo vero, ex ratione scribendi ipsi familiari, qua diversæ et oppositæ sententiæ in utramque partem firmantur, adeo ut impossibile quandoque evadat ipsius opinionem dignoscere.

Secunda: Ex dictis colligitur, absurdam esse opinationem illorum qui autumant vel potius somniant, Trinitatem catholicam apud Platonem reperiri. Etenim platonica trinitas, si qua existit, constat ex *Deo*, ex *Ideis*, quæ constituunt mundum idealem et typicum, et ex *anima universali*, qua mundus vitam et motum recipit. Jam vero, in primis nullibi docet Plato hæc tria, hypostases seu personas esse, quod vel solum sufficeret ad funditus evertendam similitudinem, non dicam identitatem platonicæ trinitatis cum trinitate catholicorum. Deinde, *Ideæ* illæ fictæ trinitatis platonicæ, probabilius a Platone habentur tamquam substantiæ a Deo distinctæ et extra ipsum positæ, ex quo sane non secunda persona, sed tot personæ resultarent quot ideæ ab ipso ponuntur. Quod si quis contendat *Ideas* illas in mente seu ratione divina contineri, (quod omni ferme verisimilitudine caret) nunquam ex Platone ostendet mundum illum idealem ex Ideis conflatum, veram personalitatem a Dei personalitate distinctam continere. Tertio tandem, etiam si hæc omnia deficerent, adhuc absurdum esset Trinitatem in Platone quærere: siquidem, quæ tamquam tertia persona eidem assignatur, nempe, *anima universalis* mundi, a Deo producta fuit, ipsique prorsus inferior est apud Platonem: quæ sane vel sola res sufficeret ad quamcumque affinitatem inter Trinitatem catholicam et platonianam e medio tollendam. Qui ergo non præoccupato animo doctrinam Platonis expenderit, nullam Trinitatem catholicam, sed purum putumque Dualismum ethnicum ex Deo uno, et materia æterna constantem, ibi reperiet.

Tertia: Porro conatus iste detegendi in doctrina platonica Trinitatem aliaque dogmata religionis christia-

næ, apud recentiores quosdam rationalistas, ideo invaluit, ut hac ratione originem divinam et supernaturalem catholicæ Religionis callide e medio tollant; (1) unde non-

(1) Dixi *apud recentiores rationalistas*, nam quamvis aliqui e veteribus Ecclesiæ PP. præsertim ex his qui ex platonismo ad Christi Religionem transierunt, vel Platonis philosophiam coluerunt, ut S. Justinus, Athenagoras, Clemens Alexandrinus, Origenes, etc., studuerint relationes et affinitates quasdam inter Platonis doctrinam et Christi Religionem invenire, id eo animo fecerunt: 1.° ut ostenderent veritates philosophicas, morales et religiosas per naturalem rationem cognitas, cum doctrina catholica per Christum revelata minime pugnare, sed eidem potius favere: quinimmo quasdam ex his veritatibus, ut existentia et unitas Dei, animæ immortalitas, etc., a revelatione Christi præsupponi tamquam ipsius quædam fundamenta: 2.° ut hac ratione evellerent præjudicia quorumdam gentilium, præsertim philosophorum, qui falso existimabant christianam Religionem philosophiam excludere ac cum ea pugnare.

Rejicere ergo oportet non solum sententiam Le Clerc, Souverain et Ackerman, qui christianam doctrinam ex doctrina Platonis repetunt, sed sententiam quoque catholici theologi Petavii, qui influxum philosophiæ platonicæ in veteres Ecclesiæ PP. longius quam par est perducit, immerito inter alia adfirmans, eorum «plerosque de Sanctissima Trinitate platonico more sensisse;» quodque pejus est, adserere non veretur: «Justinum, inferioris cujusdam conditionis esse putasse Filium, etiam antequam homo fieret, ac minorem esse Deum, qui nec ubique esset, et spatio circumscriberetur aliquo et paternæ voluntati serviret;» quibus postquam non absimilia tribuit Athenagoræ, Tatiano et Theophilo Antiochensi, sic tandem concludit: «Quæ ut absurda, ita Justini, Athenagoræ ac Tatiani doctrinæ consentanea sunt, et ex platonico dogmate deprompta.» Qui agnoscere velit Petavium injuste hos veteres scriptores accusasse de violato dogmate Trinitatis ex dogmatibus platonicis, adeat recentiores theologos catholicos ac præsertim Mœhler in sua *Patrologia*.

Cæterum, si qui veterum Ecclesiæ PP. et scriptorum affinitatem inter platonica et christiana dogmata plus æquo extulerunt, in causa fuit opinio qua tenebantur, Platonem illa dogmata ex Moyse et Prophetis desumpsisse, dum Ægyptum et Asiam peragravit: unde ex ipsorum mente et sententia, secus ac evenit in rationalistis, dogmata christiana, sive in Platone reperiantur sive non, ex Dei tantum revelatione originem ducunt. Hinc et illi ipsi qui platonicam philosophiam extollunt et exaggerant, ut inter alios, Eusebius Cæsariensis, qui Platonem appellat *Moysem Atticum*, simul fatentur hujus philosophiam innume-

nisi post diligens examen et sub quadam diffidentia, excipere oportet quæ congerunt de identitate et affinitate inter platonica et christiana dogmata, nisi dilucida testimonia proferant.

6.° Platoni in Academia successerunt : 1.° *Speusippus*, qui duplicem veritatis criterium admisit, *rationem* pro veritate inteligibili; et *sensus* vel experientiam pro rebus sensibilibus: 2.° *Xenocrates* qui formulas et simbolismum pythagoræorum ad doctrinam Platonis transtulit: 3.° tandem *Polemon*, *Crates* et *Crantor*.

7.° Post istos qui magistri doctrinam essentialem conservarunt, novam formam subit academia sub *Arcesilao* (316 ante Christum nato) qui elementum scepticum platonicæ philosophiæ evolvens, *Secundam Academiam* fundavit, docens nullum existere tutum criterium veritatis, ac proinde nihil a nobis tamquam certum amplectendum. Ast vero *Carneades* (215 ante Christum Cyrene natus) *Academiam Tertiam* constituit, in qua docebatur hominem, certum quidem esse posse de existentia sensationum et perceptionum internarum; ast vero quoad objecta ipsa externa ad verisimilitudinem tantum, nunquam ad certitudinem pertingere.

---

ros gravissimosque errores continere cum christianis dogmatibus pugnantes.

Quod si quis e veteribus, philosophiæ platonicæ amorem et cultum revera ultra permissos fines provexit et ad exaggerationem perduxit, profecto non catholica dogmata sed potius multiplices errores ex eadem eduxit, atque in christianam Religionem invexit. Cujus rei exemplum præbet Origenes ; quandoquidem, maxima pars errorum qui ipsi tribuuntur, ut præexistentia animarum, earum casus et detrusio in corpora, finalis omnium rerum reversio *(apocatastasis)* seu reparatio per reditum ad Deum, etc., ex platonica philosophia proculdubio emanavit. Vid. Maret, *Theod. Crist.*

Moehler, in op. cit. Worter, art. *Platonisme. Dictio. encycl. de la Theol. Cath.*, t. 18.

Hæc porro cuncta maxime notata volui pro his qui postea theologiæ daturi sunt operam.

§ IV.

Schola Peripatetica.

Aristoteles hujus scholæ auctor et parens, natus est 384 ante Christum, Stagyræ, (hodie *Stauro*) quæ civitas est maritima Thraciæ, Macedoniorum regno jam tum adjuncta, matre Pæstiade, et patre Nicomacho qui medicinam profitebatur. Si fides Laertio, utebatur veste pretiosa, annulis et tonsura, fuitque voce gracili, parvis oculis et exilibus cruribus; sed quidquid de hoc sit, id indubium est, ipsum fuisse ingenio supra hominem sublimi et acerrimi judicii virum, qui scientias et artes fere cunctas et ad perfectionem didicit, et scriptis auxit et ornavit. Decimo septimo ætatis anno Athenas venit, ibique per viginti annos auditor fuit Platonis, qui eum appellare solebat *mentem suæ scholæ*. Nec multo post a Philippo Macedonum rege, præpositus magister filio Alexandro Magno, postquam hujus educationem et institutionem perfecit, Athenas reversus est, ubi tredecim annis publice docens, constituit scholam *peripateticam*, sic dictam vel ex *lyceo* in quo docebat, vel probabilius quia doctrinam discipulis deambulando traderet. Tandem impietatis erga Cererem et Deos populares, ex invidia, et fortasse zelotypia sophistarum et platonicorum accusatus, profugit Chalcidem, ubi mortem oppetiit, (1) 322 ante Christum anno.

---

(1) Circa ejus mortis genus et causam non una est scriptorum sententia. «Eumele, inquit Blainville, le fait mourir de poison; Saint Gregoire de Nazianze, Saint Justin, et d' autres ecrivains, disent qu' il

Præter publicam et communem doctrinam, aliam esotericam seu *acroamaticam* habebat, quam etiam ex parte in quibusdam ex operibus conscriptis exposuit. (1) Ast vero ob varios nec felices ejus librorum eventus, capita quædam ipsius doctrinæ, præsertim acroamaticæ difficile a nobis dignosci possunt; eo vel maxime quod ejus opera, corruptiones et interpollationes passa sunt, inter varios fortunæ casus, quos ita describit noster Vives, (2) summatim simul ac eleganter pro more: «Libri ejus diu latuerunt cum bibliotheca Theophrasti discipuli, quæ ad hæredes imperitos devoluta, multis annis in tenebris et squalore jacuit, usque ad tempora L. Syllæ Dictatoris, qui bibliothecam illam coemit, et libros describendos in ordinemque redigendos Tyrannioni dedit grammatico, sicut auctores sunt Plutarchus Cheronæus, et Strabo; post ea tempora, fuerunt in omnium manibus, sed non magno in pretio propter difficultatem sensorum ad quæ pauci penetrabant, quousque Alexander Aphrodisiensis, Antoninorum temporibus diligens Aristotelis lector, commentarios in multa illius opera conscripsit: tum primum cæpit Aristoteles et legi, et intelligi, et versari in hominum manibus, nimirum, intellecta utilitate quæ ex illius attenta lectione caperetur. Verum non omnia illius

---

ae précipita dans l' Euripe, d' autres, avec plus de raison prétendent qu' il mourut peu de temps après sa fuite d' une maladie d' estomac, héréditaire dans sa famille.» *Histor. des Sciences*, t. 1.°, pag. 187.

(1) Plures sane libros conscripsit Aristoteles, qui non integre ad nos usque pervenerunt. Qui supersunt, sunt: *Perihermenias=Categoriæ=Analytica Priora=Posteriora=Topica=Elenchi=De physica auditione*, lib. 8.=*De Generatione=De Cœlo et Mundo=Meteororum*, lib. 4.=*De Anima=Metaphysicorum*, lib. 12.=*Parva Naturalia=Problemata=Rhetorica et Poetica=Ethica ad Nicomachum=Ethica magna=Politica et Æconomica=Animalium Historia=De Partibus animalium*, præter opuscula quædam de quibus dubitant critici.

(2) *Oper. omn.*, t. 3, edit. valent., pag. 26.

ingenii monimenta, etiam quæ L. Sylla invenit, ad nostram ætatem pervenerunt, quod est intelligere ex iis, quæ a veteris memoriæ scriptoribus citantur. M. Tullius in secundo libro *De natura Deorum*, argumentum adfert Aristotelis, quo ille Dei providentiam ex consideratione pulchritudinis ordinisque mundi hujus colligebat; atqui argumentum hoc apud Aristotelem quem habemus, nusquam legitur: idem Cicero libros Aristotelis *De natura Deorum* visos a se testatur: Servius grammaticus Aristotelem citat dicentem aliqua numina mori: Isidorus, non Hispalensis Antistes, sed antiquior quidam, et Clemens in Stromatibus, asserunt Aristotelem de diis localibus mentionem fecisse, qui urbibus et regnis præsiderent. Transeo quæ de Aristotelis scriptis recenset Laertius, qui voluminum ejus summam ad quadringenta perducit, de quibus quidem nihil dubitetur, et multo aliter distinguit libros quam nos: at ut non omnia Aristotelis habemus, ita quædam sub nomine illius aliena circumferuntur, quod est Aristoteli cum omnibus fere magni nominis scriptoribus commune.» Jam, ejus philosophiæ dogmata præcipua, sic se habent:

1.° Quoad Philosophiam et Logicam.

a) Philosophia est cognitio rationalis veritatis, id est, notitia certa et evidens ex principiis per se notis et indemonstrabilibus deducta.

b) Principiorum autem quædam ex experientia sensibili per rationis inductionem acquiruntur; alia vero ratione immediate attinguntur, ut sunt ea quæ contradictionis, causalitatis, æqualitatis, etc., dicuntur, quæ continent et exprimunt relationes necessarias quarumdam idearum: attamen hæc ipsa principia ratione seu intellectu non percipiuntur, nisi quatenus mentis activitas excitatur et ad actum reducitur ex prævia operatione sensuum.

c) Logica est veluti instrumentum et organum alia-

rum scientiarum, ac leges ratiocinii docet; hujus vero forma et expressio perfectissima est *syllogismus*: (cujus naturam et leges exactissime tradidit omnium primus Aristoteles.) Logicæ sicut et aliarum scientiarum primum et fundamentale principium, est principium contraditionis; syllogismi vero immediatum principium illud est: *quæ sunt eadem uni tertio, etc.*

d) Ideæ vel res quæ de aliquo prædicari possunt, ad decem capita (categorias) revocantur: *substantia*, nempe, *qualitas*, *quantitas*, *relatio*, *actio*, *passio*, *quando*, *ubi*, *situs*, *habitus*. Hujusmodi vero prædicata subjectum respiciunt per modum, aut *generis*, aut *differentiæ*, aut *speciei*, aut *proprii*, aut *accidentis*.

2.° Quoad Physicam.

a) Mundus ab æterno existit non modo quoad materiam, sed etiam quoad formam. Ast *materia prima* hæc mundi, nec est corpus, nec concretio corporum aut atomorum, sed receptivitas originaria et universalis formarum, quibus successive subjici potest. Similiter *forma substantialis* ab accidentalibus prorsus diversa, est *actus primus* materiæ, quæ proinde materiæ tribuit et *esse primum* seu substantiale, et *esse tale*, quo determinatur ad essentiam specificam seu hanc vel illam speciem substantiæ.

b) Igitur, ex immediata unione *formæ substantialis* cum *materia prima*, constituuntur substantiæ omnes corporeæ, quæ eatenus *generationi substantiali* et corruptioni obnoxiæ sunt, quatenus ab una forma substantiali ad aliam transeunt; materia vero, quamvis plures formas substantiales successive habere possit, at simultanee nonnisi unicam, sicut unicam habere potest speciem quælibet substantia. Sicut autem nulla res existere potest quin in aliqua *specie* entis collocetur, nec materia prima existere unquam potest nisi informata aliqua forma substantiali, quæ rei esse et speciem tribuat; aliter

enim daretur aliquid realiter existens, quod nullam determinatam speciem seu naturam haberet.

c) Mundus complectitur cœlum et terram, substantiasque omnes quæ iisdem continentur. Corporum vero, quædam, nempe, *cælestia*, incorruptibilia existunt; *sublunaria* autem corruptioni sunt obnoxia, idque sive simplicia sint, ut quatuor elementa, sive composita, ut lapides, plantæ, animalia, etc., quæ etiam mixta dicuntur, quatenus ex congrua elementorum permixtione coalescunt.

d) Ast mundus ipse et incorruptibilis est et æternus, at minime infinitus quoad magnitudinem. Extra ipsum igitur nec locus ullus est, nec vacuum; quippe spatium quod locus et vacuum respiciunt, ab ipsa extensione mundi sive corporum ex quibus coagmentatur, realiter non distinguitur.

e) Formæ substantiales plantarum, animalium et hominis, *animæ* appellantur, atque in unoquoque viventium unica tantum existit, quæ est primum principium non solum omnium functionum et operationum vitalium, sed ipsius etiam esse substantialis et specifici; forma etenim substantialis est principium radicale et originale cujusvis perfectionis sive substantialis sive accidentalis rei; quantitas tamen sive extensio actualis in partes, quamvis corpori non adsit absque forma substantiali, sicut et reliqua accidentia, ei nihilominus congruit ratione materiæ, quæ est veluti prima ejus radix et ratio.

3.° Quoad Metaphysicam et Psychologiam.

a) Ens quod omnem materiam et potentialitatem excludit, perfectissimus est ac entium summus.

b) Atque hoc ens prorsus spirituale et indivisibile, Deus est, qui tamquam actus purus, summe bonus, summeque intelligens habendus est. Dubium adest num Aristoteles mundi cognitionem et providentiam in Deo agnoverit.

c) Homo ex corpore organizato et anima intellectuali

constat, quæ utpote essentialiter *actus primus* (*entelechia*) corporis humani, est principium motuum et operationum vitalium quæ in homine cernuntur; unde quamvis in seipsa et in propria substantia (*formaliter*) sit intellectualis et spiritualis substantia, continet tamen perfectionem et vim (vegetativæ et sensitivæ virtualiter) animæ plantarum et animantium, quorum proinde vitalia opera, una et eadem in se manens, præstare potest.

d) Hinc præter sensus tum exteriores tum internos, et vires vegetativas, continet intellectum, qui vis est pure spiritualis ab omni materia distincta et corporeo organo non utens ad operandum. Ergo hominis anima qua intellectualis immortalis est et manet post mortem. (1)

---

(1) Quid tamen post mortem agat anima, nullibi declarat Aristoteles in libris qui ad nostram ætatem pervenerunt; ex quo et aliis ejisdem verbis quidam recentiores conjiciunt, eum animam quidem immortalem fecisse, sed eidem conscientiam et personalitatem post mortem denegasse. Sed, ut nobis videtur, injuria et immerito; nam si non unicum, at certe præcipuum hujus opinionis fundamentum, sunt verba quæ habentur in 3.° de *Anima*, ubi postquam asseruit *intellectum immortale perfectumque*, subdit: «non autem recordamur. Intellectus autem passivus extinguitur, et sine hoc nihil intelligit.» Sed hæc verba id solum significant, animam post mortem, non eodem modo ac in statu præsenti unionis, objecta cognituram esse, quia nec memoria sensitiva, nec phantasia, quæ nunc materiam intellectuali cognitioni præbent, animæ aderunt post separationem a corpore. Quod autem dicit *intellectum passivum* extingui, vel loquitur de phantasia sive imaginatione, quæ apud veteres aliquando intellectus passivus appellatur, vel si loquatur de intellectu possibili, extinguitur quoad modum intelligendi, quatenus post mortem non potest habere eundem modum intelligendi per dependentiam et abstractionem ex phantasmatibus, prout in statu unionis cum corpore intelligit.

Vera itaque mens et doctrina Aristotelis ea est, quod anima rationalis sive, ut ipse ait, *intellectus*, qui apud ipsum dicitur de foris *advenire*, *et substantia quædam esse et non corrumpi*, atque etiam *divinum quid est* (1.° de An. cap. 3.°) post mortem manet in suo esse et intelligere; at simul in ea pereunt et desinunt esse reminiscentia et memoria sensi-

e) Anima hominis nullas secum fert notitias seu ideas rerum cum corpori conjungitur, sed est potius tamquam *tabula rasa in qua nihil est scriptum:* habet tamen facultatem et vim ad omnia cognoscenda. Et quidem, quatenus anima omnes ideas et notiones recipere potest, seu quatenus includit *receptivitatem* objectorum, dicitur habere *intellectum possibilem*; quatenus vero vim habet abstrahendi ex *phantasia* seu repræsentationibus sensibilibus ideas sive *species*, objecta prout universalia repræsentantes ut ab intellectu cognoscantur, dicitur habere *intellectum agentem*.

f) Homo itaque rerum notitiam seu scientiam denovo et successive acquirit prævio exercitio sensuum, ita ut *nihil sit in intellectu quin prius fuerit in sensu*, quatenus sensibilis cognitio materiam præstat cognitioni intellectuali.

g) Nihilominus intellectus cognitio a sensitiva penitus diversa est, ipsique superior, non solum quatenus intellectus, a quo procedit, a sensibus essentialiter distinguitur, sed etiam quia immaterialia objecta, atque ipsa materialia immateriali et universali ratione cognoscit.

4.° Quod attinet ad Moralem et Politicam, Aristoteles statuit actiones omnes et electiones humanas ad summum bonum tamquam ad ultimum finem tendere; quod quidem summum bonum seu felicitatem in virtute et contemplatione veritatis constituit. Attamen quoad servitu-

---

tiva, phantasia sive imaginatio, passiones appetitus sensitivi, et universim omnes facultates seu vires sensitivæ, quia indigent corporeo organo ad functiones proprias exerendas, nec habent pro subjecto solam animam, ut vis intelligendi, sed compositum ex corpore et anima; unde corpore corrupto, et ipsæ pereunt. «Quapropter, inquit ipsemet Aristoteles, et hoc (corpore) corrupto, nec recordatur, nec amat, (amore sensibili seu passionis) non enim erant illius (id est, solius animæ) sed ipsius communis, (compositi ex corpore et anima) quod quidem perit.»

tem, leges, et alias institutiones civiles et politicas, gravissimos errores non secus ac Plato docet et tuetur.

Observatio.

Sicut Plato scepticismo et idealismo facilem viam paravit, ita Aristoteles empirismo non nihil favet, quatenus frequenter phænomenorum observationi, ac processui *a posteriori* insistit, ut plurimum; id tamen absque præjudicio tum processus *a priori*, tum methodi deductivæ, quibus sæpe utitur, pro rerum et argumentorum, de quibus agit, natura et conditione. Quapropter hallucinantur proculdubio, atque rejiciendi prorsus, qui sensualismum aut materialismum ei affingunt, cum quibus nihil certe commune obtinet ejus philosophia, nisi ad summum ratione valde indirecta et remotissima, quatenus et empirismum fortasse nimis prosequitur, et intellectum hominis a Deo immediate derivatum ejusque similitudinem participatam non aperte ostendit et evolvit. Ceterum, inter ethnicos cunctos philosophos, eminet proculdubio Aristoteles, tum ob miram ingenii fæcunditatem, qua non solum scientiam philosophicam mirifice auxit atque perfecit, sed ipsarum etiam naturalium et physicarum quodammodo fundamenta jecit, atque easdem non parum promovit; (1) tum quia ejus philosophia cum christiana maxima ex parte concordat eamque adhuc ingreditur. Nihil ergo mirum, si cujusque ætatis eximii scriptores et critici, viri hujus ingenium et doctrinam magnifice commendarint. (2)

---

(1) «Les sciences naturelles, ait Blainville, sont celles qui doivent le plus à Aristote. Son plan était vaste et lumineux; il a introduit dans la science des bases qui ne periront jamais.» *Loc. cit.*, pag. 212.

(2) Ceterorum loco unum citamus nostrum Ludovicum Vives, qui de magno Stagyrita ita disserit: «Plinius Secundus libro septimo naturalis Historiæ inquirit ¿quodnam existimetur maximum quidem fuisse ingenium, ex iis quidem, quorum extet memoria, vel sui ipsorum, vel

5.° Peripateticam philosophiam complete, vel incomplete docuerunt, *Theophrastus* qui magistro jubente Aristoteli in Lycæo succesit, *Dicæarcus* Messinæ, *Aristoxenus* Tarenti, *Strato* Lampsaci, *Lyco* Troade, et *Critolaus* Phaselide nati. Postea ab ecclecticis alexandrinis simul cum doctrina Platonis, Aristotelis philosophia exculta fuit; ac tandem per Arabes europæis populis communicata et transmissa, in scholis christianis primatum obtinuit; ast sæculo tertio decimo erroribus fuit purgata, perfecta, evoluta et aucta pet ejusdem sæculi scholasticos, ac præsertim D. Thomam Aquinatem.

---

alienis monumentis? et eam tantæ ambitionis palmam videtur ad Homerum vatem deferre, secutus Græciæ judicium quæ illum fontem ingeniorum appellat: sed mihi tamen acrius eam rem intuenti, atque examinanti subtilius, nullum videtur fuisse ingenium Aristotelico præstantius. Legenti opera ejus attente ac diligenter, exoritur ingens admiratio, quam ab ultimis principiis deducit abditissima et profundissima rerum omnium, quam acute refellit aliena, quam fortiter communit et corroborat sua, quo ordine digerit singula... nihil est in eo vacans aut inane, omnia solida et plena... Scripserunt veteres philosophi ante Aristotelem pauca, atque ea confuse; primus omnium Plato eleganter sane multa, et docte, sed ad docendum, discendumque parum accommodate.

Aristotelis omnia ordinem et formam habent institutionis ac disciplinæ, nec fuit dexteritas in aliquo ad artes tradendas par; omnia vero sunt illi certis præceptis et formulis conscripta, ea brevitate et gravitate verborum ac sententiarum, ut accipi facile retinerique possint, et ad usum, cum res postulat, accommodari: verba autem nullus Græcorum habet æque apposita, ita ut ex rebus videantur nasci, quas tractat.» *Oper. cit.*, t. 3.°, pag. 25.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

§ V.

Schola sceptica.

Aristoteli coævus fuit Pyrrho (340 ante Christum Elide natus) qui primum miles factus Alexandrumque Magnum secutus, simul cum magistro Anaxarco, veterem scepticismum e pulvere rursus excitavit; quod quidem systema continuavit et auxit ejus discipulus *Timon*, qui primum Stilponis Megarici, postea Pyrrhonis auditor fuit ac sectator. Horum doctrina hæc continet:

a) Propositiones quas dogmatici pro veris tuentur, veritatem realem minime continent, quandoquidem puris suppositionibus seu hypothesibus innituntur.

b) Imo etiam, ad veri nominis scientiam impossibile prorsus est hominem pervenire, tum quia res circa quas versatur ex se indifferentes sunt ad verum et falsum, tum quia nec sensus nec ratio, veri criterium suppeditare queunt.

c) Itaque, in rebus practicis naturæ sensiones (sentimientos) sequi oportet; in theoreticis vero cohibendus assensus, ita ut homo in æquilibrio et quiete inter affirmationem et negationem perpetuo maneat, qua in quiete sistere debet animus.

Post Pyrrhonem et Timonem, scepticismum tuiti sunt *Ænesidemus*, *Agrippa*, ac præter cæteros *Sextus Empiricus*. Postremus hic simul cum Ænesidemo, precipui extitere adseclæ et propugnatores scepticismi. (1)

---

(1) «Enésidème, originaire de Crète, composa sur le pyrrhonisme un ouvrage divisé en huit livres, dont Photius nous a transmis le résu-

§ VI.

Schola epicurea.

Vix Plato et Aristoteles e vivis excesserant, et ecce dum Pyrrho veterem scepticismum e pulvere excitat, *Epicurus* (Athenis vel prope Athenas anno 341 (1) ante Christum natus, atque 72 ætatis suæ anno mortuus) renovat, perficit et morali applicat Leucippi ac Democriti atomismum et sensismum. Hic enim postquam Xenocratis academici et Theophrasti peripatetici auditor extitit, Lampsaci primum, ac deinde Athenis sequentia suis discipulis docuisse videtur:

a) Philosophia, quæ logicam seu *Canonicam*, physicam et ethicam complectitur, est ars hominem ducendi ad beatitudinem, ope rationis; unde præcipua ejus pars est ethica, quæ circa hominis bonum ipsiusque vitam versatur.

b) Omnis humana cognitio, non solum ex sensibus originem ducit, sed in ipsis quasi in germine seu virtute continetur: itaque ipsa judicia et ratiocinia intellectus,

---

mé. Mais les grands monumens de cette école son les livres de Sextus, ses *Hypotyposes pyrrhoniennes*, et les onze livres *contre les mathématiciens*, c'est-à-dire contre les philosophes dogmatiques. On ignore la patrie de Sextus, ainsi que les lieux où il a vécu: il paraît toute fois qu'il a sejourné, au moins pendant quelque temps, à Alexandrie, qu'avait aussi habitée Enésidème. On lui a donné le nom d'*Empirique*, parce qu'il appartenait à une école de médecins qui se renfermaient dans l'expérience et rejetaient toute théorie médicale.» Salinis et Scorbiac, *Précis de l'Histoir. de la Philos.* pag. 168.

(1) Non desunt tamen, qui Epicurum apud Samos natum esse affirmant.

veritatem continent, quatenus sensibus concordant, nec ratio aliquid in se habet, quo sensationum veritatem aut falsitatem possit dijudicare.

c) Sensationes perficiuntur per imagines ex objectis avulsas et per medium volitantes ad sensum Democriti: hujusmodi vero sensationes, simul cum affectibus sensibilibus (sentimientos) constituunt regulam et mensuram veri et falsi, boni et mali. Siquidem, *anticipationes* rationis quæ nihil aliud sunt, nisi sensationes quatenus actioni intellectus subsunt et generales quodammodo efficiuntur, eatenus veritatem vel falsitatem continent, quatenus cum sensationibus primariis et particularibus sensuum concordant, vel conformitatem obtinent.

d) Mundus quoad particularia corpora quibus constat corruptioni successivæ est obnoxius; at universim acceptus, æternus, immutabilis ac infinitus existit.

e) Nec a causa aliqua ratione prædita iste mundus originem duxit, sed ex fortuito atomorum concursu. Quinimo etiam, imperfectiones multiplices, ac omnis generis mala tam physica quam moralia quæ in mundo ac maxime in homine observantur, satis aperte demonstrant nullos Deos existere, (1) qui mundi aut hominis curam aut providentiam gerant.

---

(1) Equidem, Deos quandoque admittere videtur Epicurus, sed fortasse atque verisimilius, nonnisi verbis id perfecit, quominus populi et magistratuum furore aut zelo quidpiam pati cogeretur: unde merito habent Salinis et Scorbiac: «Il parle, il est vrai, des dieux, d'êtres supérieurs à l'homme, et qui doués de corps semblables, par leur figure, au corps humain, mais composés d'une matière plus parfaite, jouissent d'une béatitude inaltérable. Or, sans examiner ici si Epicure n'a pas fait cette concession aux croyances des peuples, pour se mettre à l'abri de l'animadversion qu'eut suscitée contre lui, aux dépens de sa tranquillité propre, toujours est-il que cette partie de sa doctrine est, dans son système, un hors-d'œuvre qui ne détruit pas l'athéisme qui en est le fond. Il s'ensuit unique-

f) Anima hominis ex levissimis ac rotundissimis atomis constat, atque in modum caloris et spiritus attemperatur; et sicut cum corpore incipit, ita cum corpore desinit esse.

g) Vita beata quam homo per philosophiam præsertim moralem quærit, tota in voluptate consistit, id est, in possessione sensationum jucundarum, et carentia ingratarum.

h) Hujusmodi porro voluptatum quædam naturales sunt, ut illæ quæ dolorem corporis arcent, ut potus, cibus, etc.: aliæ naturales sed non necessariæ, ut epulæ delicatæ, venerea, suavis vestis etc. aliæ demum nec naturales nec necessariæ, et sunt illæ quæ ex hominum opinione pendent, ut honores, laudes, etc.

i) Qui beate vivere velit non quascunque voluptates indiscriminatim et cæco modo sectabibur, sed eas seliget quæ attentis circumstantiis ipsi congruunt; secus enim dum aliquam voluptatem nimis consectatur, dolorem majorem ex alia parte incurret.

j) Hinc virtus, contractus, leges, eatenus sunt amplectenda et servanda, quatenus utilitatem, aut voluptatem homini afferunt.

Schola hæc, utpote passionibus favens, plures adseclas nacta est tum apud Græcos, tum etiam apud Romanos, quos inter *Lucretius* systema Epicuri tradidit et evolvit verbis ac sententiis elegantia plenis, sed impietate plenioribus.

---

ment qu'il admet que l'homme n'est pas le seul être doué d'intelligence et capable de bonheur. Mais, entre la notion de ces êtres plus parfaits que l'homme, et la notion de Dieu, il y a toujours l'infini pour intervalle; et d'un autre coté, Epicure les déclare indifferents à ce monde qui n'est point leur ouvrage, insouciants des destinées humaines. Son système, qui nie toute îdée de providence, après avoir nié la substance divine elle-même, présente les deux caractères auxquels on a toujours reconnu l'atheisme complet.» *Op. cit.* pag. 141.

§ VII.

Schola stoica.

Epicureorum scholæ e regione fere opponitur schola *stoica*, cujus parens *Zeno* (apud Cittium in insula Cypri 340 ante Christum natus) primum audivit Cratem cynicum, deinde Stilponem, tandem in quodam porticu (græce *stoa*) picturis variis ac columnis ornato, Cynismum evolvit ac transformavit dogmatibus hisce:

Quoad philosophiam et logicam.

a) Philosophia est ars quæ hominem ad sapientiam perducit; quæ quidem sapientia cognitionem rerum divinarum et humanarum complectitur, eaque in tres partes dividitur, Logicam, Physicam seu Physiologiam, ac Ethicam, quæ præcipua est philosophiæ pars.

b) Logica quæ *Rhetoricam* et *Dialecticam* continet, est veluti instrumentum et organum scientiæ, ac per dialecticam homo potens fit ad veritatem consequendam.

c) Veritatis criterium in evidentia situm est; ratio veritatis notitiam rerumque notiones educit propria vi et activitate ex repræsentationibus sensibilibus; etenim *nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu.*

Quoad Physicam.

a) Mundi principium duplex est, alterum *passivum*, nempe, materia primæva, informis et indeterminata; alterum *activum*, nempe, Deus, vel ratio æterna, quæ et primævam illam materiam informat ac distinguit, atque ipsi intime unita, evadit *anima universalis* mundi. Quapropter

b) Mundus iste concipiendus est veluti magnum animal, cujus membra existunt singula corpora vel ejus partes: nec Deus qui ipsum informat et animat, humanam formam aut vultum præ se fert, sed est ignis purissimus, vel *æther*, vitalis ac intelligens, omnia gignens, penetrans et continens, ex quo cuncti effectus, et actus humani necessario eveniunt. Itaque omnia quæ in mundo eveniunt, ipsæque actiones voluntatis humanæ, legi fatalitatis penitus et universim subjiciuntur.

c) Animæ rationales sunt participationes seu emanationes temporales *ætheris* hujus purissimi et divini, ad quem proinde regrediuntur et a quo post mortem absorbentur. Similem originem et terminum obtinent animæ Deorum inferiorum, geniorum, dæmoniorum et aliorum spirituum.

d) Quinimo mundus ipse et ea quæ in mundo continentur, aliquando per ignem peribunt et dissolventur; atque exinde ad materiam primævam et informem mundus revertetur.

3.° Quoad Ethicam.

a) Hominis supremum bonum consistit in *virtute*, quæ proinde sola hominem beatum reddere potest.

b) Regula vero primitiva et unica virtutis est ratio; unde ille solum virtuosus, vere sapiens ac beatus existit qui *operatur juxta legem rationis*, sive *vivit secundum naturam*, hoc est, secundum naturam humanam qua *rationalem;* nam *passiones* extirpandæ sunt prorsus, utpote virtuti contrariæ ac in seipsis inhonestæ.

c) Igitur unicum verum bonum est virtus, et unicum vere malum est vitium; cætera vero quæ bona aut mala vulgo appellantur, uti divitiæ, honores, paupertas, dolores, mors ipsa, etc. indifferentia sunt, nec hominem sapientem ullatenus perturbant.

Observationes.

Prima: Schola stoica quoad moralem cæteris genti-

lium præstat, quatenus virtutem et bonum rationis extollit; at simul hanc ipsam doctrinam moralem exaggerat ac deturpat gravibus erroribus, ut dum passiones malas moraliter prædicat, fatalismum docet, ac veram immortalitatem seu præmia et supplicia post mortem animæ denegat. Cæterum, ejusdem systema physicum, apertum continet pantheismum.

Secunda: Hæc schola cum epicurea multo tempore pugnavit, ac multos nec ignobiles adseclas et propugnatores (1) nacta est apud Græcos et Romanos.

§ VIII.

Philosophia Romana.

Romani constituendæ Reipublicæ, legibus ac bellis constanter et potissimum addicti, philosophiam vel penitus ignoraverunt, vel aspernati sunt, usque ad ea tempora quibus Græcia devicta legatos philosophos Romam missit (155 ante Christum) *Carneadem* academicum, *Critolaum* peripateticum, ac *Diogenem* stoicum; quos cum de philosophia disserentes, Romani audivissent, græcorum philosophiam dignoscere cæperunt et colere. Ac

(1) Cathalogum eorum qui in utraque opposita schola post fundatores floruerunt, sic texit Cousin: *Epicurei.* Metrodore = Timocrate = Colotés = Polyænus = Hermachus = Polystrate = Dionysius = Basilides = Apollodore = Zenon de Sidon = Diogene de Tarse = Diogene de Seleucie = Phèdre et Philodeme de Gadara. *Stoici.* Cleante, flor. 264 avant J-C. = Chrysippe, mort en 208 = Zenon de Tarse, flor. 212 = Antipater = Panætius, flor. 115 = Possidonius, m. 50 = Senèque, m. 56 ans après J-C. = Cornutus et Musonius, exilés, 66 = Epictéte, flor. 90 = Arien, flor. 134 = Marc-Aurele, 161.» *Histoire de la Phil.* lect. 8.ª

primum quidem, apud eos maxime invaluit *Stoicismus*, utpote ipsorum genio, moribus et legibus magis affinis; postea vero invaluerunt quoque apud quosdam, et *Nova Academia*, seu scepticismus temperatus, et *Epicureismus*, quippe qui apprime respondebat corruptis Romanorum moribus postremis Reipublicæ temporibus.

Inter Academiæ adseclas eminet *Cicero*, (108 ante Christum, Arpini natus) qui amore philosophiæ actus Græciam peragravit, Athenis et alibi stoicos, academicos ac peripateticos audiens. «Quod attinet ad ejus opiniones, merito inquit Balmes, (1) frequenter difficile est illas certo discernere: academicum tamen senties in omnibus. In suis dialogis, alterni loquuntur philosophi omnium scholarum, nonnumquam detegitur quid præferat, sæpissime tamen dubitatur. Suspicari licet in multis materiis sententiam nullam professum fuisse... Aliqua sunt non parum noxia: fatendum tamen eo quo valebat ingenio et nobilissimo animo, semper propendere erga vera, et bona, et magna: cum loquitur de Deo, magnifica dicit, quæ non satis mireris; si de anima, apte sentit, et immaterialitatem et immortalitatem tuetur; si de moribus, Epicuro vehementer succenset, et virtutis altitudinem et pulchritudinem aureo orationis flumine amplificat...

In Cicerone depingitur philosophiæ status paulo ante Christum natum. Disserendi ars perfectionem attigerat; at fere nihil certi. Deum, hominem, mundum, philosophia spectabat, de omnibus dubitans, nonnumquam veritatem sequi diceres, ac confestim desperatam videbis ad scepticismum confugere. Scepticum Ciceronem non appellabo; fateor tamen ejus academicum systema non longe ab scepticismo abesse.»

---

(1) *Histor. philos.* § 27.

Sicut Cicero inter Académicos eminet apud Romanos, ita stoicismo adhæserunt *Epitectus* Hierapoli in Phrygia natus, qui ex servo philosophus effectus, stoicorum dogmata, præsertim moralia, coluit et perfecit: *Arrianus* qui Epitecti doctrinam scripto compilavit: *Marcus Aurelius Antoninus*, qui Imperii sedem et thronum philosophia honestavit. Ast omnium fortasse illustrior,

Lucius Annæus Seneca, qui Cordubæ in Hispania natus est, patre Marco Annæo Seneca Lucani avo, et matre Helvia, quæ matrem Ciceronis inter suos progenitores connumerabat. Juvenis Romam perlatus, philosophiæ operam navavit, Neronisque præceptor ac magister extitit, cujus jussu venis sibi exsectis mortem oppetiit 62 ætatis anno, post Christum 65. Ejus præcipua dogmata sequentibus continentur:

1.° Quoad philosophiam

a) Quamvis *sapientia* et *philosophia*, ut plurimum, pro eodem accipiantur, differunt tamen quoad aliquid: nam «sapientia (1) perfectum bonum est mentis humanæ; philosophia, sapientiæ amor est et affectatio. Hæc ostendit quo illa pervenit.»

b) Philosophia congrue dividitur in Moralem, Physicam seu Naturalem, et Rationalem. Quarum «prima componit animum; (2) secunda rerum naturam scrutatur; tertia proprietates verborum exigit, et structuram et argumentationes, ne pro vero falsa subrepant.»

2.° Quoad moralem.

a) Hominis summum bonum ac beata vita, in virtute seu *prudentia* consistit, per quam *sapiens* solam rationem ducem sequitur ac ea quæ mala dicuntur pa-

---

(1) *Epist.* 89.
(2) *Ibid.*

rum curat et contemnit. Etenim «qui prudens est, (1) et temperans est; qui temperans est, et constans; qui constans est, et imperturbatus est; qui imperturbatus est, et sine tristitia est; qui sine tristitia est, beatus est: ergo prudens beatus est, et prudentia ad beatam vitam satis est.»

b) Unicum igitur ac verum bonum est virtus sive *honestum*, reliqua indifferentia sunt. Et quidem «omnia honeste fient, (2) si honesto nos addixerimus, idque unum in rebus humanis bonum judicaverimus; cætera in diem bona sunt.» Hinc sapiens, «mortem, (3) vincula, ignes, alia tela fortunæ non timebit. Scit enim illa non esse mala, sed videri.»

c) Optima ratio Deos colendi, est illos agnoscere et imitari. Nam «Deum colit (4) qui novit... Satis illos coluit, quisquis imitatus est.» Oportet quoque «scire (5) illos esse qui præsident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt.»

d) Homines cuncti mansuetudinem, benevolentiam et beneficia sibi invicem præstare oportet, idque quoad homines omnes cujuscumque existant conditionis; quippe «natura nos cognatos edidit;... (6) hæc nobis amorem indidit mutuum.» Quapropter «præcipiemus ut naufrago manum porrigat, erranti viam monstret, cum esuriente panem suum dividat.»

Observatio.

Ex hucusque expositis, et reliquis moralibus doctri-

---

(1) *Epist.* 85.
(2) *Epist.* 95.
(3) *Epist.* 85.
(4) *Epist.* 95.
(5) *Ibid.*
(6) *Ibid.*

nis quæ in libris Senecæ exstant, facile dignoscitur ejus moralem cæteris ethnicorum præstare, quod originem fortasse duxit ex hujus philosophi notitia et commercio cum chistianis, quorum doctrina et vita cordubensis philosophi animum non potuit non percellere. Id ut omittam, D. Hieronymum et alios, epistolas ejus quæ D. Paulo inscribuntur, pro genuinis habuisse. Ast nihilominus fateri oportet, nimis aperta vestigia ethnicæ philosophiæ in ejusdem morali doctrina inveniri, ac præsertim dum suicidium licitum facit et commendat. (1)

---

(1) «Invenies etiam professos sapientiam, qui vim afferendam vitæ suæ negent, et nefas judicent ipsum interemptorem sui fieri... Hoc qui dicit, non videt se libertati viam claudere. Nil melius æterna lex fecit, quam quod unum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos. Ego expectem vel morbi crudelitatem, vel hominis, cum possim per media exire tormenta et adversa discutere? Hoc est unum cur de vita non possimus queri: neminem tenet. Bono loco res humanæ sunt, quod nemo nisi vitio suo miser est. Placet? vive: non placet? licet eo reverti unde venisti.» *Epist.* 70.

PHILOSOPHIÆ PERIODUS SECUNDA

Seu Philosophia post Christum natum.

CAPUT QUARTUM.

PRIMA EPOCHA SECUNDI PERIODI, SEU UNIVERSÆ PHILOSOPHIÆ EPOCHA QUARTA.

Postquam *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus in terris visus est et cum hominibus conversatus est*, instauratio magna facta est veritatis non supernaturalis modo et revelatæ, sed naturalis quoque et humanæ. Ex quo igitur Christi Evangelium hominibus innotuit, philosophia novam viam ingressa, veritatem plenius ac tutius est assecuta. Ast non sine pugna et contradictione ethnicæ scientiæ, quæ adversus novam doctrinam insurrexit et acriter decertavit. Atque exinde factum est, ut in prima epocha hujus periodi, quæ quarta existit universæ philosophiæ, dum *Neoplatonici* veterem philosophiam servare, tueri ac perficere conati sunt, christiani Doctores et Ecclesiæ PP. eamdem vel penitus contemnere et labefactare, vel christianam reddere studuerint, quorum doctrinam ut breviter et summatim attingamus, sit.

§ I.

Philosophia Neoplatonica.

Hujus scholæ fundator communiter habetur *Ammonius Saccas*, (1) qui si fides Eusebio Cæsariensi christianam religionem primum professus, deinde apostata, Alexandriæ docuit desinente sæculo secundo. Ejus præcipui discipuli extitere *Longinus* Atheniensis, Zenobiæ magister et consiliarius, atque idcirco ab Aureliano Palmiræ interfectus: *Origenes*, (a christiano doctore diversus) *Herennius*, ac *Plotinus*, de quo postea. Hæc schola dicta fuit *alexandrina*, quia Alexandriæ originem habuit

(1) «Ammonio de Alejandría titulado Saccas, porque habia sido mozo de cordel, fué educado en los principios cristianos. Mezclando á las ideas del cristianismo y á las tradiciones religiosas del Oriente, que habia estudiado lo que mejor encontró á su parecer en los sistemas diversos de la filosofía dogmatista, se formó una religion mixta y una filosofía propia suya. En esta singular filosofía retenia los principales dogmas de las sectas positivas sobre la teogonia de los antiguos, sobre la formacion de las vicisitudes del mundo, sobre el alma universal sobre el orígen del mal, etc.

No escribió nada, empero habiendo tenido una escuela pública en Alejandría contó entre sus discípulos á hombres distinguidos, tales como Orígenes y Plotino. Además de la doctrina que enseñaba públicamente, tenia una misteriosa que no comunicaba sino á los hombres probados y juzgados por él dignos de ser admitidos á esta iniciacion.» *Bouvier*, *Hist. cit.*, pag. 193.

ac præcipuam sedem, ast simul Romæ et Athenis magistros, asseclas et cathedras publice obtinuit: *ecclectica*, quatenus nulli determinato systemati vel auctori addicebatur, sed ex cunctis seligebat: *syncretica*, quia reliquas scholas et veteres doctrinas inter se conciliare atque in unum conflare systema studebat: *neoplatonica* demum, quatenus in ea prædominabat elementum platonicum, quippe hujus scholæ adseclæ, ac præsertim Plotinus, doctrinam Platonis redintegrare ac evolvere maxime studuerunt. Scopum vero sibi præstituebant Neoplatonici, systema scientificum ac religiosum conficere quod irruenti Christianismo opponerent, quod hominis cunctas necessitates et aspirationes expleret, absque eo quod ad mysteria et revelationem divinam opus esset confugere; verbo: rationalismum syncreticum Christi religioni opponere voluerunt. Hinc etiam magiam et theurgiam avide ac vehementer sectabantur, ut hac ratione miracula et mysticismum christianæ religionis suo modo imitarentur. Cæterum, is qui Neoplatonicorum doctrinam proprie philosophicam maxime excoluit et evolvit, fuit

Plotinus Lycopoli in Ægipto 205 post Christum natus, qui postquam Alexandriæ Ammonium audierat, varias Orientis regiones peragravit, ac tandem Romam veniens ibi docuit, scripsit, atque vitam cum morte commutavit. Ejus doctrinæ summa hæc habet:

a) Finis philosophiæ ac universæ humanæ scientiæ est cognitio *Unius absoluti*, ac intima unio cum eo. Porro hoc *absolutum* seu Unitas, quæ constituit principium et essentiam rerum omnium, non sensu, nec cogitatione, nec reflexione, aut ratiocinio cognosci potest, sed *intuitione immediata* atque intelligibili, quæ quidem cunctis illis cognoscendi modis supereminet.

b) Ad hanc vero intuitionem *Unius*, homo disponitur et assurgit per mortificationem sensualitatis ac specula-

tionem abstractivam idearum, donec perveniat mens ad *Unitatem* absolutam per intuitionem immediatam, ac unionem intimam cum esse divino per *extasim*.

c) Tunc ergo scientia et cognitio omnimoda perfectione donantur, dum agnoscitur, objectum et subjectum, unum idemque esse, ita ut cognoscens et cognitum in suprema *Unitate* identificentur.

d) Principium supremum omnium rerum est *Unitas*, quæ proinde tamquam Deus primordialis est habenda. Hæc autem est esse purum et abstractum, absque ulla qualitate, quantitate, distinctione, differentia aut determinatione in seipsa. Unde hoc *Unum*, et est *omnia*, et simul nihil est eorum quæ existunt.

e) Ex *Unitate* primæva, emanat primo Intelligentia absoluta, ex qua emanat *anima* mundi seu Logos. Hæc porro *anima* mundi est veluti cogitatio *Intelligentiæ* illius absolutæ, quæ ex *Unitate* emanat, sicut lux ex sole; ac proinde eidem coæterna existit, ac similiter *anima* universalis existit coæterna Intelligentiæ. Hæc tria principia constituunt *Triadem* celebratam Plotini, quæ ut satis apparet, nihil commune habet cum mysterio augusto Trinitatis catholicæ.

f) Ex *Unitate* primæva prodeunt cuncta quæ existunt, per emanationes necessarias ac gradatim decrescentes, donec pervenitur ad materiam, quæ habetur tamquam ultima et imperfectissima emanatio, ultra quam progredi non licet. Ergo materia nihil continet unitatis ac perfectionis, estque proinde origo et causa mali tum physici, tum moralis, vel potius ac revera nullum malum proprie existit; siquidem, omnia ex necessitate eveniunt. Unde ea quæ mala nuncupamus, nihil sunt aliud quam manifestationes necessariæ idearum, et effectus inæqualitatis animarum.

g) Non solum ea quæ ad mundum intelligibilem spectant, sed ea etiam quæ sensibilem constituunt, ut

terra, lapides, plantæ, ignis etc. vita donantur. Omnia vero quæ in mundo utroque producuntur et existunt, ex necessitate producuntur et existunt; atque hic necessarius nexus rerum fundamentum suppeditat magiæ naturali ac divinationi.

h) Hominum animæ sunt emanationes animæ universalis. Porro, illæ prius in mundo intelligibili existentiam habuerunt sine corpore; postea vero ad mundum sensibilem vel inferiorem descenderunt, in quo corpore indutæ existunt. Hujusmodi demum animæ diversas subeunt transmigrationes juxta diversitatem operum, ita ut illæ quæ vitam divinam et intelligibilem in se evolvunt, ad Deum tandem regrediantur atque in divinitate absorbeantur.

Observationes.

Prima: Plotini doctrina *Neoplatonismum* proprie constituit, quippe quæ evolvendis quibusdam Platonis ideis tota ferme incumbit. Ejus vero successores, inter quos eminent Porphyrius, Jamblicus et Proclus, non Platonem tantum, sed reliquos etiam philosophos redintegrare ac invicem conciliare agressi sunt. (1)

Secunda: Sicut ex conatu conficiendi ex elementis ethnicis philosophiam ac religionem pure naturalem,

---

(1) Unde merito habet Tennemann: «Plotin transforme la pensée en une contemplation, la philosophie en une poesie, les pures formes des idees en objets positifs. Sa doctrine est l'abus de quelques idées platoniques livrées à l'emportement d' un enthousiasme auquel donnaient lieu les besoins de cette epoque... Alors vint à son tour la pretention de demontrer l' accord de Platon avec des doctrines anterieures dans lesquelles il était censé avoir puisé, celles de Pythagore, d' Orphée, de Zoroastre et d' Hermés; et on ne manqua pas de livres supposés pour servir à cette demonstration. On voulut ensuite établir cette même concordance entre Platon et ses successeurs, et particulièrement Aristote. Toutes ces tentatives, qui eloignirent la philosophie de son veritable caractère, ne servaient que l' esprit du temps, la superstition et l' exaltation mystique.» *Manuel de l' Hist. de la Phil.* t. 1.°, pag. 295.

philosophiæ ac religioni christianæ oppositam, emersit syncretismus alexandrinus ac neoplatonismus, ita similiter ex quorundam christianorum conatu conciliandi doctrinas Orientalium cum principiis christianis, emersit *Gnosis*, ex qua *gnostici* dicti hæretici illi, qui primis Ecclesiæ sæculis catholicæ doctrinæ puritatem deturpare ausi sunt. Qui Gnosticorum sectas et placita exponere vellet, integrum conficeret volumen: sed nobis sufficiat adnotare, eos ad tres classes posse revocari. *Primam*, constituunt gnostici illi, qui Trinitatem Personarum cum Judæis denegantes, unicum Deum natura et persona agnoscebant, quem tamquam primævum quoddam lumen concipiebant et repræsentabant, ex quo diversi ordines creaturarum spiritualium emanant, quas *Æones* gnostici appellabant. Ad *secundam* spectant illi, qui ajebant duplex existere rerum primum principium, quorum alterum bonum ac bonarum rerum causa, alterum malum et malorum universalis et necessaria causa esset. *Tertiam* denique classem constituebant, qui quamvis præfata duo principia admitterent, ajebant simul, ea ex alio supremo principio ortum duxisse.

Tertia: Præcipui adseclæ et propugnatores Neoplatonismi post Plotinum fuere: 1.° Porphyrius anno 233 in Syria natus, et Romæ circa annum 304 mortuus. Scripsit, præter alia quæ ad nos non pervenerunt, *Vitam Pythagoræ = Vitam Plotini*, cujus extitit discipulus. = *Isagoge* seu *De Prædicabilibus*. 2.° Jamblicus, Porphyrii discipulus, qui in Cælesyria circa annum 310 florebat, et vitam cum morte commutavit anno 333. 3.° Hierocles Alexandriæ natus, qui scripsit præter alia, *Commentarium in versus aureos Pythagoræ*. 4.° Proclus, apud Xanthum vel Byzancium 412 natus; Athenis 485 e vivis migravit.

§ II.

Philosophia Patrum Ecclesiæ.

In Patrum philosophia spectari possunt, vel dogmata ea quæ cum veritate revelata et catholica doctrina necessarium aut proximum saltem obtinent nexum, vel ea quæ in hominum opinione sunt posita, salva veritate catholica. Unde prius exponere oportet dogmata ea fundamentalia in quibus conveniunt; deinde ea quæ specialia habent, tum græci, tum latini. Atque dogmata fundamentalia philosophæ christianæ, quæ apud PP. fere omnes reperiuntur, ita se habent:

1.° Quoad Deum.

a) Deus est ens infinitum omnes perfectiones continens, omnipotens, pure spirituale ab omni materia et imperfectione sejunctum, summa intelligentia, voluntate ac libertate præditum.

b) Hic porro Deus, utpote perfectiones omnes et bonitates necessario continens, a se ac in se existens, nulla indiget re extra se ad hoc ut infinite felix sit ac beatus.

c) Sicut nihil existit aut existere potest nisi dependenter ab ejus potentia et voluntate, ita nihil in mundo contingit quod ejus cognitionem aut voluntatem effugiat, idque ab æternitate, quoniam mutatio nulla agnoscenda est in Dei intellectu aut voluntate.

2.° Quoad hominem.

a) Homo rationali anima et corpore constans, cæ-

teris omnibus corporalibus creaturis supereminet: ad imaginem Dei est factus, atque ad supernam et æternam beatitudinem destinatus.

b) Ejus porro anima incorporea est, spiritualis, simplex ac immortalis. Præter sensus continet intellectum seu rationem et voluntatem, quibus angelis ipsique Deo quodammododo adsimilatur.

c) Arbitrii quoque libertate donatur quoad bonum et malum morale, qua si recte usus fuerit, præmia, si secus, supplicia, eaque æterna a Deo recipiet.

d) Quoniam vero ex peccato primi hominis voluntatis vires ad bonum imminutæ sunt, bonum perfectum, integrum, atque præsertim bonum supernaturale, homo adsequi nequit absque Dei adjutorio speciali, quod *gratia* Dei nuncupari solet.

3.° Quoad mundum.

a) Mundus hic adspectabilis non quidem per emanationem aut evolutionem ipsius substantiæ divinæ, sed per *creationem*, id est, ex nihilo eductionem, originem et esse accepit.

b) Quæ quidem creatio, non modo naturas et res formatas, sed ipsam quoque materiam complectitur atque attingit; quæ materia, non secus ac mundus ipse, ab æterno non extitit, sed in tempore seu cum tempore incæpit.

Quæ hic Ecclesiæ PP. tribuimus, non ad omnes spectant, sed maximo illorum numero, iisque præsertim qui spiritum catholicæ doctrinæ plenius adsecuti sunt et evolverunt, ut S. Athanasius, Basilius, uterque Gregorius, Chrysostomus, Hilarius, Augustinus, etc. Enimvero, ipsorum quidam etiam circa hæc capita, erronea et paradoxa protulerunt, ut in sequentibus notatur.

Specialia PP. Græcorum.

§ III.

Philosophia S. Justini et Athenagoræ.

Inter antiquiores PP. Græcos connumeratur S. Justinus, qui in civitate, olim Sichem dicta, natus, initio secundi sæculi floruit. Postquam ethnicæ philosophiæ dogmata et sectas majoris nominis didicit et sectatus fuit, ex lectione librorum sacrorum ad Christianam Religionem amplectendam adductus est, quam deinceps duplici Apologia, aliisque conscriptis libris, et proprio sangine egregie propugnavit, sanxitque tandem martyrio Romæ circa annum Christi 168. Ejus doctrina philosophica hæc habet:

a) Philosophia est via et instrumentum ad dignoscendum quod est seu rerum veritatem; unde philosophari tamquam commendabile ac præclarum hominis opus est habendum.

b) Vera tamen philosophia non in ethnicis philosophis, sed in apostolis et prophetis, qui philosophos paganos antiquitate superant, quærenda est atque invenitur.

c) Hominum animæ in corpora non fuerunt detrusæ propter scelus aliquod prius admissum, ut platonicis pla-

cet, sed simul cum corporibus incæpere esse. Similiter, de corpore in corpus non migrant, ut pythagorici docent.

d) Hæc tamen hominum anima immortalitate ex natura sua non gaudet; aliter etenim et ingenita existeret. Immortalitatem igitur vitamque perpetuam obtinet anima ex Dei voluntate, potentia et justitia, quibus efficit quoque ut malorum animæ in æternum crucientur, bonorum vero æterna potiantur beatitudine.

Eamdem ferme doctrinam eodemque tempore profitebatur *Athenagoras*, qui Athenis natus, ac gentilium philosophorum scholas primum secutus, Christi religionem postea amplexatus fuit; quam etiam vehementer propugnavit data Apologia Marco Aurelio et Commodo imperatoribus. Nimium tamen philosophiæ sæculari, præsertim Platonis adhærens, docuit:

(a) Quosdam e malis angelis, qui per culpam e cœlo detrusi sunt, cum hominum filiabus congressos fuise carnaliter, ex quo commercio progenitos gigantes illos, de quibus in Scriptura sermo habetur.

b) Deum unicum existere, idque ab ipsis majoris nominis gentilium philosophis, agnitum fuisse.

c) Finem ultimum hominis nec in voluptate materiali, nec in quiete insensibili et inanimata, nec etiam in gaudio seu felicitate solius animæ consistere, sed in re quæ animam simul et corpus afficiat.

d) Igitur necessaria est corporum resurrectio, ut homo suam beatitudinem consequatur, quæ sita est in contemplatione perfectionum Dei.

§ IV.

Philosophia Clementis Alexandrini.

Non secus ac Justinus et Athenagoras, Clemens (*Alexandrinus* nuncupatus, eo quod Alexandriæ lucem aspexerit, quamvis alii Athenis eum natum existiment) ex ethnicæ philosophiæ castris ad Christianismum convolavit. Sæculo secundo deficiente Pantæno successit in magisterio celeberrimæ scholæ christianæ alexandrinæ, quæ *catechetica* appellatur, plurimumque illo ævo contulit ad christianam veritatem honorandam, firmandam ac propagandam.

Vir *sanctus* et *eruditissimus*, a D. Hieronymo cum multis aliis gravioribus scriptoribus Clemens Alexandrinus semper est habitus, quamquam Baronius ejus nomen e martyrologio romano expunxit. Multa scripsit, quorum quædam, vel penitus, vel magna ex parte interciderunt; alia vero ad nos usque pervenerunt. Horum præcipua sunt, *Cohortatio ad Gentes*, quod opus unico libro continetur: *Pædagogus*, quod tribus, ac *Stromata*, quod octo libris constant. (1) Omni disciplinarum gene-

(1) Clementis scripta describit D. Hieronymus, dum Scriptores Ecclesiasticos recensens, de Clemente Alexandrino hæc habet: «Clemens, alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, Pantæni, de quo supra retulimus, auditor, post ejus mortem Alexandriæ ecclesiasticam scholam

re instructus, conatus est sæcularem litteraturam ac præsertim veterem ethnicorum philosophiam erroribus purgare, evolvere ac perficere, ut ea ratione christianæ Religioni nedum non officeret, sed prodesset potius ac famularetur. Quapropter veluti christianæ philosophiæ parens et institutor haberi non immerito potest, ejusque proinde doctrina paulo fusius et accuratius exponenda nunc nobis erit.

1.° Quoad ipsam Philosophiam.

a) Duplex distinguenda est philosophia: altera divina seu *christiana*, quam Græci barbaricam dicunt: altera humana seu *græca*, estque rerum divinarum et humanarum rationalis cognitio. Christiana, perfecta est ac homini sufficiens, «ut quæ sit (1) scientia et comprehensio eorum quæ sunt, et futura sunt et præterita, stabilis et firma, ut quæ a Filio Dei sit tradita et revelata:» græca vero imperfecta existit, quippe quæ partem tantum veritatis adsequitur.

b) Ast quantumvis imperfecta, humana quoque philosophia, bona in seipsa est; quoniam dicimus, «ipsam quoque philosophiam Græcis veluti proprium datum esse testamentum, ut quæ sit fundamentum christianæ philosophiæ.» (2) Utilis est quoque, tum «ad Scripturas recte intelligendas» (3) tum ad inquisitionem veritatis;

---

tenuit et catecheticus magister fuit. Feruntur ejus insignia volumina, plenaque eruditionis et eloquentiæ, tam de scripturis divinis, quam de sæcularis litteraturæ instrumento. E quibus illa sunt: *Stromata*, libri octo... *Adversus gentes*, liber unus; *Pædagogi*, libri tres; *De Pascha*, liber unus; *De jejunio disceptatio*; et alius qui inscribitur, *Quisnam dives ille sit qui salvetur; De obtrectatione*, liber unus; *De canonibus ecclesiasticis*, et *Adversum eos qui Judæorum sequuntur errorem*, liber unus.»

(1) *Strom.* lib. 6.° cap. 7.°

(2) *Ibid.* cap. 8.°

(3) *Ibid.* lib. 1.° cap. 9.°

etenim «philosophia (1) e longinquo opem fert inventioni veritatis, variis notionibus tendens ad nostram scientiam.»

c) Nulli scholæ est adhærendum, sed ex omnibus seligenda veritas; siquidem « philosophiam non dico stoicam, (2) nec platonicam, aut epicuream, et aristotelicam, sed quæcumque ab his sectis recte dicta sunt, quæ docent justitiam cum pia scientia, hoc totum selectum, dico philosophiam.»

d) Veritates quas græca philosophia continet, ex Hebræis hauserunt philosophi, eas tamen interpolantes, adulterantes et corrumpentes; unde quamvis in ea remaneat aliquod divinæ sapientiæ et veritatis vestigium, a christiana quam longissime distat; nam « Græca veritas, (3) etiamsi sit idem nomen sortita, tamen a nostra tum magnitudine cognitionis, tum demonstrationum evidentia,... et aliis similibus, satis distinguitur.»

e) Veritas ad quam philosophia tota contendit maxima est hominis perfectio; quapropter « merito a Græcis acclamatum est: Principium magnæ virtutis regina veritas.» (4) Hujus porro inquisitionis philosophicæ veritatis initium, est admiratio; «non enim est aliud philosophiæ primordium.»

f) Porro quatuor sunt ea « in quibus verum consistit, (5) sensus, intelligentia, scientia, opinio: natura quidem prima est intelligentia; nobis autem et respectu nostri sensus: ex sensu autem et intelligentia, consistit scientiæ essentia.»

g) Varia existunt veritatis criteria; reducuntur ta-

---

(1) *Strom.* lib. 1.° cap. 20.
(2) *Ibid.* cap. 7.°
(3) *Ibid.* cap. 20.
(4) *Ibid.* lib. 6.° cap. 1.°
(5) *Ibid.* lib. 2.° cap. 4.°

men ad evidentiam sensitivam et intellectualem. Et quidem, «intelligentiæ et sensus, (1) communis est evidentia.» Scientia est quidem habitus demonstrativus; attamen principia indemonstrabilia supponit, cum vere dicatur quod «scientiæ principia, (2) demonstrari nequeant.»

h) Dialecticæ seu logicæ opus præcipuum est demonstratio, cujus duplex est genus: «unum quidem, (3) quod solam affert persuasionem animis auditorum: alterum vero, quod efficit scientiam. Si quis ergo inceperit ex his quæ sunt evidentia sensu et intelligentia, et deinde convenientem intulerit conclusionem, vere demonstrat; sin autem ex opinabilibus solum, non autem primis, hoc est, nec sensu evidentibus, nec intelligentia, si convenientem quidem inferat conclusionem, syllogizabit quidem, sed non efficiet scientificam demonstrationem.»

2.° Quoad hominem.

a) Homo ex anima et corpore coagmentata substantia, Dei nec pars est, nec filius naturalis, nec substantia aut natura Deo conjungitur, sed quoad corpus per generationem, quoad animam vero ex nihilo per creationem producitur.

b) Nec solum quoad animam, sed quoad ipsum corpus ad Dei imaginem effectus merito dici potest: quoad animam quidem, cui pulchritudo optima aderit, «quando fuerit Sancto Spiritu, (4) et eis quæ ab eo oriuntur fulgoribus ornata, justitia, prudentia, fortitudine, temperantia:» quoad corpus etiam, cui «ex igneo fulgor

---

(1) *Strom* lib. 2.° cap. 4.°
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.* lib. 8.° cap. 3.°
(4) *Pædag.* lib. 3.° cap. 11.°

et splendor accedit; (1) ex humido autem, nitor et gratia; ex sicco autem, virtus et stabilitas; ex aere autem, spirandi facilitas et par æquilibrium; ex quibus concinna et pulchra hæc logi statua ornata est.»

c) Ejus destinatio in hac vita est Deum imitari «quoad ejus fieri potest,» (2) tum quoad cognitionem, tum quoad operationem: in altera vero, perfecta cognitio, perfectusque Dei amor. Utramque vero destinationem ut humana ratione adsequeretur, libero arbitrio donatur homo, ex quo liberam electionem ad bonum et malum sibi vendicat; et præterea «a Scripturis accepimus (3) liberam potestatem eligendi et vitandi a Domino datam esse hominibus.»

c) Hominis anima a corpore distinguitur; et a Deo simul cum incipit corpus ex nihilo producitur; nec proinde «huc de cœlis, (4) anima ad ea quæ sunt deteriora demittitur.»

d) Porro, «præstantiorem hominis partem, esse animam, (5) est extra controversiam.» Ejus tamen quasi partes seu facultates tres distinguuntur, nempe, «intelligentia, (6) quæ ratiocinandi facultas appellatur... Illa pars quam iræ tribuunt, (appetitus irascibilis) et quæ tertia est, cupiditas, (appetitus concupiscibilis)... quæ ad libidines, stupra, et adulteria allicit.»

e) Anima rationalis perpetuo movetur, id est, operatur et cogitat; idque efficere potest aliquando ut in somno, independenter a corpore; quoniam «sciendum est, (7) non esse animam id quod somno indiget, ipsa

---

(1) *Pædag.* lib. 3.° cap. 11.
(2) *Stromat.* lib. 2.° cap. 19.
(3) *Ibid.* lib. 2.° cap. 4.°
(4) *Ibid.* lib. 4.° cap. 26.
(5) *Ibid.*
(6) *Pædag.* lib. 3.° cap. 1.°
(7) *Ibid.* lib. 2.° cap. 10.

enim semper movetur, sed corpus... dum interea anima non amplius corporaliter operatur, sed per se ipsa operatur et cogitat.»

f) Hominis anima immortalitate gaudet, perpetuamque vitam aget post separationem a corpore; siquidem «immortales sunt omnes animæ, (1) etiam impiorum, quibus præstaret, haud esse incorruptibiles. Dum enim ignis inextinguibilis perpetuo torquentur supplicio, nec unquam moriuntur, nullum malo suo finem nancisci possunt.»

3.° Quoad Deum.

a) Existit Deus, qui unicus et perfectissimus, «summusque rerum *Auctor* est, prout constat, tum ex rebus ab eo creatis, tum ex eo quod «populi omnes, (2) sive Orientem colant, sive littora Occidentis ultima tenent, sive ad Septentrionem, sive ad Meridiem habitent, unam et eandem, ejus a quo institutum hoc imperium est, anticipationem habent.»

b) Infinita bonitate, immutabilitate et æternitate gaudet hic Deus unicus; «neque enim hujus quod est esse Dominum et bonum, principium accepit Deus, (3) qui est semper id quod est.»

c) «Sed neque dicendum est (4) esse aliquas ejus partes; in unum enim non cadit divisio. Quin etiam ideo est infinitum, non quod ejusmodi concipiatur ut pervadi non possit, sed quatenus nullam suscipit dimensionem, et finem non habet: et ideo est figuræ expers, et quod nominari non potest.» Nomina vero quibus Deum appellamus ejus naturam non exprimunt;

---

(1) *Fragmenta* ex lib. *De Ani.* pag. 751 edit Migne.
(2) *Stromat.* lib. 5.° cap. ult.
(3) *Ibid.*
(4) *Ibid.* cap. 12.

«sed omnia simul (1) Omnipotentis indicant potentiam.»

d) Maximam autem esse Dei potentiam satis apparet, quod omnia sola voluntate creavit; nam «ille (2) cœlum et solem creavit: Angeli et homines sunt *opera digitorum ipsius*. ¿Quanta est autem Dei potentia, cujus sola voluntas est mundi creatio?»

e) Cunctis porro a se creatis Deus providentiam, conservationem et beneficia impendit; quandoquidem «omnia justitia sua, (3) quasi trutina metitur et ponderat, universam naturam vehit, in æquilibrio continens et sustinens.» Specialem simul «curam gerit hominis, (4) et de eo est sollicitus.»

4.° Quoad mundum.

a) Mundus a Deo originem duxit per creationem; «solus enim Deus mundum creavit, ut qui solus sit vere Deus.» (5) Nec quidquam substantiæ divinæ continet, ut Stoicis placuit, «qui cum asseverent, (6) divinum numen, omnem, quantumvis vilem et abjectam, materiam pervadere, insignem sane notam dedecoris philosophiæ impresserunt.»

b) Duplicem mundum distinguere oportet: «alterum intelligentia, (7) alterum sensu perceptum: e quibus archetypus ille sit, hic vero præclari exemplaris imago.»

c) Mundi nobilior pars ad quam reliquæ quodammodo ordinantur, est homo, qui *mundus minor* congrue dicitur. Quam hominis nobilitatem perspiciemus consi-

---

(1) *Stromat.* lib. 5.° cap. 12.
(2) *Cohort. ad Gentes*, cap. 4.°
(3) *Ibid.* cap. 6.°
(4) *Pædag.* cap. 9.°
(5) *Cohort. ad Gentes*, cap. 4.°
(6) *Ibid.* cap. 5.°
(7) *Stromat.* lib. 5.° cap. 14.

derantes, et «corporis constitutionem (1) rectam factam esse ad cœlum contemplandum; et organa sensuum sic affecta esse, ut tendant ad cognitionem; et membra et partes apte esse compositas ad honestum, non ad voluptatem. Unde suscipit hoc habitaculum animam Deo pretiosissimam.»

d) Mala moralia quæ hominem et mundum maculant, non Deum, sed pravam hominis affectionem et voluntatem habent causam; quod enim homo «elegerit (2) atque adeo quod vetitum elegerit, non est culpa in Deum, sed in eligentem conferenda.»

e) Ast vero, ex Dei providentia et omnipotentia, mala quæ in mundo eveniunt diriguntur «ad finem salubrem. Est itaque maximum divinæ providentiæ opus, (3) quod non sinat, ut vitium, quod ex voluntaria defectione ortum est, inconducibile maneat et inutile... Divinæ enim sapientiæ, et virtutis, et potentiæ est officium, non solum benefacere... sed illud quoque maxime, ut id, quod per malos aliquos excogitatum est, ad bonum aliquem finem et utilem deducat.»

Observatio.

Præter hucusque exposita, Clementis opera plura alia continent ad logicam, physicam et metaphysicam spectantia, ac denique integram scientiam moralem, quam prætermittimus brevitatis gratia. Ex quibus conjicere pronum est, ipsum integram christianam philosophiam adumbrasse et non parum evolvisse. Imo etiam, in ejusdem philosophia, vix aliquid reprehensione dignum occurrit, nisi fortasse enumeratio et expositio eorum quæ gnosticum (sapientem, seu verum) christia-

---

(1) *Stromat.* lib. 4.° cap. 26.
(2) *Ibid.* lib. 4.° cap. 23.
(3) *Ibid.* lib. 1.° cap. 18.

num efformant et constituunt; ut dum inter cætera statuit, quod si gnosticus christianus, «ab injuria facienda abstinuerit propter spem remunerationis a Deo consequendæ ob ea quæ juste fecerit, nec sic quidem sua sponte est bonus.» (1) Similiter dum ait: (2) «Si quis ergo per hypothesim gnostico proposuerit, utrum malit, Dei cognitionem, an salutem æternam; sint autem ea separata, cum sint omnino conjuncta; nihil penitus dubitans elegerit Dei cognitionem.»

§ V.

Philosophia Origenis.

Origenes, ex assiduitate studii et constantia laboris, *Adamantinus* a coævis appellatus, qui Alexandriæ patre Leonida martyrio coronato, circa annum 185 natus est, scholam catecheticam alexandrinam post Clementem rexit, aliisque in locis, et publice docuit, et scripsit. Seipsum eviravit, sacerdotio fuit initiatus, non semel ad martyrum properavit, ac tandem Tyri mortuus est 69 ætatis anno. Ejus philosophia a philosophia sui magistri quoad plurima non differt; at quoad alia, et a Clemente, et a veritate aberrat, ex nimio

(1) *Stromat.* lib. 4.° cap. 22.
(2) *Ibid.*

fortasse amore et adhæsione ad philosophiam Platonis. Hinc docere videtur, (1) inter alia, quæ sequuntur :

a) Mundus est revelatio Dei eaque necessaria et æterna; nec enim concipere fas est, Deum ante mundi creationem in tempore, otiosum extitisse. Igitur ante productionem mundi hujus sensibilis, alii extitere mundi, ac præsertim mundus supersensibilis et incorporeus, quem Scriptura cælum appellat.

b) Cum quidam ex angelis seu spiritibus mundum incorporeum inhabitantes peccatum admisissent, Deus hunc mundum sensibilem creavit, eo fine ut puniret spiritus illos qui peccaverant, eos in corpora detrudens.

c) Atque ejusmodi spiritus qui prius peccaverunt, et

---

(3) *Videtur*, inquam, quia non desunt auctores, tum veteres tum recentiores, qui paradoxa et erronea quæ in ejus libris reperiuntur, interpollationi aut corruptioni eorundem per coævos vel posteros adscribant, idque sive ex hæreticorum malitia, sive ex auctorum ignorantia et oscitatione. Quinimo etiam, nostris diebus Aloisius Vincenci hebraicæ linguæ Romæ professor, in lucem edidit opus cui titulus : *In Sancti Gregorii Nysseni et Origenis scripta et doctrinam nova recensio, cum appendice de Actis Synodi V œcumenicæ;* quo in opere, inter alia, demonstrare aggreditur non contemnenda equidem argumentorum vi et copia : 1.° Origenem æternitatem pœnarum pro reprobatis dæmonibus et hominibus minime denegasse : 2.° restaurationem sive *palingenesiam* illam, cujus frequens apud ipsum occurrit mentio, accipiendam esse pro regeneratione humanæ naturæ, quatenus per Christum in primitivam incorruptibilitatem et immortalitatem restituta fuit, non vero pro conversione ad bonum ex parte reproborum, aut pro cessatione et fine pœnarum quibus in inferno plectuntur: 3.° reliquos fere omnes errores qui Origeni tribuuntur, falso et immerito ipsi attribui. Quod ad me attinet, quamvis libenter fatear, scriptores plurimos ipsosque Petavium et Huetium, errores quosdam immerito tribuere Origeni, ast vero in omnibus et quoad omnes, veterem ecclesiasticum scriptorem penitus excusandum, non facile admiserim.

qui ad humana corpora sunt detrusi, animæ rationales hominum dicuntur, quæ quidem immortalitate gaudent.

d) In homine tamen, præter rationalem istam animam, existit alia sensibilis et materialis, quæ vitales vires inferiores exhibet atque sanguine continetur.

e) Sol, luna, cæteraque astra, vera sunt animantia, eisque verisimiliter animæ vices gerunt, quidam ex illis præexistentibus spiritibus, qui per peccatum ceciderunt.

f) Spiritus omnes corpus aliquod subtile sibi naturaliter unitum habent; unde in homine, præter corpus humanum materiale et oculis adspectabile, aliud adest corpus subtile et æthereum, quod secum tulit anima dum corpori fuit alligata, secumque proinde fert dum in morte a corpore separatur.

§ VI.

Philosophia Tertulliani.

Tertullianus (Quintus Septimius) Carthagine in Africa circa dimidium sæculi secundi probabiliter natus, in ethnica superstitione primum educatus fuit, jurisprudentiæ operam navavit ac causas publice egit. Postea fidem catholicam amplexus ac sacerdotio initiatus, christianam religionem et adversus paganos, et adversus hæreticos egregie tuitus est, donec ad Montanistarum castra transiens, vitam cum morte commutavit, circa annum 216. Ex ipsius operibus, vehementiori, at quandoque mi-

nus accurato stilo conscriptis, pauca proprie philosophica desumemus. (1)

a) Vera philosophia et sapientia apud solos christianos invenitur; unde christiani, qua tales, non moribus solum, sed et scientia distant a philosophis, qui «mimice affectant veritatem et affectando corrumpunt.» (2) Imo ex philosophia hæreses promanarunt.

b) Unus verus Deus existit, «qui totam molem istam, (3) cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit, in ornamentum majestatis suæ.» Ejus porro existentia, ex omnium consensu comprobatur ac testimonio ipsius animæ «quæ licet carcere corporis pressa, (4) licet institutionibus pravis circumscripta... *Deum* nominat, hoc solo nomine, quia proprium Dei veri: *Deus magnus*, *Deus bonus*, et *quod Deus dederit*, omnium vox est... ¡Oh testimonium animæ naturaliter christianæ!»

c) «Quod si Deus est, (5) unicum sit necesse est... aut ¿quid erit unicum et singulare nisi cui nihil adæqua-

---

(1) Tertulliani opera duplicem complectuntur seriem: prima continet ea quæ adhuc catholicus scripsit, cujusmodi sunt: *Apologeticus pro christianis=Ad Nationes*, libri duo=*De Testimonio Animæ=Ad Martyres=De Spectaculis=De Idololatria=Ad Scapulam=De Oratione=De Baptismo=De Pœnitentia=De Patientia=Ad Uxorem*, libri duo=*De cultu Fœminarum*, libri duo, ac probabiliter librum *De Præscriptionibus*. Series altera, complectitur libros quos montanistis jam adhærens conscripsit. Ejus generis sunt: *De Corona Militis=De Fuga in Persecutione Adversus Gnosticos Scorpiace=Adversus Praxeam=Adversus Hermogenem=Adversus Marcionem*, libri quinque=*Adversus Valentinianos=Adversus Judæos=De Anima=De Carne Christi De Resurrectione Carnis=De Velandis Virginibus=De Exhortatione Castitatis=De Monogamia=De Jejuniis=De Pudicitia=De Pallio*.

(2) *Apologet.*, cap. 47.

(3) *Ibid.*, cap. 17.

(4) *Ibid.*

(5) *Advers. Hermog*, cap. 4.°

bitur? ¿quid principale, nisi quod super omnia, nisi quod ante omnia, et ex quo omnia? »

d) Deus tamen non secus ac aliæ substantiæ invisibiles, et quamvis spiritus quoque dicatur, corporeus est; «¿quis enim negabit, (1) Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? (2) Spiritus enim corpus sui generis in sua effigie. Sed et invisibilia illa quæ quæcunque sunt, habent apud Deum et suum corpus et suam formam.»

e) Quæ et qualis sit animæ rationalis natura, ex divina doctrina discere oportet, minime vero ex «philosophis, (3) patriarchis, ut ita dixerim, hæreticorum;» quorum «alii immortalem negant... hi statum ejus aliunde ducunt, hi exitum aliorsum abducunt, prout aut Platonis honor, aut Zenonis vigor, aut Aristotelis tenor, aut Epicuri stupor, aut Heraclíti mæror, aut Empedoclis furor, persuaserunt.»

f) Igitur nos «definimus animam, (4) Dei flatu natam, immortalem, corporalem, effigiatam, substantia simplicem, de suo patientem, varie procedentem, liberam arbitrii, accidentiis obnoxiam; per ingenia mutabilem, rationalem, dominatricem, divinatricem, ex una redundantem.» Proinde,

---

(1) *Adversus Prax.*, cap. 7.°

(2) Quid sibi velit Tertullianus dum adfirmat Deum esse corpus, non facile agnosci potest, cum simul dicat eum *spiritum*, aliisque in locis admittere videatur substantias spirituales et incorporales. Quapropter non immerito D. Augustinus eum excusat, dum scribit quod Tertullianus «posset quoquo modo putare ipsam naturam substantiamque divinam corpus, cujus partes aliæ majores, aliæ minores valeant vel debeant cogitari, qualia sunt omnia quæ proprie dicimus corpora... sed potuit, ut dixi, propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animæ qualitas, sed ubique totus, et per locorum spatia nulla partitus; in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet.» *De Hæresib.*, cap. 86.

(3) *De Anima*, cap. 3.°

(4) *Ibid.*, cap. 22.

g) Anima hominis, quamvis corporeo oculo non cernatur sitque invisibilis; quamvis spiritus quoque dicatur, quatenus eam « uniformem et simplicem (1) agnoscimus, » simul tamen profitemur eam vere corpus esse, atque « solemniora quæque (2) et omnimode debita corpulentiæ, adesse animæ quoque, ut habitum, ut terminum, ut illud trifariam distantivum, longitudinem dico, et latitudinem, et sublimitatem, quibus metantur corpora philosophi... Igitur, et corpulentia animæ ex densatione solidata est, et effigies expressione formata. »

h) Idcirco anima hominis, non per creationem ex nihilo, sed per generationem ex anima parentis, non secus ac corpus ex corpore producitur; siquidem hominis « anima, (3) velut surculus quidam ex matrice Adam in propaginem deducta, et genitalibus fœminæ foveis commendata cum omni sua paratura pullulabit tam intellectu quam et sensu. » Cujus rei etiam signum est, quod in ipsa generatione « aliquid de anima, (4) quoque exire sentimus. »

i) Ac non secus ac corpus ipsum, anima sexuum distinctioni est obnoxia; quapropter « anima in utero seminata (5) pariter cum carne, pariter cum ipsa sortitur et sexum. »

Observatio.

Ex hucusque expositis facile agnoscitur, Tertulliani philosophiam non pauca erronea et paradoxa continere, quorum maxima pars habetur in libris quos scripsit post defectionem ad hæresim Montani.

---

(1) *De Anima*, cap. 11.
(2) *Ibid.*, cap. 9.°
(3) *Ibid.*, cap. 19.
(4) *Ibid.*, cap. 27.
(5) *Ibid.*, cap. 36.

§ VII.

Philosophia S. Augustini.

Eximius hic vir, catholicæ Ecclesiæ pater et ornamentum, ac omni disciplinarum genere excultus, Tagaste in Africa lucem vidit anno post Christum natum 354, parentibus Patricio et santa Monica. Post transactam juventutem in scholis, in Manichæorum hæresi ac in vitiis, catholicorum fidem et baptisma suscepit anno 387, opera et studio sancti Ambrosii Mediolanensium episcopi. Presbyter postea factus et ad Hipponensem episcopatum evectus, post vitam litteris, laboribus et sanctitate fulgentem, Hippone a Vandalis obsessa, moritur anno Christi 430.

D. Augustinus philosophiam christianam Clementis Alexandrini, Athanasii et aliorum Ecclesiæ PP. et scriptorum, erroribus purgavit, evolvit ac perfecit. Ejus igitur philosophia eadem est cum philosophia D. Thomæ, quamvis minus completa seu minus explicita et diffusa quam hujus; atque idcirco inutile erit ejus doctrinam philosophicam hic sigillatim exponere, cum eadem sit quoad præcipua capita, cum ea quæ in hoc nostro opere continetur. Itaque, ut ejus idea habeatur, præter ea quæ in nostro opere continentur, sufficiet præ oculis habere sequentia:

1.° Quoad originem cognitionis intellectualis et idearum, D. Augustinus minorem influxum concedere vi-

detur sensibus et cognitioni sensili, quam D: Thomas.

2.° Quoniam S. Augustini ætate, veteres scholæ academicæ et scepticæ adhuc vigebant, in ejus operibus inveniuntur plurima argumenta et rationes ad scepticismum convellendum, atque inter alia cartesianum argumentum ex conscientiæ testimonio desumptum.

3.° Quoad originem animæ humanæ, anceps et dubius hæsisse videtur ad finem usque vitæ; quandoquidem in ipso libro Rectractationum, adhuc scribit: «Quod ad ejus (animi) originem qua fit ut sit in corpore, utrum de illo uno sit qui primum creatus est, cum factus est homo in animam vivam; an similiter ita fiant singulis singuli, nec tunc sciebam nec adhuc scio.» (1)

§ VIII.

Philosophia Sancti Isidori.

Isidorus (Hispalensis vulgo dictus) nova Carthagine in Hispania natus circa dimidium sæculi sexti, frater fuit sancti Leandri, cui in Hispalensi episcopatu successit anno post Christum natum 601. Multa concilia tum Toleti, tum alibi celebrari curavit, in quibus catholicam fidem et Ecclesiasticam disciplinam Arianorum tempore collapsam reparavit et auxit; ac tandem post transactos 35 annos

(1) *Retract.*, lib. 1.°, cap. 1.°

in episcopatu, litteris et sanctitate vitæ præclarus Hispali decessit anno 636. (1) Summa ejus doctrinæ philosophicæ, ad hæc potest revocari:

1.° Quoad Philosophiam.

a) «Philosophia est (2) rerum humanarum divinarumque cognitio, cum studio bene vivendi conjuncta.» Eaque *scientia* et *opinatione* quasi duabus partibus constat; quarum «*scientia* est cum res aliqua certa ratione percipitur; (3) opinatio autem cum adhuc incerta res latet, et nulla ratione firmata videtur.»

---

(1) De eo ejusque operibus ita loquebatur Braulius Cæsaraugustæ episcopus, Isidoro coævus, et ipse scientia præclarus: «Jam vero, quantus sapientia fuerit, (Isidorus) ex ejus diversis studiis elaboratisque opusculis perfacile prudens lector intelligere poterit. Denique de his quæ ad notitiam nostram venerunt, ita commemoravi. Edidit libros *Differentiarum* duos; in quibus subtili discretione, ea quæ confuse usu proferuntur, sensu discrevit. *Proœmiorum* librum unum, in quo quid quisque liber sanctæ contineat Scripturæ, brevi subnotatione distinxit. *De Ortu et Obitu Patrum*, librum unum, in quo eorum gesta, dignitatem quoque, et mortem eorum atque sepulturam, sententiali dignitate subnotavit... *Officiorum* libros duos... *Synonimorum* libros duos... *De natura rerum*, ad Sisebutum Regem librum unum... *De Numeris*... *De Nominibus Legis et Evangeliorum*... *De Hæresibus*... *Sententiarum* libros tres, quos floribus ex libris Papæ Gregorii moralibus, decoravit. *Chronicorum a principio mundi usque ad tempus suum*, librum unum, nimia brevitate collectum. *Contra Judæos*... *De viris illustribus*... *Monasticæ Regulæ*, librum unum... *De origine Gothorum et regno Suevorum et etiam Vandalorum historia*, librum unum. *Quæstionum* libros duos, quos qui legit, veterum tractatorum multam suppellectilem recognoscit. *Ethymologiarum* codicem nimia magnitudine, distinctum ab eo titulis, non libris. Quem quia rogatu meo fecit, quamvis imperfectum ipse reliquerit, ego in viginti libris divisi... Sunt et alia hujus viri multa opuscula, et in Ecclesia Dei multo cum ornamento inscripta. Quem Deus post tot defectus Hispaniæ, novissimis temporibus suscitans credo ad restauranda antiquorum monumenta, ne usquequaque rusticitate veterasceremus, quasi quandam apposuit destinam.» *Præfat. Op. S. Isid.* edit, Breul.

(2) *Ethymol.*, lib. 2.°, cap. 24.

(3) *Ibid.*

b) In tres partes congrue dispescitur philosophia: « una *naturalis* (1) quæ græce *Physica* appellatur, in qua de natura inquisitione disseritur; altera *moralis*, quæ græce *Ethica* dicitur, in qua de moribus agitur; tertia *rationalis*, quæ græco vocabulo *Logica* appellatur, in qua disputatur quemadmodum in rerum causis vel vitæ moribus, veritas ipsa quæratur. In *Physica* igitur causa quærendi, in Ethica ordo vivendi, in Logica ratio intelligendi versatur.

c) Atque hæc philosophiæ partitio, sapientiæ seu philosophiæ revelatæ, quæ in libris sacris continetur, accommodari potest: « nam aut de natura disputare solent, (2) ut in Genesi et Ecclesiaste; aut de moribus, ut in Proverbiis et in omnibus sparsim libris; aut de Logica, pro qua nostri Theologiam sibi vendicant, ut in Cantico Canticorum et Evangeliis. »

2.° Quoad Deum.

a) Dei existentiam et attributa agnoscimus ex his quæ in creaturis videmus; nam « sicut opus vel ars, (3) in artificem retorquet laudem, ita rerum creator per creaturam suam laudatur, et... ex pulchritudine circumscriptæ creaturæ pulchritudinem suam, quæ circumscribi nequit, facit Deus intelligi. »

b) Habet vero Deus infinitas perfectiones et summam bonitatem; siquidem « summum bonum Deus est, (4) quia incommutabilis est et corrumpi omnino non potest... Itaque, bene ac substantialiter sunt ista in Deo, id est, incorruptio, immortalitas, incommutabilitas: inde et merito cunctæ præponitur creaturæ. »

c) Est etiam Deus omnino simplex, immensus et om-

---

(1) *Ethymol.*, lib. 2.°, cap. 24.
(2) *Ibid.*
(3) *Sentent.*, lib. 1.°, cap. 4.°
(4) *Ibid.*, cap. 1.°

nipotens: nec tamen ejus immensitas ita accipienda est quasi dicatur, quod « ideo cælum et terram implet Deus, ut contineant eum, sed ut ipsa potius contineantur ab eo: nec particulatim Deus implet omnia, (1) sed cum sit idem unus, ubique tamen est totus. » Similiter, «immensitas divinæ magnitudinis (2) ista est, ut intelligatur eum intra omnia, sed non inclusum; extra omnia, sed non exclusum. »

d) Immutabilitate quoque ac æternitate perfecta gaudet Deus; quandoquidem, « opus, (3) non consilium, apud Deum credimus mutari; nec variari eum, quia per varia tempora diversa præcipit: » quinimo etiam, « omnia tempora (4) præcedit divina æternitas; nec in Deo præteritum, præsens, futurumve aliquod creditur. »

3.° Quoad hominem.

a) Inter creaturas eminet homo, ad quem cætera omnia quodammodo ordinantur et referuntur; unde « universalitatis creaturæ homo magna quædam portio est, (5) tantoque gradu est cæteris excellentior, quanto imagini divinæ vicinior. «

b) Hinc maxima intercedit differentia inter hominem ac entia non solum insensibilia, sed sensibilia quoque seu animantia; quippe « homo est animal ex anima corporeque vivente compositum, (6) atque spiritali compaginatione formatum, subsistens ratione, liberique arbitrii voluntate, vitiorum capax atque virtutum. At contra, pecus est animal irrationale, mortale, motu sanguinis et carnis animatum. »

---

(1) *Sentent.*, lib. 1.°, cap. 2.°
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.* cap. 1.°
(4) *Ibid.* cap. 8.°
(5) *Ibid.* lib. 1.°, cap. 13.
(6) *De Different. Spirit.* lib. 2.°, num. 14.

c) « Anima hominis non est homo; sed corpus quod ex humo (1) factum est, id tantum homo est. Inhabitando autem in corpore anima, ex ipsa participatione carnis, hominis nomen accipit. »

d) Rationalis anima nec est pars divinæ substantiæ, nec ex aliqua materia producitur, sed ex nihilo creatur: estque substantia incorporea ac immortalis, quod animæ pecorum minime congruit; siquidem nos hominis animam « non ignem, (2) nec sanguinem, sed incorpoream dicimus... carentem pondere et figura, sine colore; nec credimus partem, sed creaturam esse Dei; nec de substantia Dei, vel de qualibet subjacente elementorum materia, sed ex nihilo esse creatam: » hominum « animæ habent initium, (3) finem vero nullum; ast animalium irrationalium « anima (4) post mortem simul cum carne dissolvitur. »

e) Igitur, « multum ex sua natura splendorem possidet anima, sed fuscatur commixtione carnis qua detinetur inclusa. » (5) Mutabilitati tamen subest anima rationalis, « non localiter, (6) sed temporaliter in suis affectionibus... Quod est ad corpus mutatio locorum, hoc est ad animam mutabilitas cogitationum. »

4.° Quoad mundum.

a) « *Mundus* est hic, (7) qui constat ex cœlo et terra, et mari, cunctisque syderibus: qui idcirco *mundus* est appellatus, quia semper in motu est; nulla enim requies ejus elementis concessa est. »

---

(1) *Sentent.* lib. 1.°, cap. 14.
(2) *De Different. Spirit.* lib. 2.°, num. 26.
(3) *Sent.* lib. 1.°, cap. 14.
(4) *De Different. Spirit.* lib. 2.°, num. 14.
(5) *Sentent.* lib. 1.°, cap. 14.
(6) *Ibid.*
(7) *Ethymol.* lib. 3.°, cap. 28.

b) Sicut sonus cantum præcedit naturæ ordine seu origine non vero tempore, ita similiter, «materies ex qua formatus est mundus, origine, non tempore, (1) res ex se factas præcessit.»

c) Neque existimandum est Deum, dum mundum e nihilo eduxit, incepisse de novo aliquid agere aut velle, «quia etsi in re mundus non erat, (2) in æterna tamen ratione et consilio semper erat.»

d) Entium quædam temporalia sunt, quædam perpetua, ac quædam sempiterna. «*Temporalia* sunt, (3) quibus inest ortus et interitus: *perpetua*, quibus ortus, non terminus: *sempiterna*, quibus nec ortus nec terminus.»

e) «Malum in seipso natura nulla est;» (4) unde constat «nullam esse creaturam malam:» quinimo etiam, «ex eo quod vitium nocet naturæ, agnoscitur vitium naturam non esse... Dum natura bona damnatur propter voluntatem malam, ipsa voluntas mala testis est naturæ bonæ, quæ in tantum testatur eam esse bonam, ut illam Deus pro malo non relinquat inultam.»

Observatio.

Quamvis S. Isidori philosophia nec magnam profunditatem, nec originalitatem præseferat; jure merito tamen dici potest eum de christiana philosophia bene meruisse, quatenus veterum PP. et philosophorum doctrinam compilavit, dilucide exposuit, ac suo sæculo aptavit. Hinc spectari potest tamquam unus ex his per quos traditiones philosophicæ PP. Ecclesiæ, præsertim vero D. Augustini, derivatæ sunt ad Scholasticos, qui easdem evolvere ac perficere curarunt.

---

(1) *Sentent.* lib. 1.°, cap. 10.
(2) *Ibid.*
(3) *Ibid.* cap. 14.
(4) *Ibid.* cap. 11.

§ IX.

De philosophia Boetii et Cassiodori.

Fuere philosophi qui, non secus ac S. Isidorus, litteras græcas, romanas, atque christianas simul coluerunt, ac per versiones, commentaria, et compendia philosophica, veterum doctrinam imperfecte saltem conservarunt, eamque populis occidentalibus medii ævi communicarunt, ita ut simul cum S. Isidoro Hispalensi, haberi possint tamquam initium et fontes proximi philosophiæ scholasticæ, idque duplici maxime titulo: 1.° quatenus fragmenta et capita quædam, tum philosophiæ ethnicæ, tum Ecclesiæ Patrum, conservarunt ac scriptis compendio mandarunt: 2.° quatenus ethnicorum philosophorum ac maxime Aristotelis opera quædam, aut latine reddiderunt, aut commentariis illustrarunt. Quorum primum, præter Isidorum, præstitit

A) *Cassiodorus* (Magnus Aurelius) apud Squillacum Calabriæ oppidum 470 natus. Minister Theodorici ostrogothorum regis ejusdemque successorum factus, ac perseverans usque ad provectam ætatem, monachus evasit ætatis anno 70, ædificato monasterio S. Benedicti, ubi et monachos socios adegit ad veterum opera transcribenda, et sua scripsit, inter quæ reperiuntur: *Tractatus de anima*, et illud celebratum medio ævo quod inscribitur: *De septem Disciplinis.*

B) *Boetius* e converso eminet ex secundo titulo, quip-

pe qui apprime græce peritus, latine reddidit quædam ex operibus Nicomachi, Euclidis, Archimedis, Pythagoræ ac præsertim Aristotelis, cujus philosophiam præ cæteris sectabatur, eam tamen simul conciliare studens cum Neoplatonicorum placitis quibusdam. Scripsit præterea commentaria in *Isagoge* Porphyrii, ex quibus Scholastici plurima postea desumpserunt. Natus est porro philosophus iste Romæ, circa annum Christi 472 ex familia senatoria, ac postquam auctoritate maxima et amicitia polluit apud Theodoricum, de falsis criminibus accusatus, carceri primum mancipatur, deindeque interficitur Theodorici jussu circa annum 525. Dum in carcere mortem spectabat, librum scripsit cui titulus: *De Consolatione Philosophiæ*, in quo de vanitate rerum hujus mundi, de fato et fortuna, de hominis libertate, de Dei providentia egregie quidem disserit, sed ethnica dogmata ideis christianis admiscendo. Retroactis sæculis, apud omnes communiter, et adhuc nostra ætate apud non paucos, Boetius habetur non solum tamquam christianus, sed etiam tamquam martyr; ast non desunt hodie critici qui existimant eum nec christianum quidem fuisse. (1)

Quod ad me attinet, existimo ejusmodi sententiam nihil esse aliud quam intemperantis criticæ fœtum. Sive enim Boetii vitam christianis virtutibus fulgentem, spectemus; sive præ oculis habeamus ab eodem conscripta opera, in quibus de doctrina et dogmatibus catholicæ Ecclesiæ egregia simul atque exacta ratione disserit; (2) sive demum veteres traditiones et antiqua monumenta consulantur, tamquam indubium haberi

---

(1) Ita Marx apud Goschler, *Diction. encyclop. de la Theol. Cathol.* art. *Boece.* Vid etiam Ritter, *Hist. de la Phil.*

(2) Scio equidem non deesse quosdam qui tractatum *De duabus naturis et una persona in Christo*, atque opus *De Trinitate* inscriptum,

potest, Boetium catholicæ fidei professorem baptismo, mente et opere, extitisse. (1)

Cæterum, qui eum catholicæ fidei professorem inficiantur, ea ratione præcipue permoventur, quod Boetius ethnicorum scriptorum doctrinam et sententias frequenter usurpat in conscriptis operibus. Ast, ut quisque facile agnoscit, id minime rem conficit; quandoquidem, id ipsum perfecere maxima ex parte Ecclesiæ Patres. Nec quidpiam aliud ex hujuscemodi facto licet colligere, nisi Boetio in animo fuisse ecclectismum in philosophicis consectari, simulque adlaborare ut ethnica philosophia erroribus purgata, catholicæ fidei manus amicas porrigeret, atque philosophiæ christianæ evolvendæ inserviret.

Boetio abjudicant, sed absque solido fundamento, prout multi critici prudentiores demonstrant.

(1) «No contento, inquit Rohrbacher, cujus verba hispanice vertimus, con sostener la Iglesia católica y su doctrina de viva voz, la defendió tambien con sus escritos. En medio de las heregías y cismas que desgarraban la Iglesia en su tiempo, creyó deber esponer su propia creencia en una profesion de fé, que ha llegado hasta nosotros la cual es una de las mas lógicas, mas exactas y mas completas entre las de la antiguedad que han llegado hasta nosotros. Compuso un tratado: *De las dos naturalezas y una persona en Cristo*, contra los errores de Eutiques y Nestorio...

Lo que principalmente revela cuales fueron la fé y celo de Boecio, es el haber escrito en los horrores de la prision, dirigiéndole á su suegro (Sinmaco) el *Tratado sobre la Trinidad*. En la misma prision y en el intérvalo que medió desde su condenacion hasta su suplicio, escribió su célebre obra: *De la Consolacion de la filosofía*...

Habiendo sido muerto Boecio el 23 de Octubre de 524, los católicos recogieron su cuerpo y le dieron sepultura en Pavía cerca de la de Elpis, su primera esposa. El epitafio que se colocó en su sepulcro contiene en pocas palabras el elogio de su saber y de su virtud... El autor de este epitafio no dudaba que Boecio habria recibido ya en el cielo la recompensa debida á su piedad, á su celo por la fé, á sus padecimientos por la justicia... Finalmente los Bolandistas le dan el título de santo. Su nombre se halla con este título en el calendario de Ferrarius y en el de algunas iglesias de Italia, que honran su memoria en el dia 23 de Octubre.» *Hist. univ. de l' Eglise Cath.*, t. 9 °, pag. 57 et sqq.

CAPUT QUINTUM.

SECUNDÆ PERIODI EPOCHA SECUNDA,

Seu Universæ Philosophiæ quinta epocha.

PHILOSOPHIA SCHOLASTICA.

In *philosophia scholastica* quatuor partes seu epochas opus est distinguere et assignare: quarum *prima*, quæ *præparationis* dici posset, initium ducit a Carolo Magno, et finem accipit labente sæculo undecimo; ubi incipit *secunda*, quæ *generationis*, dici potest, et pervenit usque ad sæculum decimum tertium; in quo incipit tertia scholasticæ epocha, quæ *evolutionis* et *perfectionis* appellari potest, et finem accipit sequenti sæculo, in quo initium accepit epocha quarta seu *occasus* philosophiæ scholasticæ, quæ perducitur usque ad instaurationem (*renacimiento*) litterarum sub finem sæculi decimi quinti.

Scholasticæ philosophiæ historia, nonnisi integris voluminibus texi potest, si ea congrue ac perfecte dignoscenda erit; idque tum propter longitudinem temporis quod complectitur, tum propter multitudinem et diversitatem systematum ac scholarum quibus scatet, tum

denique propter erroneas opiniones, judicia et sententias, quæ de ipsa apud non paucos habentur. Sed nos brevitatis gratia et ex natura instituti operis cogimur summis tantum, ut ajunt, labris, rem hujuscemodi attingere: quapropter summatim tantum ac veluti per cursum characteres et auctores præcipuos, quibus quatuor epochæ præfatæ distinguuntur, brevi ratione exponemus. Cujus rei gratia sit

§ I.

Prima epocha philosophiæ scholasticæ.

In prima hac epocha quam *præparationis* diximus, duplex motus e regione quodammodo oppositus in scientia observatur, nempe, motus *rationalisticus*, et motus *theologicus*. Ad primum spectat

a) *Erigena* (Joannes Scotus) Hiberniæ initio sæculi noni natus, et anno 886 mortuus. Linguæ græcæ apprime peritus, omnium ferme veterum philosophorum ac præsertim Neoplatonicorum doctrinis imbutus, scientiam minime vulgarem magnumque nomen sibi acquisivit; ast ea fœdavit turpissimis erroribus, catholicæ fidei et rectæ rationi simul adversantibus. Ejus quippe doctrina, inter alia, hæc habet:

1.° Quadruplex *naturæ* genus distinguere oportet; quorum primum est, *natura creatrix et non creata*, scilicet, Deus ut Creator: secundum, *natura quæ creat et*

non creatur, nempe, ideæ divinæ, quæ sunt rationes et causæ primordiales rerum: tertium, *natura creata et non creans*, ideæ, nempe, divinæ, quatenus existentiam recipiunt mundum hunc visibilem constituendo: quartum, *natura neque creata neque creatrix*, scilicet, Deus, non jam prout creator, sed prout terminus et finis universalis creationis et omnium rerum quæ in ipsa continentur. Deus ergo constituit esse et essentiam omnium rerum, et omnes res, ipsaque anima humana, sicut egrediuntur, ita regrediuntur ad Deum. (1)

2.° Postquam pantheismum, rationalismum quoque docet hibernus philosophus: nam apud ipsum, philosophia a religione non secernitur, sed cum ipsa potius convertitur et identificatur; etenim « vera, inquit, (2) philosophia est vera religio; conversimque, vera religio, vera philosophia. » Quin etiam rationem a fide et religione prorsus independentem efficit, dum scribit: (3) «Vera autem ratio, cum virtutibus suis rata atque immutabilis munitur, nullius auctoritatis adstipulatione roborari indiget. »

b) Oppositam Erigenæ viam sectati fuere *Alcuinus* in Anglia 736 natus; *Lanfrancus* Ticini in Italia 1005, et *Petrus Damianus*, Ravennæ 1001 natus, qui philosophiam vel potius dialecticam, quam unice ferme colebant, ad res theologicas et asceticas pertractandas applicuerunt. Ast mediam quodammodo inter utrosque viam retinuit *Gerbertus* circa dimidium sæculi decimi in Gallia natus, de quo ita habet noster Balmes: « Celeberrimus hic

---

(1) Præter opus cui titulus: *De Divisione Naturæ*, quod Erigenæ systema philosophicum continet et ad nos pervenit, constat eum scripsisse aliud cui titulus: *De egressu et regressu animæ ad Deum*, quod ad nos non pervenit.

(2) *De Divis. Nat.*, lib. 1.°, cap. 68.

(3) *Ibid.*, cap. 71.

monachus, qui postea Papa fuit sub nomine Sylvestri secundi, cum arabibus et judæis communicationem habuit scientificam. (1) Ejus ingenio et studio debet Europa primos in scientiis naturalibus passus. Memorare sufficiat, sæculo X, quod, ferreum dictum est, matheseos, astronomiæ et geographiæ cathedras habuisse Gerbertum. Tabulam excogitavit, qua arithmeticæ operationes aptis characteribus explicabat: sphæram construxit ut astrorum motum exhiberet, et varios scripsit geometriæ tractatus. »

Notum est quoque, Gerbertum, si fides historicis et criticis, primum fuisse qui usum characterum arabicorum in Europa christiana introduxit.

§ II.

Secunda epocha philosophiæ scholasticæ.

Philosophia proprie *Scholastica*, (2) post dimidiatum undecimum sæculum incepit evolvi cum Roscellino, Gui-

---

(1) In nostra, videlicet, Hispania, in qua apud Arabes et Judæos artes et scientiæ florebant; constat enim Gerbertum academias Hispalensem, Cordubensem et Toletanam frequentasse.

(2) Originem hujus denominationis tribuit Cousin scholis a Carolo Magno institutis: «C'est Charlemagne qui le premier ouvrit des écoles, *scholæ*. Ces écoles étaient le foyer de la science d'alors ; aussi la science d'alors fut-elle appelée *scholastique*. Voilà l'origine de la chose et du mot. ¿ Et où Charlemagne institua-t-il et pouvait-il instituer des écoles?

Illielmo Campellensi, (de Champeaux) et S. Anselmo. Quorum prior

a) Roscellinus Compendiensis vulgo dictus, (de Compiegne) dialecticis subtilitatibus acriter intentus, *Nominalismum* in scholas invexit, adfirmans *universalibus* nihil in rerum natura respondere, ac proinde *genera* et *species*, et ideas vel naturas quæ universales dicuntur, esse mera *nomina*, quibus individua seu singularia significamus. Exinde colligebat, nihil reale nos cognoscere nisi singularia; ad quod cum sufficiant sensus, merito suspicantur quidam, Roscellinum sensualismum quoque amplexatum fuisse. Ast e contra

b) Guillielmus de Champeaux, *Realismum* tuitus est ac fortasse ad exaggerationem duxit. Videtur enim ipsum, non tantum objectivam realitatem ideis universalibus attribuisse, sed adfirmasse quoque genera et species, seu sola *universalia*, continere veram entitatem et existentiam extra nos, minime vero singularia, quæ accidentaliter tantum ab invicem distinguuntur. Alii vero existimant, Guillielmum, verum realismum docuisse, affirmando naturas genericas, specificas etc., quæ ideis ac nominibus universalibus respondent atque significantur, realitatem objectivam extra mentem habere, sed non sub statu vel forma *universalitatis*, quam formam vel statum eis tribuit intellectus per abstractionem a conditionibus seu differentiis individualibus, quibus singularia ad invicem distinguuntur. Novum et quasi medium systema excogitavit

c) *Abœlardus* (Petrus) in Britannia minori non longe

La où il y avait le plus d'instruction encore, le plus de loisir pour en acquérir... Oui les couvents sont le berceau de la philosophie moderne.» *Histoir. de la Philosoph.*, lect. 9.ª, pag. 237. Alii tamen aliter assignant originem et rationem hujus nominis.

a Nannetensi civitate 1079 natus, qui realismum magistri sui Guillielmi, ac nominalismum Roscellini simul rejiciens, atque fortasse conciliare satagens, docuit *universale* in rebus extra animam positis *essentialiter* non inveniri, sed *individualiter* tantum; ac proinde universalia non esse quidem mera *nomina*, sicut ajebat Roscellinus, sed formas veras seu conceptus intellectus; unde et ejus hocce systema *Conceptualismus* nuncupari solet, quod quidem vix a Nominalismo differre patet, tum ex ipsa ejus expositione, tum maxime ex erroneis doctrinis ad quas ex hoc systemate perductus fuit, præsertim circa mysterium Trinitatis; quandoquidem, si fides Othoni, Abælardi discipulo et apologistæ, aliisque ejusdem coævis scriptoribus, realem distinctionem personarum e medio tollebat, solam nominalem relinquens. Docuit præterea Abælardus: 1.° mundum a Deo conditum, optimum inter possibiles esse: 2.° philosophos gentiles, ac præsertim Platonem hujusque discipulos, mysterium Trinitatis catholicæ veramque fidem habuisse, ac proinde nullam nobis adesse rationem dubitandi de ipsorum æterna salute. Post varias atque insolitas vitæ et doctrinæ vicissitudines, resipuit tandem opera, consilio, et exemplo Petri Venerabilis, monasticam vitam christiane egit postremis vitæ annis, et obiit anno 1142. Ast verus ac maximus philosophiæ scholasticæ cultor hac ætate fuit

d) *Sanctus Anselmus* Augustæ Prætoriæ (Aosta) in Pedemontio anno 1033 natus, qui Beccensis monasterii primum abbas, deinde archiepiscopus Cantuariensis renuntiatus, temporalem vitam cum æterna commutavit anno 1109. Multa scripsit, inter quæ ut philosophica simul ac theologica eminent, *Monologium=Proslogium=De Libero Arbitrio=De Veritate*, in quibus christiana ac satis completa metaphysica continetur. Characteres generales atque præcipui ejus doctrinæ, sequentibus continentur:

1.° Tum quoad methodum, tum quoad doctrinam D. Augustino adhæret; nam et dialogo sæpe utitur, et de veritate, de ideis divinis, de malo aliisque hujusmodi, ad mentem hipponensis episcopi disserit; unde et Ontologismo, non secus ac D. Augustinus, aliqua ex parte accedit.

2.° Quinimo etiam, auctor existit demonstrationis *ontologicæ* existentiæ Dei, quam postea Cartesius ut novam instauravit. « Nullus quippe, inquit, (1) intelligens id quod Deus est, potest cogitare quia Deus non est, licet hæc verba dicat in corde aut sine ulla aut cum aliqua extranea significatione. Deus enim est id quo majus cogitari non potest: quod qui bene intelligit utique intelligit idipsum sic esse, ut nec cogitatione queat non esse.» Et alibi (2) demonstrare aggreditur Deum, seu id quo majus cogitari nequit, non in solo intellectu, sed in re quoque necessario existere, « quia majus est esse in intellectu et in re, quam in solo intellectu. Et si illud in solo est intellectu, majus illo erit quidquid etiam fuerit in re... Et ideo necesse est, ut majus omnibus, quod est jam probatum esse in intellectu, et in re sit; quoniam aliter, majus omnibus esse non poterit.»

3.° Anselmi philosophia penitus abhorret a subtilitatibus atque inanibus disputationibus dialecticis, quibus Abælardus et alii coævi scholastici delectabantur. Quod attinet vero ad controversiam universalium, moderato realismo adhærebat, vehementerque rejiciebat dialecticos nominales, qui universalia ad nomina seu *flatus vocis* revocabant.

4.° Nec minus Abælardo ejusque discipulis adversabatur quoad usum et potentiam rationis humanæ. Dum

---

(1) *Proslog.*, cap. 4.°
(2) *Lib. pro insipiente.*

enim ille rationis usum et vim nimis extollebat, atque suprema fidei catholicæ mysteria per rationem explicare et demonstrare contendebat, S. Anselmus e converso docebat, hominis rationem subjiciendam esse fidei; quinimo rerum cognitionem et scientiam ex fide initium ducere ac per eam juvari et illustrari. Hinc illud apud ipsum tritum: *Credo ut intelligam. Fides præcedit intellectum.* Cave tamen ne inde inferas, D. Anselmum, aut scientiam, aut rationis usum in ipsis etiam fidei rebus excludere aut damnare; nam potius et sæpenumero commendat, ut dum ait: « Negligentia mihi videtur, si postquam confirmati sumus in fide, non studemus quod credimus intelligere. »

5.° Ergo S. Anselmus jure merito spectari potest veluti institutor ac parens veræ philosophiæ scholasticæ, id est, christianæ simul et rationalis, quatenus sese opposuit, tum inanibus disputationibus ac subtilitatibus, tum spiritui ac principiis rationalisticis, quibus aliqui eamdem fædare et a recta via detorquere tunc temporis conabantur.

e) Præter hucusque enumeratos, floruere hac ætate philosophiæ scholasticæ: 1.° *Hugo* et *Richardus de Sancto Victore*, qui mysticismo adhæserunt: 2.° *Petrus Lombardus*, Novaræ in Italia natus, vulgo appellatus *Magister Sententiarum*, qui potius theologiam quam philosophiam coluit: 3.° *Joannes de Salisbury* (*Joannes Parvus Salisberiensis*) Abælardi discipulus, qui in opere cui titulus: *Policraticus*, et in alio quod inscribitur: *Metalogicus*, vanitatem, nugas et inanes disputationes coævorum philosophorum irridet: 4.° tandem *Almaricus de Bene*, vel *Chartres*, et *David de Dinant*, qui, præter errores alios contra fidem, patheismum materialistam suscitarunt, docentes Deum identificari cum materia.

TERTIA EPOCHA PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ.

§ III.

Philosophia Alberti Magni.

Cum sæculo decimo tertio incipit tertia epocha philosophiæ scholasticæ, quam *evolutionis* vel *perfectionis* supra appellavi; quoniam eo sæculo insigniora emicarunt lumina et ingenia scholasticæ philosophiæ, sicut et theologiæ. Hunc porro perfectionis motum incepit ac mirifice promovit

Albertus Magnus (nuncupari etiam solet, *Albertus Theutonicus*, *Albertus de Colonia*, *Albertus Ratisbonensis*) apud Lavingium in Germania anno 1193 natus. Post frequentatas ingenti scientiarum amore et profectu scholas Germaniæ, Galliæ et Italiæ, Prædicatorum Ordini nomen dedit trigesimo ætatis anno nondum expleto; ubi perpetuo discens et docens, ac omni disciplinarum genere excultus, egregium sibi nomen comparavit, *Magnus* idcirco a coævis et posteris cognominatus. Parisiis, Coloniæ, aliisque in locis philosophiam ac theologiam publice docuit, Legatus Apostolicus in Poloniam ac postea Magister Sacri Palatii et episcopus Ratisbonensis a Summo Pontifice renuntiatus, oneri et honori cessit, ad cellulamque reversus, scientiis ardentius incumbens, ac libris

conscribendis deditus, ad superos tandem evolavit Coloniæ anno 1280 cum 87 esset annorum. Ejus opera continentur voluminibus 21 *in fol.*, in quibus de cunctis ferme disciplinis tam ecclesiasticis quam sæcularibus agit. Quod attinet ad philosophiam proprie dictam, eam sigillatim exponere omittimus, tum studio brevitatis, tum maxime quia a philosophia D. Thomæ, quæ hoc opere continetur, parum differt, quamvis sit minus completa ac perspicua. Ast vero, quoniam Albertus Magnus motum scientificum ac philosophicum mirifice promovit, idque non modo quoad philosophiam proprie acceptam et theologiam, sed etiam quoad scientias physicas et naturales, exponere oportet breviter generales characteres ejus doctrinæ, sicut et media et rationes, quibus motum philosophicum ac scientificum fovit et auxit.

1.° Philosophiam christianam evolvit ac perfecit, tum cunctas ejus partes integre atque ex ordine pertractando, earumque nexum et relationes ostendendo, tum etiam hominem considerando, et quatenus creaturas inferiores, et quatenus Deum respicit. Mundi quoque initium cum tempore, ac ejusdem productionem ex nihilo, abunde atque solida ratione demonstravit et evolvit: unde vehementer fallitur Tennemann, dum asserit Albertum Magnum docuisse *emanationem* rerum ex Deo; quandoquidem, sexcentis locis creationem rerum ex nihilo adstruit. «Mundus, inquit, (1) a primo Creatore solo Deo incepit per creationem... Deus ex nihilo fecit mundum.»

2.° In philosophiam christianam invexit elementa scientifica quæ fidei et rationi sunt consentanea, tum veteris philosophiæ ethnicæ, tum neoplatonicæ, tum Arabum, ut percurrenti ejus opera statim patebit: qua-

(1) *Opp.* t. 2.° pag. 330.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

propter oppido falluntur qui existimant et autumant, Albertum Magnum nihil præter Aristotelem scivisse et commentasse.

3.° Quinimo etiam, quamquam vestigiis Aristotelis maxime insistit, propter multitudinem ac varietatem operum Stagyritæ; tum etiam propter ejus methodum magis scientificam ac philosophicam quam Platonis, hujus tamen philosophiam æque suscipit et magni facit; unde et scribit: «Scias quod non perficitur homo in philosophia, (1) nisi ex scientia duarum philosophiarum, Aristotelis, et Platonis.»

4.° Tantum igitur abest ut Aristotelis placita cæco modo insectetur, prout quidam scripsere, ut eum potius non semel refellat, errorique obnoxium aperte profiteatur, eos irridens qui errorem nullum in eo agnoscere volunt. «Qui credit, ait, (2) Aristotelem fuisse Deum, ille debet credere quod nunquam erravit: si autem credit ipsum esse hominem, tunc proculdubio errare potuit, sicut et nos.»

5.° Nec de philosophia tantum, sed de humana scientia universim bene meruit Albertus Magnus, dum experientiam et observationem phænomenorum commendavit ad praximque reduxit; simulque scientias naturales, physicas ac mathematicas coluit, promovit et auxit. (3)

---

(1) *Opp.* t. 2.° pag. 67.

(2) *Ibid.* pag. 332.

(3) Id facile sibi persuadebit, quisquis ejus volumina evolverit: siquidem, præter theologica, ascetica et exegetica, quæ pluribus voluminibus *in fol.* continentur, sequentia habet ad philosophiam ac ad scientias naturales, physicas et mathematicas spectantia: *De Prædicabilibus*, lib. 1.=*De Decem Prædicamentis*, lib. 1.=*De sex principiis*, lib. 1.=*De Interpretatione*, lib. 2.=*De syllogismo*, lib. 2.=*De Demonstratione*, lib. 2.=*Topicorum*, lib. 8.=*De Sophisticis elenchis*, lib. 2.=*De Physico auditu* (Physica), lib. 8.=*De Cœlo et Mundo*, lib. 4.=*De Generatione et Corruptione*, lib. 2.=*De Meteoris*, lib. 4.=*De Mineralibus*, lib. 5.=*De Anima*, lib. 3.=*Metaphysicorum*, lib. 13.=*Ethicorum*, lib. 10.=*Politicorum*,

6.° Primus extitit inter philosophos christianos, qui historiam naturalem animalium, plantarum et mineralium, ex integro atque scientifice tradere est aggres-

---

lib. 8.=*De Sensu et sensato*, lib. 1.=*De Memoria et reminiscentia*, lib. 1.=*De Somno et Vigilia*, lib. 1.=*De Motibus Animalium*, lib. 2.=*De Juventute et Senectute*, lib. 1.=*De Spiritu et Respiratione*, lib. 2.=*De Morte et Vita*, lib. 1.=*De Nutrimento et Nutribili*, lib. 1.=*De natura et origine Animæ*, lib. 1.=*De Unitate intellectus contra Averroem*, lib. 1.=*De Intellectu et intelligibili*, lib. 2.=*De Natura Locorum*, lib. 1.=*De Causis Proprietatum Elementorum*, lib. 1.=*De passionibus aeris*, lib. 1.=*De Vegetabilibus et Plantis*, lib. 7.=*De Principiis motus progressivi*, lib. 1.=*De Processu universitatis* (omnium rerum) *a Causa Prima*, lib. 1.=*Speculum Astronomicum*, lib. 1.=*De Animalibus*, (historia naturalis animalium), lib. 26.=*De Apprehensione et apprehensionis modis*, lib. 1.=*Philosophia Pauperum*, lib. 1.=*De Alchimia*, lib. 1.=

Ex his facile dignoscitur, non parum Alberto Magno debere scientias præsertim physicas et naturales, ut vel ipsi recentiores qui ejus opera diligenter examinarunt, ingenue fatentur; inter quos eminet Blainville, qui analysim operum Alberti sic claudit: «Puede por lo tanto resumirse lo que Alberto Magno ha dejado á la ciencia, en las diez teses siguientes:

1.ª Completó y terminó el círculo de los conocimientos humanos, añadiendo á lo que habia hecho Aristóteles la demostracion científica de las relaciones del hombre con Dios.

2.ª Imprimió al estudio de la naturaleza su verdadero carácter, á saber, la utilidad física inmediata y la utilidad teológica, mucho mas importante en el órden social.

3.ª Ensanchó el camino de la observacion, aplicándola á todos los séres de la naturaleza y á todas sus circunstancias, á excepcion de la anatomía.

4.ª Creó la descripcion de los cuerpos naturales desconocida á los antiguos.

5.ª Tuvo el sentimiento é indicó las relaciones naturales de los séres, aunque no pudo, por falta de los elementos necesarios, hacer su aplicacion á la clasificacion.

6.ª Determinó la medida de la perfeccion é imperfeccion en mas ó en menos de los séres organizados.

7.ª Tuvo el sentimiento y definió muchas veces con felicidad los grados que forman los cuerpos naturales, haciendo aplicaciones acertadas á algunos casos.

8.ª Al mismo tiempo que aceptó las teses principales de la escuela peripatética, las ilustró, rectificó y desenvolvió de una manera conveniente.

sus. 1 Similiter, scientiam physiognomiæ seu phrenologiam omnium primus in philosophiam christianam invexit, ejusdem bases ac rationalia principia constituens et applicans. (2)

§ IV.

De philosophia D. Thomæ, S. Bonaventuræ et aliorum Scholasticorum ejusdem ævi.

3. Philosophiam D. Thomæ nihil opus est exponere, quoniam in hoc nostro opere satis exprimitur ac inte-

---

5.° Fué el primero que empleó de una manera general la forma de *diccionario* ó órden alfabético para la descripcion de los cuerpos naturales, señalando al propio tiempo sus ventajas é inconvenientes.

10.° Fué tambien el primero que abrazó todas las partes de las ciencias naturales bajo un plan completo, perfectamente seguido y lógico, para lo que completó muchas veces las lagunas de Aristóteles.» ***Histoire des Scienc.*** **t. 2.° pag. 94.**

(1) Hinc merito Jourdain hæc habet de ejus historia animalium «Soit qu'on la regarde comme une simple compilation d'Aristote et d'écrivains subséquents, ou comme le dépot des connaissances du siecle où il vivait, soit que l'on veuille y voir l'ouvrage d'un homme voué à l'étude de la nature, et qui savait en pénétrer les mystères, on conviendra que sous l'un ou l'autre de ces rapports, elle est un monument précieux qui, présentant l'état des opinions et des connaissances du moyen age, remplit une longue lacune, et lie l'histoire ancienne de la science à celle des temps modernes.» *Recherches sur les trad. d'Arist.* **pag. 338.**

(2) Unde jure merito habet Buinville «Il est le premier qui, dans son traité de la physionomie, ait pensé à déterminer les facultés de l'âme d'après les organes extérieurs du crane. Aristote avait déjà donné un traité de physionomie, et Théophraste y avait ajouté ses ca-

gre continetur. Notare sufficiat sequentia: 1.° eum scientias physicas et naturales parum coluisse; unde quoad hæc, Aristotelem sequitur in his quæ fidei non opponuntur. 2.° Quoad philosophiam proprie dictam, Aristoteli quidem adhæret quoad methodum; ast vero quoad doctrinam ipsam, ejus philosophia vere est ecclectica, quia ex philosophis cunctis sive ethnicis, sive christianis, desumit pro argumentorum natura et conditione, plurima simul ex proprio ingenio addendo. Dominantur tamen philosophia Aristotelis, philosophia Platonis, et præsertim philosophia D. Augustini.

b) D. Thomæ coævus extitit *S. Bonaventura*, anno 1221 in Italia natus et Lugduni mortuus 1274. In baptismo *Joannes Fidanza* cognominatus, Ordinem Minorum amplexus fuit, cujus extitit Minister generalis, ac postea episcopus et cardinalis a Summo Pontifice fuit renuntiatus.

Ejus philosophia cum philosophia D. Thomæ satis congruit, a qua solum ferme differt; 1.° quatenus non omnes philosophiæ partes fusiori calamo prosequitur, sicut D. Thomas, ac præsertim quoad logicalia et psychologica: 2.° quatenus in metaphysicis, placitis Ontologismi magis favet quam D. Thomas: 3.° quatenus mysticismo etiam satis favet, cognitionis humanæ originem, naturam et proprietates ad sensum et formas mysticismi revocans, prout videre licet in his ejus operibus: *Reductio artium ad Theologiam*, = *Itinerarium mentis in Deum* = *Lignum vitæ*. Atque ex qua parte ad mysticismum accedit, dux haberi potest eorum qui sequentibus sæculis, scholæ mysticæ adhæserunt, inter

---

ractères; mais Albert le Grand;... contient en germe la theorie de Gall et de Spurzheim son disciple, moins l'exageration et les principes materialistes.» *Histoire des scienc.* t. 2.° pag. 80.

quos eminent sæculo 14.° *Joannes Taulerus* Ordinis Prædicatorum, in Germania natus, et anno 1361 mortuus; sæculo vero sequenti Joannes Gerson Universitatis Parisiensis Cancellarius, qui e vita decessit anno 1429.

c) Præter DD. Thomam et Bonaventuram, inter præcipuos qui circa ea tempora floruere, connumerari possunt, *Henricus Gandavensis*, et *Ægidius Colonna* Romanus; quorum ille discipulus extitit Alberti Magni, hic vero D. Thomæ, cujus doctrinam egregie tuitus est, atque eximius philosophus simul et theologus evasit. Romæ natus est Ægidius 1247, Ordinem S. Augustini amplexus fuit, ac e vivis excessit 1316. Post recensitos tamen nomen majus sibi comparavit

d) *Scotus*, (Joannes Duns) *Doctor subtilis* vulgo nuncupatus. In Anglia natus est 1275, ac seraphicum Ordinem ingressus, Oxonii et Parisiis summa cum laude *Sententias* est interpretatus, tam vivæ vocis oraculo quam *commentariis* super eas concriptis, moriturque Coloniæ ex apoplexi (1) 34 ætatis anno. Sunt tamen qui asserunt eum vixisse 45, alii vero 63 annos. Ejus philosophia partim congruit cum philosophia D. Thomæ, differt tamen in quibusdam placitis, quorum hæc sunt præcipua:

1.° Præter distinctionem realem et rationis, admittere oportet distinctionem aliam, nempe, *formalem ac-*

(1) Historici quidam narrant, Scotum ex errore vivum tumulatum fuisse; ast Wading cum aliis historicis præfatam narrationem tamquam falsam rejiciunt. «Il mourut, ait Rousselot, environ un an après son arrivée à Cologne, d'une attaque d'apoplexie, et il fut enterré dans le couvent des Frères Mineurs. Mais bientot d'étranges bruits circulerent dans le monde; il se disait que Duns Scot, regardé comme mort, avait été enterré vivant; on ajoutait que le malhereux fut trouvé sur les degrés de son sepulcre, où il s'était trainé et où il avait devoré ses mains: *aperto sepulcro, in gradibus mausolei, devoratis manibus repertum fuisse. Philosoph. du Moyen Age*, t. 3.° pag. 6.

tualem ex natura rei, quæ media veluti existit inter distinctionem realem et rationis; quæ proinde actu in entibus invenitur ante operationem intellectus.

2.° Hoc distinctionis genus locum habet inter essentiam et existentiam in rebus creatis, sicut etiam inter attributa divina.

3.° Dum dicitur Causam Primam cum secunda concurrere ad agendum, non est intelligendum quod physicam aliquam qualitatem eidem imprimit, sed solum quod operatur et agit cum subordinatione ad Agens Primum.

4.° Ex virtute divina potest idem corpus existere circumscriptive in pluribus locis.

5.° In homine, præter animam rationalem quæ hominem substantialiter informat, admittenda est alia forma substantialis, qua corpus in ratione corporis constituitur: unde in homine duplex datur forma substantialis.

6.° Materia prima propriam habet existentiam, nec proinde existit per existentiam formæ substantialis cui unitur.

7.° Animæ non solum imperfectorum animalium, sed perfectorum etiam, extensione et divisibilitate donantur.

7.° Principium individuationis rerum consistit in entitate aliqua, quæ aliquid reale includit distinctum formaliter ab ipsa natura individuata.

A D. Thoma recedit quoque, tum quoad naturam et originem moralitatis, quam repetere videtur ex libera Dei voluntate, dum scribit: «Sicut Deus potest aliter agere, ita potest etiam legem statuere rectam, quia si statueretur a Deo recta esset;» tum quoad immutabilitatem et dispensationem legis naturalis; tum denique quoad possibilitatem demonstrationis immortalitatis animæ rationalis, de qua hæc habet Scotus: «Non potest demonstrari quod sit immortalis.»

§ V.

Philosophia Rogerii Baconis et Lullii.

Rogerius Baco natus dicitur in Anglia circa annum Christi 1214. Postquam philosophiæ ac theologiæ operam navavit Oxonii et Parisiis, in patriam reversus amplectitur ordinem S. Francisci, quem plurimum illustravit, tum ob eximiam eruditionem ac peritiam in linguis orientalibus, tum propter summam peritiam in astronomia ac aliis scientiis physicis et naturalibus. Characteres doctrinæ et laborum ipsius, quibus philosophiæ et scientiarum naturalium progressum promovit, hisce continentur:

1.° Grammaticam, ac linguas veteres et scientificas, plurimum oportet colere ad scientias omnes discendas atque perficiendas.

2.° Priorum sapientum scientiam et labores revereri oportet, at simul curandum eos augere et perficere; homines enim «quanto juniores, tanto perspicaciores; quia juniores, utpote posteriores successione temporum, ingrediuntur labores priorum.» (1)

3.° Proinde, «examinare debemus distinctissime

(1) *Opus majus*, pag. 9.

sententias majorum, ut addamus quæ eis defuerunt, et corrigamus quæ errata sunt, cum omni tamen modestia et excusatione.»

4.° Scientiæ veluti præcipua radix est experientia, sine qua vix cognitio certa et scientifica obtineri potest, adeo ut ratiocinia, ipsæque demonstrationes mathematicæ, plenam ac scientificam certitudinem non adsequantur, nisi experientia eadem comitetur.

Ex his colligitur, quod quamvis Baco philosophiam proprie dictam non coluerit, ejus tamen progressum non parum juvit et promovit, prudentissimis præceptis, quæ ipsemet quoque ad praxim reduxit, ut videre licet in cit. *Opus Majus*, in quo observationes et experimenta multiplicis generis, aut continentur, aut indicantur: atque inter alia adfirmat effici posse, «ut naves maxime fluviales et maritimæ ferantur, unico homine regente, majori velocitate quam si essent plenæ hominibus navigantibus. Currus etiam possent fieri, ut sine animali moveantur cum impetu inæstimabili.» *Instrumenta* etiam seu machinas ad volandum fieri posse, scribit; aliaque quamplurima memorat, quæ ostendunt monachum franciscanum extitisse peritissimum in physicis, mathematicis et mechanicis.

Raymundus Lullius in Balearica Majori natus est circa annum 1235, atque post multiplices simulque extraordinarias vitæ vicissitudines et pericula, apud Tunetum in Africa lapidibus obrutus est a Mauris, quibus Christi fidem non semel prædicarat, Alcorani religionem ac doctrinam simul confutando validissimis argumentis et maxima scientia. Controversia extat adhuc inter criticos, circa authentiam quorumdam ex ipsius operibus. Quidquid tamen de hoc sit, cum ejus philosophiæ præcipua pars contineatur in *Arte Magna*, quæ Lullii genuinus fœtus proculdubio existit, generalia lineamenta ejus philosophiæ ex eadem excipere atque

dijudicare oportet, tam quoad methodum, quam quoad doctrinam. Et quidem,

1.° Ejus methodus sita est in dispositione, artificiosa quidem, sed satis arbitraria quæstionum et rerum quæ investigationi rationis humanæ subesse possunt.

Cujus rei probationem non minus ac specimen exhibent, tum prologus quem *Arti Magnæ* Lullius præfixit, tum ejusdem Artis divisio atque argumentorum distributio per litteras alphabeti, quæ hic subjicimus:

«Quoniam multas artes fecimus generales, ipsas volumus clarius explanare per istam quam vocamus ultimam, quia de cætero non proponimus aliam facere; ipsam quidem ex aliis compilamus, et aliqua nova explicite addimus. Quoniam intellectus humanus est longe magis in opinione quam in scientia constitutus; quia quælibet scientia habet sua principia propria, et diversa a principiis aliarum scientiarum, idcirco requirit et appetit intellectus, quod sit una scientia generalis ad omnes scientias, et hoc cum suis principiis generalibus, in quibus principia aliarum scientiarum particularium sint implicita et contenta, sicut particulare in universali. Et ratio hujus est, ut cum ipsis principiis alia principia subalternata sint, et ordinata et etiam regulata; ut intellectus in ipsis scientiis quiescat per verum intelligere, et ab opinionibus erroneis sit remotus ac prolongatus. Per hanc quidem scientiam possunt aliæ scientiæ perfacile acquiri. Principia enim particularia in generalibus hujus artis relucent et apparent; dum tamen principia particularia applicantur principiis hujus artis, sicut pars applicatur suo toti. Principia vero hujus artis sunt hæc: Bonitas, Magnitudo, Æternitas sive duratio, Potestas, Sapientia, Voluntas, Virtus, Veritas, Gloria, Differentia, Concordantia, Contrarietas, Principium, Medium, Finis, Majoritas, Æqualitas et Minoritas. Et dicuntur generalia;

quia omnes bonitates aliarum scientiarum ad unam bonitatem generalem sunt applicabiles. Et idem dico de omnibus magnitudinibus ad unam magnitudinem generalem: et sic de consimilibus aliis, suo modo dicendum. Amplius quidem hæc scientia, generalis potest nuncupari, quia quæstiones generales habet ad omnes alias quæstiones, quæcumque sint, applicabiles. Omnes enim in istis implicantur, et sunt hæ, scilicet, Utrum sit; Qui est; De quo est; Quare est; Quantum; Quale est; Quando est; Ubi est; Quomodo est; et Cum quo est. Et sunt decem, ut apparet numeranti. Item, ars ista est generalis ratione mixtionis principiorum et regularum, quam habet, ut inferius patebit. Nam sicut propositio in communi sumpta, est generalis ad omnes propositiones, sic suo modo ista principia composita, in communi sumpta, sunt generalia ad omnia principia particularia composita. Sed ut dubium removeatur, dico quod omnia alia principia sunt particularia respectu istorum principiorum hujus artis; sicut bonitas magna, quæ est composita, est communis quidem ad bonitatem Petri, et equi, et sic de aliis.

DE DIVISIONE HUJUS ARTIS.

Dividitur ars ista in 13 partes: scilicet, Alphabetum, Figuras, Diffinitiones, Regulas, Tabulam, Evacuationem tertiæ figuræ, Multiplicationem quartæ figuræ, Mixtionem, Novem subjecta, Applicationem, Quæstiones, Habituationem, Et modum docendi.

PRIMA PARS PRINCIPALIS.

DE ALPHABETO.

Alphabetum vero hujus artis, est illud:

B significat Bonitatem, Differentiam, Utrum, Deum, Justitiam, et Avaritiam.

C significat Magnitudinem, Concordantiam, Quid, Angelum, Prudentiam, et Gulam.

D significat Æternitatem sive Durationem, Contrarietatem, De quo, Cœlum, Fortitudinem, et Luxuriam.

E significat Potestatem, Principium, Quare, Hominem, Temperantiam, et Superbiam.

F significat Sapientiam, Medium, Quantum, Imaginationem, Fidem, et Acidiam.

G significat Voluntatem, Finem, Quale, Sensitivam, Spem, et Invidiam.

H significat Virtutem, Majoritatem, Quando, Vegetativam, Charitatem, et Iram.

I significat Veritatem, Æqualitatem, Ubi, Elementativam, Patientiam, et Mendacium.

K significat Gloriam, Minoritatem, Quomodo et Cum quo, Instructivam, Pietatem, et Inconstantiam.

Hoc verum alphabetum, corde tenus oportet scire; quod sine eo artista minime poterit uti ista arte sive ipsam practicare. Et est positum hoc alphabetum in hac arte, ut per ipsum significentur principia, et quæstiones hujus artis, et ea quæ in ipsis continentur, et ad propositum adducatur, de quo quæritur; ut intellectus sit verus, certus, et non dubitativus.»

TABULA AD ARTIS MAGNÆ

PRIMUM CAPUT PERTINENS.

Alphabetum seu principia hujus artis sunt aut		A. (1.° Essentia. 2.° Unitas. 3.° Perfectio.)	B.	C.	D.	E.	F.	G.	H.	I.	K.
	Prædicata.	Absoluta.	Bonitas.	Magnitudo.	Æternitas seu duratio.	Potestas.	Sapientia.	Voluntas.	Virtus.	Veritas.	Gloria.
		T. Relata seu respectus.	Differentia.	Concordantia.	Contrarietas.	Principium.	Medium.	Finis.	Majoritas.	Æqualitas.	Minoritas.
	Q. Quæstiones.		Utrum?	Quid?	De quo?	Quare?	Quantum?	Quale?	Quando?	Ubi?	Quomodo? Cum quo?
	S. Subjecta.		Deus.	Angelus.	Cœlum.	Homo.	Imaginatio.	Sensitiva.	Vegetativa.	Elementativa.	Instrumentativa.
	V. Virtutes.		Justitia.	Prudentia.	Fortitudo.	Temperantia.	Fides.	Spes.	Charitas.	Patientia.	Pietas.
	V. Vitia.		Avaritia.	Gula.	Luxuria.	Superbia	Acidia.	Invidia.	Ira.	Mendacium.	Inconstantia.

2.° Ejus doctrina philosophica hisce summatim continetur:

a) Deus, utpote Summa Bonitas, necessario existere dignoscitur ex existentia ipsa bonitatum inferiorum, quæ minime existere possent nisi aliqua prius existeret Bonitas Summa.

b) Sicut porro Deus mundum præcedit et superat quoad attributa, bonitatem, potestatem etc., ita mundum præcedit et superat ex parte æternitatis, ac proinde repugnat mundum esse æternum.

c) Hominis anima per creationem, et non per generationem producitur; quandoquidem quod generationi est obnoxium, necessario senescit et corrumpitur, quæ minime in rationali anima observantur. Corpus hominis constituitur ex quatuor elementis; ejusdem vero anima ex vegetativa, ex sensitiva, ex imaginativa. Ex quo conjicere licet, Lullium admittere in homine alias vel saltem aliam animam præter rationalem.

d) Primum et præcipuum objectum ab intellectu cognitum est ens seu esse communissimum, cujus cætera omnia objecta sunt veluti partes et applicationes. Nam «esse est commune cæteris omnibus, et per se notum, et non eget declaratione; tamen partes ejus hic declarantur. Unde bonum, est esse gratia cujus omnia bona sunt... Magnum, est esse gratia cujus omnia sunt magna... Durans, est esse gratia cujus omnia habent durationem... Potens, est esse gratia cujus omnia sunt potentia... Sapiens, est esse gratia cujus omnia sunt scibilia.... Volens, est esse gratia cujus omnia sunt volentia;» sicque cætera entis attributa prosequitur Lullius.

Sciendum etiam, Lullium conatum fuisse artem cabalisticam in philosophiam christianam introducere; unde non solum eam usurpat in suis libris, sed etiam eam magni facit et commendat, hæc inter alia scribens:

«Dicimus quod hoc vocabulum Kabbala quod scribitur per litteram K, nihil aliud est arabice importans latine quam superabundans sapientia. Est igitur Kabbala, habitus animæ rationalis ex recta ratione divinarum rerum cognitivus.» (1)

Observatio.

Ex hucusque expositis, sequentia licet colligere, circa nostrum Lullium: 1.° Vir profecto extitit magni ingenii, atque de scientiis proculdubio bene meruit, tum laboribus scientificis, tum operibus conscriptis; ast imaginationis æstuantis vi abreptus, erudite atque subtilius, potius quam profunde et solide de philosophicis disseruit. 2.° Exinde, ipsa Lullii *Ars Magna*, quæ veluti compendium quoddam ipsius scientiæ habetur, ingenium quidem et originalitatem redolet, sed quæ formas externas potius, quam rei substantiam et scientifica argumenta attingit; quapropter non prorsus immerito scripsit Cornelius Agrippa: *hanc artem ad pompam ingenii et doctrinæ ostentationem potius, quam ad comparandam eruditionem valere, ac longe plus habere audaciæ quam efficaciæ.* 3.° Ast vero, nec quoad ingenium, nec quoad voluntatem, nec quoad doctrinam, quidquam

---

(1) Non immerito igitur habet Rousselot: «Raymond Lulle est le premier parmi les scholastiques du catholicisme, qui ait introduit cette philosophie dans le moyen age; il est devenu, par suite, le chef d'une école de cabalistes qui a jué un grand role après lui, et à ces titres encore, Raymond Lulle a droit à une place honorable parmi les hommes de son temps, qui ont le plus marqué dans la science; toutefois ces titres ne sont pas les seuls: il a un merite personnel qu' on ne peut lui refuser sans injustice. C'est assurément une des plus puissantes intelligences de son siècle; son grand art en est une preuve. On peut à peine se figurer ce qu'il dut falloir de combinaisons, de recherches et de patience pour coordonner et rendre visible à l' œil un système aussi compliqué, et qui avait pour objet le savoir universel.» *Philosophie du Moyen Age*, t. 3.° pag. 124.

commune habet cum sophistis, quibus aliqui eundem accensere non verentur. (1)

§ VI.

Philosophia Durandi et Occami.

Cum duobus hisce philosophis incipit periodus quarta seu degenerationis philosophiæ scholasticæ; tum quia aliqua ex præcipuis dogmatibus philosophicis præcedentium Scholasticorum refellere aggressi sunt; tum maxime quia post eos philosophia ad subtilitates et contentiones vanas declinavit; tum denique quia Occamus præsertim, viam sensualismo et scepticismo aperuit. Itaque

Durandus de Sto. Portiano, labente sæculo 13 in Gallia natus, ordinem Prædicatorum juvenis adhuc ingreditur, ac post litterarum studia, summa cum laude et

---

(1) Minime idcirco adsentimur præfato Agrippæ, dum in Comment. in Lullii Art. Mag. hæc scribit: «Invenit Raymundus Lullius recentioribus temporibus artis dialecticæ haud absimilem prodigiosam artem, per quam, tamquam alius Gorgias Leontinus (qui primus in conventu litteratorum hominum poscere ausus est, qua de re quisque audire vellet) de quovis subjecto sermone abunde quis valeat disserere, atque invenire quædam artificiosa nominum ac verborum perturbatione, atque in utramque partem de omni (subjecto) sermone curioso hoc, plus quam eleganti artificio garrula loquacitatis ostentatione disputare; nec ullum vincendi locum aliis relinquere, et res minutissimas et pusillas in immensum dilatare.»

profectu peracta, magister Sacri Palatii, atque tandem Episcopus Meldensis creatur, e vivis decedens circa annum 1334. Ejus *Commentaria in Mag. Sent.*, dogmata quædam, tum philosophica, tum theologica continent, a D. Thoma et reliquis insignioribus Scholasticis abhorrentia. Horum præcipua, quoad philosophica, hisce continentur:

a) Deus non immediate influit in operationibus creaturarum, sed tantum mediate, eisdem tribuendo et conservando virtutem seu potentias ad agendum: similiter « Deus non est causa actionum liberi arbitrii, nisi quia liberum arbitrium ab ipso et est, et conservatur.» (1)

b) Falsum est objectum proprium intellectus humani esse universalia; nam « primum cognitum ab intellectu non est universale, sed singulare.» (2)

c) Existentia intellectus agentis gratuita est; sicut enim nulla est necessitas admittendi *sensum agentem*, ita nec ponendi intellectum agentem.

d) Similiter, cum absurdum sit dicere « quod potentia cognoscitiva ducatur in cognitionem alicujus per tale repræsentativum quod est sibi totaliter incognitum;» (3) rejiciendæ sunt species vel ideæ tam sensibiles quam intelligibiles, quæ pro cognitione objectorum ponuntur. (4)

Guillielmus Occam in Anglia natus circa finem sæculi 13, ordinem S. Francisci amplectitur. Primum, Scoti

---

(1) *Sentent.*, lib. 2.°, Dist. 37, q. 1.ª

(2) *Ibid.*, Dist. 3.ª, q. 7.ª

(3) *Ibid.*, quæst. 6.ª

(4) Cousin, postquam narravit Occamum rejecisse species sensibiles et intelligibiles, subdit: « il est dans l'Europe moderne l'antécedent de Reid et de l'école écossaise.» *Histoir. de la Phil.*, lec. 9.ª Ex dicti porro colligitur gallum philosophum vehementer falli in re hac; quoniam Durandus antiquior existit, atque sua Commentaria prius quam Occamus scripsit. Vid. Jourdaim, *Philos. de Saint Thomas*, t. 2.°, pag. 155.

auditor, postea Parisiis publice docens, causam Philippi Galliæ regis, ac deinde Ludovici Imperatoris adversus Summum Pontificem tuetur variis libris adversus Sedem Apostolicam conscriptis, ac tandem apud Monachum moritur anno 1347. Præter non pauca erronea ad theologiam et jus canonicum spectantia, Occamus in philosophia viam sensualismo et scepticismo aperuit.

a) Sensualismo quidem, quatenus: 1.° nominalismum Roscellini restituit, universalia ad flatus vocis revocans, simulque docens quod « scientia realis non est specialiter de rebus tamquam de illis quæ immediate sciuntur. » Ex quibus aliisque ejusdem placitis facile erui posset, hominem nihil præter singularia cognoscere, ad quod sensus sufficiunt: 2.° quatenus statuit demonstrari non posse immaterialitatem et incorruptibilitatem rationalis animæ, de qua hæc, inter alia, habet: « Quod illa forma sit immaterialis, incorruptibilis ac indivisibilis, non potest demonstrari, nec per experientiam sciri.» (1) Quod sane non sensualismo tantum, sed

b) Scepticismo quoque aperte favet, sicut nimis eidem favent alia hujus philosophi placita, ex. gr. dum docet non posse « demonstrative probari quod tantum est unus Deus:» nec posse per rationem probari quod Deus « intelligat omnia a se;» similiter nec posse « probari naturali ratione quod Deus sit causa efficiens alicujus effectus. » (2)

Observatio in philosophiam Durandi et Occami.

Sicut Durandus spectari potest veluti antecessor scholæ scoticæ quoad theoriam cognitionis intellectualis, ita Occamus spectari potest tamquam auctor proludium faciens, primo quidem sensualismo moderato Locke, ad

---

(1) *Quodlib.* 1.°, quæst. 10.ª
(2) *Quodlib.* 2.°, q. 1.ª

quem etiam accedit, dum contendit, attributa et actus rationalis animæ non sufficere ad demonstrandum eam esse substantiam spiritualem et immaterialem: 3.° theoriæ Puffendorf circa originem et naturam moralitatis, sicut constat, tum ex his quæ in Ethica adnotavimus, tum ex eo quod non semel aperte docet de re hac, de qua, præter alia, hæc scribit: (1) « illa est boni et mali moralis natura, ut cum a liberrima Dei voluntate sancita sit et definita, ab eadem facile possit amoveri et refigi; adeo ut mutata ea voluntate, quod sanctum et justum est, possit evadere injustum. »

§ VII.

De philosophia Arabum et Judæorum.

Philosophia scholastica præparationem et præsidium accepit ex laboribus litterariis Arabum et Judæorum, qui a sæculo decimo usque ad decimum tertium, tum apud Orientem, tum maxime in scholis Hispaniæ floruerunt. Siquidem, hispani arabes in proprium idioma Aristotelis opera transtulerunt, et judæi ad hebraicum verterunt, ex quibus deinde facilius et pedetentim ad latinam linguam transierunt non solum Aristotelis libri, sed Arabum et Rabbinorum opera ac commentaria philosophica. Inter Arabes porro philosophos eminent, præter Alkendi,

---

(1) *Sentent.*, lib. 2.°, quæst. 19.

in civitate Bosra natus, qui primus Aristotelis philosophiam apud Arabes coluit atque commentariis illustravit ineunte sæculo nono, quique præterea scripsit *Exhortationem ad studium philosophiæ*,

a) *Alpharabius*, qui sæculo decimo in Syria floruit, Aristotelisque philosophiam publice docuit ac commentariis illustravit, præsertim quoad partem rationalem et dialecticam.

b) *Avicenna* (Ibn-Sina) medicus celeber in Perside natus anno 980 et mortuus 1036. Non solum Aristotelis, sed Hippocratis quoque et Galeni opera perlegit et commentariis ornavit.

c) *Algazel*, in provincia *Khorasan* natus circa finem sæculi undecimi, et mortuus anno 1127. In schola Bagdad publice cum magno plausu docuit. Postremis saltem vitæ annis scepticismo philosophico adhæsit; unde et opus scripsit cui titulus: *Destructio Philosophorum*.

d) *Jaafar* seu *Tophail* (Ibn-Tophail) medicus simul ac insignis philosophus Hispali vel fortasse Granatæ natus, qui sæculo duodecimo floruit. Celebratissimum opus scripsit cui titulus: *Philosophus autodidactus*, in quo hypothesi facta hominis in deserta insula sibi ipsi et naturæ relicti, ædificium sapientiæ ab imis incipiens, sola individuali ratione duce, ad scientiam humanam et divinam perducit. Pantheismum quendam mysticum sectatur, docens ultimum gradum humanæ scientiæ esse agnoscere et affirmare, nihil reale revera existere præter aut extra *Ens absolutum*.

e) *Averroes* tandem, (Ibn-Roschd) qui Cordubæ natus anno Christi 1120 moritur apud Marochium 1198. Celeberrimus extitit hic philosophus, tam apud Arabes, quam apud christianos ipsos, qui ob ingentem numerum commentariorum quæ in libros fere universos Aristotelis conscripsit, *Commentatorem*, eum appellarunt. Pantheismum psychologicum ac errores alios gravissimos suis Com-

mentariis admixcet. Scripsit etiam opus cui titulus: *Destructio Destructionum*, in quo scepticismum Algazelis refellit. Adversus Averrois doctrinam acriter dimicavit Lullius, verbo, scriptis ac etiam libellis ad Summum Pontificem datis pro comburendis Averrois libris.

2.° Quod attinet ad Rabbinos, florentissimas scholas habuere Cordubæ, Toleti, Barcinone aliisque Hispaniæ civitatibus, in quibus philosophiam, medicinam, mathesim, astronomiam aliasque scientias mirifice excoluerunt, quamtumvis ipsorum labores satis adhuc non dignoscantur, atque, ut merito ait P. Cuevas, « hæc philosophicæ hispanorum litteraturæ pars, solertem et industrium postulat scriptorem, qui tot et tantos scientiarum thesauros in publicum effundat. » Inter Rabbinos celebrantur maxime:

a) *Avicebrom*, (Salomon ben-Gebirol) qui natus Malacæ in Bætica, Cæsaraugustæ educatur, et moritur Valentiæ Edetanorum. Scripsit librum cui titulus: *Fons vitæ*, in quo metaphysica continetur, quæ Aristotelem simul et neoplatonismum sapit.

b) *R. Moyses*, vulgo *Maimonides* nuncupatus, Cordubæ natus circa dimidium sæculi duodecimi, et apud Cairum in Ægypto mortuus sæculo sequenti ineunte. Plurima philosophica scripsit, in quibus Dei notionem satis accurate evolvit, antropomorphismum vehementer refellens. (1)

Observatio in philosophiam Arabum.

Arabum philosophia, quippe quæ ex Aristotelis operibus initium, argumenta et occasionem sumpsit, tam-

---

(1) « Il a composé beaucoup d'ouvrages dont le plus celèbre, celui qui contient sa doctrine philosophique, a eté traduit en latin et imprimé à Paris en 1520 in-folio : *Rabi Mossei Ægiptii dux seu director dubitantium et perplexorum*, in tres libros divisus. » Cousin, *Histoire de la Phil.*, lec. 9.ª, pag. 272.

quam proprium atque universaliorem characterem sibi vendicat, hærere et delectari in speculationibus metaphysicis et logicalibus, sive dialecticis. Ast simul in eadem duo motus philosophici observantur, præsertim post duo priora ejusdem sæcula, nempe: 1.° *Rationalismus scepticus*, cujus præcipuus parens et propugnator extitit Al-Gazel: 2.° *Rationalismus pantheisticus*, cujus insigniores adseclæ et propugnatores extiterunt Tophaïl et Averroes, quorum primus pantheismum idealistam et mysticum; alter pantheismum psychologicum propugnavit et evolvit.

§ VIII.

Observationes in philosophiam scholasticam.

Ex his quæ hucusque summatim delibavimus facile colligitur, historiam et naturam philosophiæ scholasticæ ignorare, eos qui nihil in ea vident nisi farraginem subtilitatum et inanium quæstionum, aut doctrinam penitus uniformem et immobilem, Aristoteli cæco impetu adhærentem. Nam si ea universim accipiatur, prout complectitur philosophos cunctos ab Erigena usque ad dimidium sæculi 15, in ea observantur omnia fere systemata quorum meminit historia philosophiæ. Si vero eadem accipiatur pro scholastica-christiana, prout edocetur et evolvitur a principibus Scholæ S. Anselmo, Alberto Magno, D. Thoma, S. Bonaventura, Bacone, etc. ea quidem non continet systemata erronea quæ fidei simul et

rationi adversantur; ast complectitur infinitam ferme varietatem opinionum et systematum, adeo ut in ipsa philosophia moderna, vix systema aut opinionem reperias, ex his quæ salva fide sustineri possunt, quæ apud Scholasticos non inveniantur vel ex integro, vel in semine. Igitur

Nota seu *character generalis* philosophiæ scholastico-christianæ, est *unitas cum varietate*. Unitas, quatenus systemata philosophica veritati divinæ tamquam criterio indirecto subjicit, nihil tamquam verum admittendo quod principiis fidei revelatæ adversatur: sciebant etenim Scholastici, veritatem veritati nunquam opponi. Varietas vero, quatenus salva fide catholica, systemata diversa, multiplices doctrinas, ac opiniones oppositas adinveniebant, tuebantur et evolvebant. Sed vero, hæc ipsamet philosophia, ut res omnis humana postulat atque præ se fert,

Defectibus et vitiis subjecta fuit. Nam: 1.° apud plures ex Scholasticis, præsertim vero apud eos qui sæculis 14 et 15 aut post eadem scripserunt, subtilitatibus ac quæstionibus vanis nimium indulsit: 2.° formas litterarias nimis neglexit, rudi, incomposito ac barbaro stilo utens, mentem et memoriam vacuis formulis non raro obruens potius quam illustrans: 3.° scientias mathematicas, physicas et naturales parvifecit, earumdem cultum ac progressum nimis negligendo: hic tamen postremus defectus conditionibus ac circumstantiis temporis magna ex parte est tribuendus. Postulabat æquitas, ut philosophi posteriores, his defectibus depellendis vires et animum intenderent; ast fato nescio quo effectum est, ut ad extrema declinantes, prout sæpe contingit in humanis, scholasticam philosophiam non instaurare, perficere et complere, sed convellere ac penitus eradicare conati sint. Præter recen itos defectus extitere simul

Causæ aliæ quæ pugnam adversus scholasticam phi-

losophiam simulque ejus ruinam paraverunt. Ac 1.° scripta Occami, qui nominalismum Roscellini ac rationalismum Abælardi ex parte excitans, independentiam rationis ac despectum potestatis Summorum Pontificum præparavit atque promovit: 2.° magnum schisma Occidentis, ex quo imminuta est religionis christianæ ac Sedis Apostolicæ veneratio: 3.° regum ac potestatis sæcularis nimia exaltatio, cujus exaggerationem et abusum promoverunt jurisperiti, qui legibus christianis, Romani ac Cæsarei juris placita substituere aggressi sunt: 4.° Wicleffistarum et Hussitarum errores et bella contra auctoritatem Ecclesiæ per Lutherum postea renovata: 5.° artis typici ac Novi Orbis inventio sive detectio, quæ mentium, idearum et scientiarum ingentem excitarunt agitationem, ac veluti convulsionem quandam non semper ad meliora declinantem: 6.° adventus Græcorum sapientum, qui e Constantinopoli ejecti, in Europæ regnis constiterunt, ubique diffundentes nomina, libros ac doctrinam veterum Græcorum et orientalium scriptorum.

CAPUT SEXTUM.

SECUNDI PERIODI TERTIA EPOCHA,

Seu Universæ Philosophiæ sexta ætas.

PHILOSOPHIA MODERNA.

Nemo est qui nesciat, juveni catholico atque tyroni christianæ philosophiæ non parum interesse, exactam et pleniorem notitiam accipere philosophiæ modernæ. Siquidem, absque ejusmodi notitia, nec poterit tuto et recta ratione eamdem dijudicare, nec (quod fortasse præcipuum existit in re hac) errores et pericula systematum acatholicorum, quibus eadem scatet, vitare, nec demum traditionem, motum et vicissitudines philosophiæ christianæ postremis hisce sæculis, tenere et agnoscere.

Quæ quidem nos præ oculis habentes, in ejusmodi philosophia exponenda paulisper immorabimur, ita tamen ut elementarii operis naturam, objectum et conditionem oblivioni minime tradamus. Hæc porro major elucidatio, distinctionem seu divisionem argumenti per articulos et paragraphos expostulat.

ARTICULUS PRIMUS.

Transitus a philosophia scholastica ad modernam.

§ I.

Philosophi transitionis.

Conditiones et causæ superiori paragrapho enumeratæ, effecerunt ut philosophia specialem statum obtineret a dimidio sæculi 15 ad finem usque 16, qui status *periodus transitoria* non immerito posset nuncupari, quoniam eo tempore humana mens vires suas quaquaversum exeruit, varias multiplicesque vias in philosophicis arripiendo. Nos porro brevitati et claritati consulentes, philosophos hujus periodi ad quinque classes revocamus. Quarum prima eorum est, qui aut platonismo adhæserunt, aut Aristotelem oppugnavere: secunda, eorum qui aristotelismo puro adhæserunt: tertia, eorum qui ecclecticam viam secuti sunt, systemata aut scholas varias varie permixcentes, ita tamen ut magis aut minus vel ad pantheismum, vel ad sensualismum, vel ad scepticismum declinarint: quarta, eorum qui mysticismum

amplexati sunt: quinta, eorum qui philosophiam scholasticam vitiis purgare, eamque instaurare et perficere studuerunt. Itaque,

1.° Ad primam classem pertinent

a) *Georgius Gemistus* seu Plithon, natus Constantinopoli 1438, et ad Concilium Florentinum missus; atque *Bessarion* Gemisti discipulus, socius ejusdem in Concilio Florentino, ac tandem Romanæ Ecclesiæ Cardinalis renuntiatus.

b) *Marsilius Ficinus*, qui Florentiæ 1433 natus, ac princeps et præsidens Academiæ platonicæ a Cosma de Medicis datus, moritur 1496. Græcæ linguæ apprime peritus, non Platonis modo, sed neoplatonicorum etiam opera multa latine reddidit, platonicam philosophiam summis extollens laudibus.

c) Doctrinam et scholam Aristotelis refellere ac destruere aggressus est *Petrus Ramus* (La Ramée) in Gallia 1515 natus, qui post varias vitæ vicissitudines interfectus fuit Parisiis 1572. In operibus quæ inscribuntur: *Institutiones Dialecticæ*, et *Animadversiones Aristotelicæ*, totus est in Aristotele refellendo et Scholasticis contemnendis. Ramum in hac parte imitatus est *Franciscus Patrizzi* in Illyrico natus 1529.

2.° *Aristotelismo puro* adhæserunt

a) Inter Græcos, *Georgius Trapizuntinus*, natus 1396; et alius *Georgius Scholarius*, qui et *Gennadius* solet nuncupari. Hi adversus platonicos doctrinam Aristotelis acriter tueri et propugnare aggressi sunt.

b) *Petrus Pomponatius* Mantuæ natus 1462, et Bononiæ mortus 1524: præcipuus est inter Latinos qui Aristotelis doctrinam non solum vehementer tuitus est, sed exaggeravit etiam ac contorsit, errores graves contra rationem atque fidem edocens. Scripsit inter alia: *De Fato, Libero Arbitrio et Prædestinatione:* = *De Immortalitate Animæ:* = *De Incantationibus*, in quibus non pauca erro-

nea habet. (1) Aristotelismum tuiti sunt etiam *Cæsar Cremonini*, natus 1552 et mortuus 1630: et *Jacobus Zabarella*, Patavii natus ac 1589 mortuus.

3.° Ecclecticam viam magis aut minus amplexati sunt,

a) *Joannes Picus* princeps Mirandulæ, anno 1463 natus, et mortuus 1494, qui philosophiam Platonis cum doctrina Aristotelis conciliare est aggressus, quod opus perficere immatura morte impeditus est. (2) Nepotem habuit *Joannem Franciscum*, qui eum in philosophicis secutus est.

b) *Jordanus Bruno* et *Andreas Cesalpini*, qui propria et aliena placita permixcentes, ad pantheismum declinaverunt; primus quidem ad pantheismum eleatico-neoplatonicum: (3) alter vero ad pantheismum psychologicum, affinem ei quem docuerat Averroes. Bruno natus est Nolæ prope Neopolim circa dimidium sæculi decimi

---

(1) «Segun él, por la sola razon no puede probarse que el alma deba ser inmortal. Citando sobre esto á Santo Tomás, refiere las razones del Santo Doctor y las combate con sofismas.» Bouvier, *Histor. de la Filos.* t. 2.°, pag. 32.

(2) Mira sunt quæ de viro isto narrantur: «A la edad de veinte y cuatro años se fué á fijar en Roma, único teatro que le pareció digno de su nacimiento, de su capacidad y de su ciencia. Queriendo brillar en aquella capital de un modo desconocido, redactó una tésis titulada *De omni scibili*, conteniendo novecientas conclusiones tomadas de diferentes autores antiguos y modernos, escolásticos, latinos, griegos, hebreos, caldeos, egipcios, etc.; y otras quinientas formuladas por él mismo. Hizo fijar esta tésis, la mandó á las mas célebres academias de Europa, y se comprometió á sostener públicamente cuanto en ella se contenia. Invitó á los sabios de todos los paises á que acudiesen á argüir contra él, ofreciéndoles además pagar los gastos del viaje.» Bouvier, *Ibid.*, pag. 17.

(3) «Le système de Bruno, ait Tennemann, n'est autre chose que la doctrine des Eleates et de Plotin, epurée et developpée; c'est un pantheisme qu'on a souvent donné à tort pour atheisme, exposé avec une force entrainante de persuasion et une grande richesse d'imagination.» *Manuel cit.*, t. 2.°, pag. 46.

sexti: ordinem Prædicatorum est amplexus, quem deseruit, vel ante vel post emissam professionem, atque post varias vitæ vicissitudines, flammis traditus est Romæ tamquam hæreticus anno 1600.

c) *Bernardinus Telesio* in regno neapolitano 1508 natus, qui ecclecticam viam ita tenet, ut ad empyrismum et atomismum Democriti vehementius declinet. Hunc postea quodammodo secutus ac imitatus est *Petrus Gassendi*, in Gallia 1592 natus, qui philosophiam atomisticam Epicuri instaurare aggressus est. Ejus præcipua opera sunt: *Syntagma philosophiæ Epicuri, cum refutationibus dogmatum quæ contra fidem christianam ab eo asserta sunt.=Philosophia Epicuri.=Animadversiones in decimum librum Diogenis Laertii.* Helvetii doctrinam summopere suspexit et laudavit: unde jure merito haberi potest tamquam unus e parentibus et asseclis philosophiæ sensualisticæ.

d) *Montaigne* (Michael) gallus scriptor, qui anno 1533 natus mortem oppetivit 1592. Auctor hic in opere cui titulus: *Tentamina* (Essais) ad scepticorum palatum non raro loquitur, atque sceptica principia frequenter spargit. Atque eumdem in re hac secutus atque imitatus est Petrus Charron, Parisiis anno 1541 natus, et ibidem mortuus 1603.

e) *Sanchez* (Franciscus) Braccaræ in Lusitania anno 1562 ex parentibus judæis probabiliter natus, qui insignis medicus evadens, hanc scientiam Tolosæ et apud Montempesullanum professus fuit, atque in priori civitate vitam cum morte commutavit anno 1632. Præter opera quædam medica, scripsit librum cui titulus: *De multum nobili et prima universali scientia: Quod nihil scitur*; quo in opere universalem ferme scepticismum sectatur atque tuetur. In ipsa operis præfatione aperte significat et ostendit, se scepticismo adhærere, hominem veritatem certo adsequi non posse; immo vero, fatetur

se non alium scopum sibi proposuisse in opere conscribendo nisi id ipsum demonstrare: (1) quapropter jure merito haberi posset tamquam præcipuus doctor et parens recentioris scepticismi.

f) *Justus Lipsius*, natus in Belgio 1547, et mortuus 1606, qui ad stoicismum declinavit, eumque redintegrare aggressus est; quam etiam viam tenuit *Scioppius* (Gaspar Schopp) natus in Germania 1576.

4.ª Scholam mysticam coluerunt:

1.° *Nicolaus Cussanus* sanctæ romanæ Ecclesiæ Cardinalis, prope Treverim in Germania natus 1401, et mortuus 1464. Auctor est operis cui titulus: *De Docta Ignorantia:* 2.° *Joannes Reuchlin* germanus et ipse, natus 1455 et mortuus 1522, qui scripsit: *De Arte Cabalistica*, et tractatum *De Verbo Mirifico:* 3.° *Agrippa* (*Henricus Cornelius*) Coloniæ 1487 natus, et 1535 mortuus, qui inter alia scripsit opera quæ inscribuntur: *De Vanitate scientiarum*, et *De Philosophia occulta*, in quibus mysticismum et magiam prosequitur et extollit: 4.° *Paracelsus*

---

(1) Ecce quædam ipsius verba ex præfatione ea desumpta: «A prima vita, naturæ contemplationi addictus, minutim omnia inquirebam; et quamvis initio avidus animus sciendi, quocumque oblato cibo contentus esset, utcumque, post modicum tamen tempus, indigestione prehensus revomere cæpit omnia. Quærebam jam tunc quid illi darem quod et perfecte amplecteretur et frueretur absolute; nec erat qui desiderium impleret meum. Evolvebam præteritorum dicta, tentabam præsentium corda, idem respondebant; quod tamen mihi satisfaceret omnino nihil... Quo magis cogito, magis dubito. Despero: persisto tamen. Accedo ad doctores, avide ab iis veritatem expectaturus. Quisque sibi scientiam construit ex imaginationibus tum alterius tum propriis; ex his alia inferunt... quousque labyrinthum verborum absque aliquo fundamento veritatis produxere... Tu igitur quisquis es ejusdem mecum conditionis temperamentique, quique de rerum naturis sæpissime tecum dubitasti, dubita modo mecum... Nec proinde tamen veritatem tibi omnino polliceor, ut qui eam ut alia ignorem; nec eam arripere speres unquam aut sciens tenere: sufficiat tibi quod et mihi eamdem agitare. Hic mihi scopus, hic finis est.»

(Philippus Bombast de Hohenheim) apud Einsielden in Helvetia natus 1493, et mortuus 1541, qui medicinam, chimiam, ac philosophiam, sub formulis astrologicis, magicis et mysticis tradidit: 5.° *Hieronymus Cardan*, Ticini in Italia 1501 natus, et Romæ mortuus 1576: 6.° *Robertus Fludd* medicus anglus, natus 1574 et mortuus 1627; auctor operis cui titulus: *Historia Mosaica*, et alterius quod inscribitur: *Historia macro et microcosmi metaphysica, physica et technica:* 7.° *Jacobus Böhme* natus in Görlitz 1575, et mortuus 1624, qui primum sutoriæ arti, deinde meditationi et solitudini deditus, mysticismo et illuminismo adhæsit, quibusdam etiam conscriptis operibus quæ inscribuntur: *De Anima=De Incarnatione*, et aliud magis celebratum cui titulus: *Aurora*.

Quinto loco veniunt hi qui scholasticæ philosophiæ reformationem aut instaurationem promoverunt, de quibus ut sigillatim et fusius dicatur, sit

§ II.

Philosophi qui scholasticæ philosophiæ instaurationem pertentarunt.

Non defuere in hac periodo agitationis philosophicæ ac litterariæ, viri præstantissimi, qui dum agnoscebant veritatem, perfectionem doctrinæ, et utilitatem philosophiæ scholasticæ, ejusdem defectus et vitia simul agnoscebant et damnabant. Quapropter, ut erant viri non partium studio et imaginationis æstu abrepti, sed prudentes

et amore veritatis acti, præfatis defectibus medendis ac vitiis exulandis incubuerunt, scholasticam philosophiam non destruere et eradicare, ut alii, sed instaurare potius et perficere curantes et volentes. Quos inter viros eminent,

a) *Cajetanus* (Thomas de Vio) Ecclesiæ cardinalis ex ordine Prædicatorum, Cajetæ in Italia 1469 natus, et Romæ mortuus 1534. Etenim in conscriptis operibus philosophicis et theologicis, si non omnia, at certe plurima præcedentium Scholasticorum vitia devitat. Eum tamen in re hac superavit

b) *Franciscus Suarez* Granatensis e Societate Jesu, natus 1548 et mortuus 1617, qui in egregio opere quod inscribitur: *Disputationum Metaphysicarum*, etc., universam ferme philosophiam pertractat, exclusis magna ex parte defectibus, qui in methodum scholasticam irrepserant.

Præter duos hosce, fuere alii, qui non philosophica scribendo, sed defectus et vitia Scholasticorum vehementer designando et improbando, in scholastica philosophia instauranda adlaborarunt; quod quidem effecerunt, præter alios,

c) *Desiderius Erasmus*, natus Roterodami 1467 et mortuus 1536, qui scholasticæ philosophiæ vitia non solum ostendit et improbavit, sed exaggeravit etiam, ac nimis acriter et libere, (1) pro conditione proprii ingenii, perstrinxit. Verius, utilius ac moderatius eandem rem prosecutus est

d) *Melchior Canus*, insignis theologus ex ordine Prædicatorum, in oppido Tarancon natus 1520, qui Toleti

---

(1) Namque ipsemet de seipso ita loquitur: «Ut ingenue, quod verum est, fatear, sum natura propensior ad jocos quam fortasse deceat, et linguæ liberioris quam nonnumquam expediat.»

e vivis excessit. Siquidem, in egregio et notissimo opere *De Locis Theologicis*, non semel, pro data opportunitate, scholasticæ et Scholasticorum defectus et vitia detegit et carpit, simulque viam indicat qua philosophiam pergere oportet.

Notum quippe est, eximium scriptorem hispanum non semel irridere, atque vehementer improbare praxim Scholasticorum illorum, qui de universalibus, de nominum analogia, de maximo et minimo, aliis hujusmodi, longas disputationes texuerunt tegebantque. (1) Quin etiam, vehementer adlaboravit pro convellendo et eradicando præjudicio illo, quo non pauci Scholastici abripiebantur, dum Aristotelis sententias et opinationes oraculi loco habebant. «Non enim æquum est, scribit, (2) ut apud Christi discipulos tantum ethnici unius authoritas possit, ut etiam sine ratione vincat... sed cum plerique ab illo (Aristotele) non aliter atque ab oraculo pendere videantur... minuenda est hæc opinio, ne ab hujus philosophi placitis dissentire piaculi loco sit.» Nec quoad Aristotelem modo, sed universim quoad omnes scriptores, ipsosque theologiæ principes, moderamen et crisim adhibenda docet Melchior Canus. Quo circa, hæc, præter alia, scribit: (3) «Refert certe in quacumque arte plurimum, unum in illa excellentem authorem legere, cui potissimum te addicas. Nullus tamen, quamlibet eruditus, sentiendi tibi et dissentiendi author futurus est. Nemo enim fuit omnium, qui non ut homo interdum allucinaretur.» Et alibi: (4) «Qua in re etiam in theologia multa peccantur, ut illi qui Divi Thomæ, Scotique opi-

---

(1) *Vid. De Locis Theol.* lib. 9, cap. 7.°
(2) *Op. cit.* lib. 10, cap. 5.°
(3) *Loc. cit.*
(4) *Ibid.* lib. 9, cap. 7.°

niones, vel indiscussas amplectuntur, proque his non aliter pugnant ac pro aris et focis.» (1)

Hæc tamen omnia peragit Canus, congrua moderatione et sobrietate, scholasticæ philosophiæ nimirum, veritatem et utilitatem defendendo et propugnando, quin ejusdem vitia atque defectus nimis exaggeret, secus ac effecit laudatus Erasmus, cui in re hac accommodari potest effatum illud ipsi a quodam critico applicatum: *Damnatus in plerisque, suspectus in multis, caute legendus in omnibus.*

Præter hucusque recensitos, in philosophia Scholæ instauranda et perficienda, ratione magis scientifica ac universaliori, adlaborarunt Ludovicus Vives et Thomas Campanella: quandoquidem, hi philosophiam tradiderunt, in qua a defectibus et vitiis scholasticæ declinantes, ejusdem simul veritatem atque dogmata præcipua conservarunt et propugnarunt, prout eorum opera intuentibus facile patebit. Atque ut de hisce summis viris quidpiam proferamus:

A) *Ludovicus Vives* Valentiæ Edetanorum in Hispania natus est anno 1492, atque ut erat vir maximi ingenii, eximius evasit omni ferme disciplinarum genere, prout ejus opera satis aperte ostendunt. Mariæ Angliæ reginæ magister extitit, ac in Academia Lovaniensi publice ad plures annos docuit, ibidemque moritur anno 1540. Ejus doctrina philosophica hæc, inter alia, continet:

1.° Quoad philosophiam ejusque methodum.

---

(1) Melchiori Cano adstipulatur in re hac, Alfonsus de Castro, insignis ejusdem sæculi theologus Ord. Min. cujus ecce verba: «Ego enim miserrimam hanc dicerem servitutem, sic esse humanæ sententiæ addictum, ut non liceat ullo modo illi repugnare; qualem patiuntur hi, qui se tantum Beati Thomæ, aut Scoti, aut Occam dictis subjiciunt, ut ab eorum placitis in quibus jurasse videntur, nomina sortiantur.» *Contra Hæres.* lib. 1.°, cap. 7.°

a) Philosophiæ, quæ certe reliquis naturalibus disciplinis et artibus supereminet, ita operam dare oportet, ut vitemus disputationes, pugnas ac vitia ea, quæ vanitati fovendæ potius, quam veritati detegendæ prosunt: ejus porro tamquam præcipuam partem ac finem habebimus religionem, «quam a Deo ipso accepimus... hæc sola reducit nos ad originem a qua egressi sumus, (1) et ad quam tendimus, nec est alia hominum perfectio; quandoquidem, hoc demum est perfici unumquodque, finem cui conditum est, nancisci.»

b) Quod attinet ad dialecticam, «non est in ea plus operæ insumendum, (2) quam satis est ad cæterarum artium ministerium;... itaque tanta est dialecticæ artis accipienda cognitio, quantum sat est ad efficiendum ne illius ignoratio in reliquis artibus nobis officere queat.»

c) Non solum in physicis, sed «in omni philosophia quæ est de natura... initio exhibenda sunt facillima, id est, sensibus ipsis pervia; hi sunt enim ad cognitionem omnem aditus.» (3)

2.° Quoad Deum et mundum.

a) Deus omnimoda infinitate gaudet; «nam si finitus est ac limitatus, (4) velim scire quis ei limites præfixit?» Quinimmo, Dei infinita potentia constat, sive mundus ponatur æternus, sive non; nam «si æternus est, (5) declaratur conservatione per tempus infinitum sine lassitudine; sin aliquo temporis principio est exortus, infinita virtus ostenditur productione ex nihilo.»

b) Est autem Deus «per se felicissimus, (6) nec feli-

---

(1) *De Tradendis Discip.* lib. 1.°, cap. 2.°
(2) *In Pseudo-Dialect.* pag. 58, t. 3.° edit. Mayans.
(3) *De Trad. Disc.* lib. 4.°, cap. 1.°
(4) *De Prima Philosoph.*, lib. 2.°, pag. 264.
(5) *Ibid.* pag. 265.
(6) *Ibid.* lib. 3.°, pag. 287.

citatem suam aliunde accipit, nec vices ullas sentit felicitatis, ut vel loco aliquo vel tempore, quidquam felicitati accedat, aut decedat: una essentia, una beatitudo, simplex, et sui semper similis.»

c) Mundum ex nihilo condidit Deus, idque libere non necessario aut naturaliter. Quinimmo etiam, Deus non solum est «actionum suarum compos et dominus,» sed dicendum (1) «in eo esse fontem libertatis purum,» a quo profluit «libertas profecto nostrarum functionum, et libertas spirituum omnium.»

d) Porro, «causa condendi mundi efficiens fuit ejus bonitas, finis beatitas... quo circa perfectiones quæ sunt in Deo, communicantur rebus conditis et ex illis sunt perfectiones, sed imperfectæ si cum eisdem conferantur in Deo existentibus.» (2)

e) Æternitas abjudicanda est mundo, non solum quoad formam sed etiam quoad materiam; «quocirca, non est quidem æterna materia, semel tamen cuncta est producta... et nihil materiæ perit.» (3)

3.° Quoad hominem.

a) «Hominem Deus in hoc mundo collocavit instruxitque quibus opus esset ad nanciscendam felicitatem immortalem: ergo perfectus est homo Deo, qui ad hunc modum est adornatus; perfectus vero sibi, qui jam æternitate perfruitur... perfectus est nemo quandiu ævum hoc degit, sed vir bonus qui in stadio sese exercet pietatis.» (4)

b) Homo est substantia coalescens ex corpore organis instructo et anima rationali, quæ «supremum locum

---

(1) *De Prima Philosoph.* lib. 2.°, pag. 267.
(2) *Ibid.* lib. 3.°, pag. 287 et 291.
(3) *Ibid.* lib. 2.°, pag. 216.
(4) *Ibid.* lib. 3.°, pag. 286.

obtinet, et quæ inferiores omnes vi sua continet. » Siquidem, tria existunt « animarum genera, nempe, vegetatrix, sentiens, cognoscens sive cogitans. » (1)

c) In homine non secus ac in reliquis viventibus unica est anima. Hæc porro essentialiter ab animis brutorum distinguitur; nam « animas brutorum orbas esse rationis, ex figura ipsa formæ, totoque corpore facile est colligere. » Nihilominus tamen, « si discursus est transitus aliquis ab aliquo in aliud, dubitandum non est quin discurrant muta; si per collationem a minus notis progressus ad magis nota, vel ab uno ad aliud ex illo dependens aut sequens, manifestum est non discurrere. » (2)

d) Tam in homine quam in animali, præter quinque sensus externos « qui a Deo tributi sunt animali (3) ad salutem ipsius, » existunt alii interni, imaginatio et phantasia, sensus communis « quo judicantur sensilia absentia, et discernuntur ea quæ variorum sunt sensuum, » æstimativa et memoria.

Jam vero, « hæ sensuum, sive exteriorum, sive interiorum facultates, supremæ sunt in brutis, (4) in homine vero menti inserviunt. Ast etenim « hominis anima, qua est hominis ex tribus constat præcipuis sive functionibus, sive facultatibus... hæ autem sunt mens sive intelligentia, voluntas ac memoria, in quibus relucet imago divinæ Trinitatis. » (5)

ß) *Thomas Campanella*, Stili in Calabria natus 1568 ante decimum sextum ætatis annum ordinem Prædica-

---

(1) *De Anima*, lib. 1.°, pag. 338.
(2) *Ibid.* lib. 2.°, pag. 358.
(3) *Ibid.* lib. 1.°, pag. 321.
(4) *Ibid.* pag. 329.
(5) *Ibid.* pag. 342.

torum amplectitur, ubi eximius evasit philosophus, atque post varias insolitasque vitæ vicissitudines, moritur Parisiis 1639. Porro hic philosophus,

1.° Disciplinis cunctis philosophicis, physicis ac mathematicis apprime quidem fuit peritus, at nimio imaginationis æstu abreptus, non omnes profunde penetravit, atque erronea quædam docuit, ex. gr. mundum ejusque partes sensu quodam esse prædita.

2.° Aristotelis philosophiam ad exaggerationem usque oppugnavit; scholasticam tamen, prout a D. Thoma tradita et evoluta fuerat, tuitus est, cujus etiam præcipua dogmata philosophica, non vero physica, conservavit. Hinc adstruit D. Thomam, christianæ potius quam aristotelicæ philosophiæ esse discipulum, atque eos qui aliter sentiunt ita refellit et carpit: «Præcipua dogmata Aristotelis et maxime propria ejus, sunt a S. Thoma derelicta vel oppugnata... Hæc et alia multa sunt quæ manifestant D. Thomam, non Aristotelis, sed sapientiæ christianæ discipulum, et confundunt sciolos aliter docentes.» (1)

3.° Necessitatem experientiæ et observationis pro scientiis physicis maxime et frequenter inculcavit; pro philosophicis vero novum ordinem et clasificationem instituit, easque omnes instaurare est aggressus, vitia methodi scholasticæ rejiciendo et oppugnando, hancque instaurationem ad praxim multis conscriptis operibus revocans. (2)

---

(1) *Prodromus Phil. Instaur.*

(2) Innumera pene sunt, quæ pro philosophia ac reliquis scientiis instaurandis scripsit, inter quæ eminent: *Philosophia sensibus demonstrata, et in octo disputationes distincta, adversus eos qui proprio arbitratu, non autem sensata duce natura philosophati sunt.=Prodromus philosophiæ instaurandæ.=Realis Philosophiæ epilogisticæ partes quatuor, hoc est, de rerum natura, hominum moribus, politica, cui Civitas Solis est*

4.° Igitur Campanella prius et melius quam Cartesius, scholasticam philosophiam instaurare curavit; namque instaurationem ejus non destructionem, ut Cartesius et Baco, perficere est aggressus. Prius etiam quam Cartesius, scepticismum, qui in philosophiam invehi cæperat, convellit ac profligavit. (1)

5.° Nihilominus, Campanella non modo paradoxa quædam in politicis et socialibus habet, sicut videre licet in ejus opere cui titulus: *Civitas solis*, (2) sed in ipsis

---

adjuncta, et œconomica cum adnotationibus physiologicis.= Philosophiæ Rationalis partes quinque, videlicet: Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Poetica, Historiographia, juxta propria principia.=Disputatio in prologum instauratarum scientiarum ad scholas christianas.= Universalis Philosophiæ seu metaphysicarum rerum juxta propria dogmata, lib. 18.= *Commentarius de sensu rerum, et alter de investigatione rerum.=Apologia pre Galilæo, mathematico Florentino.= Astrologicorum libri sex, in quibus astrologia omni superstitione Arabum et Judæorum eliminata, physiologice tractatur secundum sacras Scripturas, et doctrinam S. Thomæ, et Alberti, et summorum theologorum.*

(1) Ipsemet Tennemann, qui Cartesium et Baconem nimis extollit, hæc scribit: «Campanella était un esprit éclairé et philosophique ; il joignait à des connaissances trés étendues un véritable amour de la verité, dont il faisait la condition première de toute philosophie. Comme Bacon, il proposa une nouvelle manière de classer les sciences. Il avait, tant sur la philosophie que sur beaucoup d'autres études, d'excellentes vues; mais la vivacité de son esprit l'empechait d'approfondir avec patience, et de terminer ce qu'il commençait... Avant tout, ce qui occupe le plus Campanella', c'est de rechercher la possibilité d'un dogmatisme philosophique à opposer au doute des sceptiques, et il donne là-dessus un travail assez complet dans sa Metaphysique.» *Manuel de l'Histoire de la Philos.* t. 2.° pag. 64.

(2) Eo in opere, Campanella societatem comminiscitur atque sibi fingit, quæ nonnisi in cerebro hominis æstu imaginationis abrepti, consistere potest. Ejus porro socialis theoria affinitatem obtinet cum *Republica* Platonis, cum *Utopia* Mori, atque etiam ex parte cum recentiori Sansimonismo. «Les Solariens (*incolæ Civitatis Solis*) sont les plus hereux des hommes: ils ont pour chef un grand metaphysicien, qui gouverne au moyen de ses trois ministres, Puissance, Sagesse, Amour. Puissance a la guerre dans ses attributions, Sagesse les arts, les lettres et les sciences; Amour, la vie physique et les théories de la généra-

quoque philosophicis atque physicis, absurda non pauca et peregrina non raro pronuntiat atque tuetur. Speciminis loco audiantur ipsius sententia et doctrinæ circa rerum fere omnium sensum, circa mundi constitutionem et animationem, aliaque hujusmodi: «Sentit ergo cœlum, et terra, et mundus, animaliaque intra ipsum manent, sicut vermes intra ventrem corporis humani.

Ossa, pili, nervi, sanguis, spiritus omnes sentiunt.

Si homini præter spiritum incorporeum necessaria est mens immortalis, multo magis necesse est inesse mundo nobilissimo entium, animam excellentissimam quocumque angelo superiorem, quæ totius curam gerat.

Hinc colligitur, mundum habere spiritum, qui est cœlum, crassum corpus, quod est terra, sanguinem, qui est mare, mentem isthanc animam.

Cœlum stellæque ignis natura constant, ac sentiunt: calor enim sensitivus est; ex quo constat, cœlum stellasque sensu acutissimo præditas esse.

Non inepte existimandum videtur, stellas mutuo significare proprias alteram alteri conceptiones, dum lucem quæque suam in alteram transfundunt.

Sensum habent, lux, ignis, tenebræ, frigus et terra.

Omnes aquæ et liquores sentiunt, quia a calore generantur et informantur.

---

tion... L'éducation est la même pour tous les solariens, et l'ordre des mérites détermine la hiérarchie des pouvoirs. Le grand métaphysicien est la première capacité du pays... Du reste tout est commun dans la Cité du Soleil, logements, lits et dortoirs... Le travail est commun aussi; seulement les magistrats en font la distribution, soit entre les sexes, soit entre les individus, de manière à ménager les forces et à concilier les aptitudes... Comme Morus, le moine de Calabre ne veut pas que l'argent monnayé ait cours dans sa ville imaginaire; il admet seulement qu'il puisse servir aux échanges avec l'étranger.» Reybaud, *Etudes sur les Reformateurs socialist. moder.* tom. 2.e pag. 74-75.

De sensu plantarum nemini dubitandum est, cum vescantur, nutriantur, crescant, semina et natos producant. Sed et ligna sicca sentiunt; vi enim inflexa et relicta sibi, resiliunt, contrariam enim positionem odio habent et refugiunt.» (1)

Observatio.

Philosophis cunctis, tam in hocce quam in præcedenti paragrapho enumeratis, præiverat quodammodo atque exemplum dederat Raymundus Sabunde, eximius Hispaniæ philosophus, qui Barcinone natus circa dimidium sæculi decimi quarti, e vivis excessit anno 1432. Etenim, hispanus hic philosophus *Theologiam Naturalem* scripsit, in qua de Deo, de homine, de mundo egregie atque solide disserit, stilo non ineleganti, methodo potius oratoria quam scholastica, atque coævorum Scholasticorum, vitia et defectus devitando: unde ejus opera haberi possunt tamquam protestatio et reactio quædam adversus vitia, quæ in philosophia scholastica irrepere cæperunt post Durandum et Occamum.

---

(1) Apud Brucker, *Hist. Philos.*, t. 4.° pag. 136 et sqq.

ARTICULUS SECUNDUS.

Philosophia Baconis et Cartesii.

Duo hi philosophi, a mente, via et doctrina eorum qui philosophiam scholastico-christianam vitiis purgare atque instaurare pertentarunt declinantes, eamdem e medio tollere aggressi sunt. Quapropter, de ipsorum philosophia distinctis paragraphis agemus. Sit itaque

§ I.

Philosophia Baconis.

Franciscus Baco Londini in Anglia natus 1561, mortus vero 1626 hæc inter alia docet:

a) Philosophia quæ hucusque viguit, vix quidpiam veri aut solidi continet; quod quidem afficit non modo scholasticam philosophiam, quæ prorsus contemnenda, utpote syllogismis, abstractionibus, ac commercio cum theologia infecta; sed philosophiam veterum, etiam no-

biliorum, ut Platonis et Aristotelis, qui potius sophistæ quam veri philosophi (1) extitere.

b) Nec veram scientiam, nec veritatem ullam homo valet adipisci, nisi a veterum principiis ac methodo inquirendi veritatem, penitus recedat. (2)

c) Igitur, ad veram philosophiam, et ad cunctas scientias constituendas et perficiendas, opus est demonstrationes *a priori*, conceptus universales, idearum abstractionem, ac methodum deductionis prorsus rejicere, observationi sensibili, experimentis, ac inductionis methodo unice insistendo.

d) Etenim, nec logica hucusque tradita, nec syllogismus, quidpiam conferre valent pro scientifica veritate detegenda aut perficienda; imo vero, usus eorumdem scientiis ac veritati officit, solumque prodest tum ad errores firmandos, tum ad notiones falsas et inutiles vestigandas et tradendas. (3)

e) Ast vero, scientiarum adinventio et progressus fovetur præterea maxime: 1.° por separationem philo-

---

(1) «Je ne hésiterai donc pas à vous dire que je place Platon et Aristote parmi les sophistes, mais d'un rang relevé et reformé, car je ne vois pas de difference.» *Œuvres de Bacon, edit. Buchon*, pag. 742.

(2) «Nous prononçons qu'on ne saura jamais rien, tant qu'on persistera dans la voie où on a marché jusqu' à ce jour.» *Ibid.*, pag. 435.

(3) «Cette logique, dont l' usage n' est qu' un abus, sert beaucoup moins à faciliter la recherche de la verité qu' à fixer les erreurs qui ont pour base les notions vulgaires; elle est plus nuisible qu' utile. Le syllogisme n' est d' aucun usage pour inventer ou verifier les premiers principes des sciences. Ce serait en vain qu' on voudrait l' employer pour les principes moyens; c' est un instrument trop faible et trop grossier pour penétrer dans les profondeurs de la nature... Il ne reste donc d' esperance que dans la veritable induction, qui peut seule nous bien diriger dans une totale restauration devenue indispensable.

Rien de plus faux ou de plus hasardé que la plupart des notions reçues... telles que celles de substance, de quantité, de action, de passion, et la notion même de l' être; tout cela ne vaut rien, absolument rien.» *Ibid.*, pag. 272.

sophiæ a theologia; illa quippe per hujus influxum seu contactum corrumpitur, (depravation de la philosophie, qui resulte de son mélange avec la théologie et les opinions superstitieuses) et facile depravatur: 2.° per analysim et dissectionem materialem naturæ, vestigiis insistendo Democriti ejusque scholæ: (à l'exemple de Démocrite et de ses disciples; école qui a su beaucoup mieux que toutes les autres y pénetrer et l'approfondir): 3.° mentis aciem avertendo a rebus metaphysicis et spiritualibus naturis, atque eam convertendo præsertim ad materiam ejusdemque accidentia et transformationes;(1) notiones enim et conceptus rationis puræ, tamquam figmenta (de vraies fictions) habendæ sunt.

§ II.

Philosophia Cartesii.

Cartesius (Renatus) natus Hagæ 1596, et mortuus in Suecia, ubi a regina Christina appellatus fuerat, anno 1650, libertatem *examinis* a Luthero propalatam, ac independentiam humanæ rationis, quæ coævis hominibus ex influxu Protestantismi inceperat placere, in philoso-

(2) «Le sujet auquel il faut principalement s' attacher, c' est la matière même, aussique ses différentes textures et ses transformations.» *Ibid.*, pag. 278.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

phiam invehere totis viribus est aggressus; unde non immerito, ut parens recentioris philosophiæ, jugum et directionem christianæ religionis excutientis, habetur. Quamvis difficillimum valde sit hujus auctoris philosophiam brevi oratione perstringere, quia contradictoria frequenter habet, ejus spiritus et præcipua dogmata hisce continentur:

a) Qui veram philosophiam acquirere optat, nec veterum libros consulere debet, nec hucusque traditam addiscere, sed proprio marte ac ex individua ratione eam integram educere debet et valet.

b) Quod ut assequatur, expedit ut omnia penitus, quæ hucusque ut vera et indubia habuit, in dubium revocet; quoniam « quidquid hactenus ut maxime verum admissi, vel a sensibus, vel per sensus accepi; hos autem interdum fallere deprehendi, ac prudentiæ est nunquam illis confidere, qui nos vel semel deceperunt.» (1)

c) Nihilominus « animadvertens dubitari non posse, quin saltem substantia dubitans sive cogitans existat, hoc usus sum tamquam saxo, in quo philosophiæ meæ fundamenta locavi.» (2) Fundamentum itaque et origo totius philosophiæ, repeti debet ex facto isto conscientiæ, *ego cogito, ergo sum*; cujus poinde integra philosophia quædam est veluti evolutio.

d) Cogitatio porro non est actio solius intellectus, sed voluntatis, passionum, et sensuum.

e) Dei existentia et natura perspicue demonstrantur et agnoscuntur ex ejusdem idea, quæ nobis est innata, et quam in nostra conscientia reperimus; in qua claram, distinctam et intuitivam Dei notitiam habemus, non se-

---

(1) *De Prim. Phil.*, cap. 1.°
(2) *De Metho.*, cap. 4.°

cus ac nostri ; (1) illud autem habendum est ut verum, quod in ejus idea clare et distincte continetur.

f) Atque hic Deus, unica vera existit substantia; namque « per substantiam nihil aliud intelligere possumus, quam rem, quæ ita existit, ut nulla alia re indigeat ad existendum. Et quidem substantia, quæ nulla plane re indigeat, unica tantum potest intelligi, nempe, Deus.» (2)

Notare hic liceat, priusquam ultra progrediamur, Cartesium tribus prioribus pronuntiatis, viam sternere scepticismo et sensualismo ; quarto vero, fundamenta jacere ontologismi Mallebranche et Gioberti ; quinto denique, viam sternere Spinozæ atque reliquis pantheismi adseclis: omnibus quinque simul, rationalismum appellare et invehere, dum doctrinam, auctoritatem, et traditionem philosophiæ christianæ, parvi facit, atque ab eis et discedit ipse, et discedendum aliis prædicat, dum statuit privatam solum rationem in philosophicis sectandam et consulendam. Quos quidem errores vel firmat et evolvit, vel aliis novis adauget,

g) Dum postquam constituerat criterium veritatis in notione clara et distincta, scribit: « omnis scientiæ certitudinem et veritatem, ab una veri Dei cognitione pendere, adeo ut priusquam illum nossem, nihil de ulla alia re perfecte scire potuissem.» (3) Quæ certe doctrina, et ontologismo favet, et apertum circulum vitiosum præsefert, imo et contradictionem, cum, apud ipsum, veritatis philosophicæ inquisitio universale dubium ac sigillatim circa Dei existentiam præexigat.

h) Dum docet, quod « animus adeo a temperamento

---

(1) «L' idée de Dieu nous est innée comme l' idée du moi... Il soutient donc qu' il y a une connaissance intuitive de Dieu.» Apud Ritter, *Histoir. de la Phil. Moder.*, t. 1.°, pag. 33.

(2) *Princip. Phil.*, cap. 1.°

(3) *De Prim. Phil.*, cap. 4.°

et organorum corporis dispositione pendet, ut si ratio aliqua possit inveniri, quæ homines sapientiores et ingeniosiores reddat, quam hactenus fuerunt, credam illam in medicina quæri debere.» (1) Nimirum, apud Cartesium, principia et fundamenta scientiæ moralis, ex medicina atque ex physica eruere oportet; siquidem, «sunt physicæ veritates, (2) fundamentum altissimæ et perfectissimæ ethicæ;» quo nihil certe aptius pro schola sensistarum scribi potuit. (3)

i) Dum docet: 1.° «sensuum perceptiones non referri nisi ad istam corporis humani cum mente conjunctionem, non autem nos docere, qualia in seipsis (corpora) existant;» (4) unde alibi concludit, «ne quidem ipsa corpora proprie sensu percipi, sed solo intellectu:» 2.° sensibiles perceptiones, meras esse occasiones idearum et notionum intellectualium; «sensuum enim organa nihil nobis tale referunt, qualis est idea, quæ illarum *occasione*, formatur; et sic idea ista debuit esse antea in nobis.» (5) Imo vero, «si considerem, subdit ille, (6) hominis corpus, quatenus machinamentum quoddam est ex ossibus, nervis, musculis, venis, sanguine et pellibus ita aptatum et compositum, ut etiamsi nulla in eo mens

---

(1) *De Hom.*, cap. 4.°

(2) *De Metho.*, cap. 6.°

(3) «Il déduisait de la physique les principes de l' ethique la plus profonde; il penchait, à la façon d' un Cremoninus et d' un Hobbes, vers l' opinion que la médecine seule pourrait rendre les hommes plus sages et plus prudents; aussi avons-nous des raisons de croire que les embarras que de telles vues auraient pu lui susciter de la part des doctrines morales theologiques, étaient la principale cause de sa repugnance à s' engager sur ce terrain.» Ritt., *Loc. cit.*, pag. 24.

(4) *Princ. Phil.*, cap. 2.°

(5) «L' excitation du corps doit uniquement fournir une cause occasionnelle au developpement de nos idées pures.» Ritter, *Loc. cit.*, pag. 65. *Ibid.*, cap. 1.°

(6) *De Meth.*, cap. 3.°

existeret, eosdem haberet omnes motus, qui nunc in eo, non ab imperio voluntatis, nec proinde a mente procedunt» etc. Qua doctrina, ut facile quisque videt, Cartesius et idealismo Berkeley, et occasionalismo malebranchiano, et harmoniæ præstabilitæ Leibnitz, viam sternit.

j) Dum docet similiter: 1.° rejiciendas esse causas finales: 2.° mundi constitutionem, ex materia et mechanico motu unice explicandam: 3.° corporibus nullas vires vere activas inesse, sed determinatam solum motus quantitatem, quam Deus ab initio materiæ contulit, ac semper conservat.

k) Dum docet præterea: 1.° corporis essentiam in sola extensione sitam esse, ac proinde cum spatio identificari; vacuum metaphysice repugnare; mundum indefinite extendi: 2.° essentiam rationalis animæ in actuali cogitatione consistere: 3.° arbitrii libertatem nullis limitibus circumscribi: 4.° voluntatem latius quam intellectum patere, ita ut velle possit quæ minime intelligit, qua sane doctrina corruit vulgatum illud: *nihil volitum quin præcognitum*. «Nullis arbitrii libertatem limitibus circumscribi experior.... Indifferentia, quam experior, est extremus gradus libertatis. Nascuntur mei errores ex hoc uno, quod, cum latius pateat voluntas quam intellectus, illam non intra eosdem limites contineo, sed etiam ad ea quæ non intelligo, extendo.» 5.° Bruta animantia esse mera automata, sensu penitus privata. 6.° Deum, rerum essentias mutare, et contradictoria vera simul efficere posse.

l) Tandem, dum contradictoria simul amplectens, ac sibi minime constans, scribit circa substantiam, uno in loco: «substantiæ enim nequeunt esse non completæ:» in alio vero: «Animam et corpus hominis esse substantias incompletas.» Circa conjunctionem animæ et corporis: «Quæ ad animæ et corporis conjunctionem pertinent, nonnisi obscure per intellectum, aut etiam

:

per intellectum imaginatione adjutum cognoscuntur, sed per sensus clarissime.» Alibi: «Non mihi videtur ingenium hominum posse distincte et simul concipere distinctionem corporis et animæ eorumque conjunctionem; ad hoc enim concipi debent, ut unum quid, et simul ut duo diversa, quod repugnat.» Circa ideas innatas, quandoque ut tales agnoscit, omnes ferme quas habemus; quandoque e contra asserit, quod «paucissimæ sunt ejusmodi notiones.» (1)

§ III.

Observationes in philosophiam Baconis et Cartesii.

1.° Baco et Cartesius conveniunt 1.° in eo, quod uterque sibi proposuit, scientiam naturalem a theologica et veritate revelata separare, simulque philosophiam scholastico-christianam e medio tollere. Conveniunt 2.°, in despiciendis et parvi faciendis veterum philosophorum, Patrum Ecclesiæ, et Scholasticorum sententiis et operibus. Conveniunt 3.°, quatenus uterque viam paravit communivitque magnis erroribus modernæ philosophiæ, tum propter exaggerationem methodi inductionis et methodi psychologicæ, tum ob paradoxa non pauca et erroneas doctrinas quas profitentur.

2.° Uterque tamen scientiarum et philosophiæ pro-

---

(1) Vid, Ritter, *Op. cit.*, pag. 38 et 63.

gressui aliqua ex parte contulit: prior quidem, dum methodum inductionis et utilitatem experientiæ et observationis naturæ commendavit; Cartesius vero, ob commendationem et usum observationis psychologicæ, et applicationem mathesis ad scientias physicas. Attamen, tam Baco quam Cartesius a recta via defecerunt, quatenus præfatas methodos exclusiva quadam ratione commendarunt, ac indiscriminatim pro cunctis scientiis usurparunt, usurpandasque edixerunt.

3.ª Utriusque philosophia, præsertim vero Cartesii, magnis vitiis et erroribus scatet, adeo ut vix concipi queat ratio ob quam tanto favore et plausu excepta sit ac propagata, (1) nisi hujus rei rationem quæramus, tum

---

(1) Ipsemet Ritter, qui nimium fortasse Cartesio favet, hæc inter alia scribit: «L' esprit philosophique, qui travaille à reunir ce qui est isolé, à resoudre les contradictions inquietantes, n' a en Descartes qu' un representant à peu près indifferent. Le morcellement de ses resultats, le peu de rigueur de la méthode au moyen de laquelle il les enchaine, nous montre clairement qu' il ne connait pas la profondeur, où les sciences ont leur principe d' unité...

Si nous passons en revue les differentes parties de sa philosophie, nous y trouvons peu de choses nouvelles: elles se composent, pour la plus grande partie, d' idées qui, de son temps même, ne pouvaient plus passer pour nouvelles. Les preuves de l' existence de Dieu sont une vieille proprieté de l' école theologique; il ne les a pas entourées d' une nouvelle lumière... Son principe: *Je pense, donc je suis*, n' était jamais tombé dans l' oubli depuis que Saint Agustin l' avait posé à l' entrée de la science. Campanella l' avait repris avec une vigueur près que égale, et les sceptiques français eux-mêmes n' avait pas manqué de poser la connaissance de nous-mêmes comme le principe de toutes nos connaissances... Il serait sans fondement de soutenir que la doctrine de Descartes, dans son enchainement systematique, a fait sortir de ce principe plus que n' en avaient tiré d' autres doctrines, qui l' avaient également employé. Il n' y a rien de nouveau non plus dans les raisonnements, par lesquels il passe de la limitation de notre pensée et de la veracité de Dieu à l' existence réelle du monde exterieur et corporel... A considerer tout ce qu' il y a de decousu dans les diverses parties de son système, combien peu il a émis d' idées nouvelles, et qui se puis-

in circumstantiis et conditione illius epochæ, tum in prædispositione protestantica coævorum hominum, tum quia in unum veluti systema conflavit novas et erroneas aliorum opinationes, tum maxime quia semina et fundamenta posuit philosophiæ illius acatholicæ, quæ post eum universas ferme Europæ scholas invasit.

4.ª Itaque, quia ex philosophia Baconis et Cartesii emerserunt, 1.° Sensualismus et Materialismus: 2.° Pantheismus: 3.° Scepticismus: 4.° Ontologismus, quæ sunt præcipua systemata quibus recentior philosophia infecta est; primo, de philosophis qui ejusmodi systematibus adhæserunt; deinde, tum de scholis extra cartesianam philosophantibus, tum de his qui philosophiæ christianæ traditionem scientificam magis aut minus perfecte servarunt, agemus. Unde sit

ARTICULUS TERTIUS.

Sensualismus et Materialismus.

Inter eos qui semina sensualismi, in philosophia sive Baconis, sive Cartesii contenta, aut evolverunt, aut ad materialismum perduxerunt, merito connumerantur Hobbes, Locke, Van-Helmont, Condillac, Helvetius et Holbach. Non tamen omnes eadem ratione præfatis systematibus adhæserunt, sicut ex subjectis paragraphis agnoscere licebit.

---

sent soutenir, on éprouve quelque embarras à expliquer d' où est venu l' immense succés de sa doctrine.» *Oper. cit.*, pag. 36 et sqq.

§ I.

Hobbes.

Hobbes (Thomas) in Anglia 1538 natus, ac 1679 mortus. Amicus extitit Baconis, cujus mentem, cogitata, et empirismum philosophicum evolvens, tuetur et docet:

a) Omnes nostras ideas et cognitiones scientificas, ex sensibus oriri: imaginationem, memoriam, reliquasque facultates cognoscitivas hominis, esse vel modificationes vel relationes sensationis.

b) Rationem vel intellectum non esse facultatem primitivam seu insitam homini per naturam, sed effectum quendam facultatum ordinis sensibilis.

c) Mundus et corpora ex quibus coagmentatur, nec ex nihilo producta sunt, nec in nihilum possunt redigi, sed ex æternitate ac in æternum existunt; nec aliis mutationibus subsunt nisi accidentalibus et externis.

d) Nullam agnoscere oportet primitivam aut essentialem distinctionem inter bonum et malum morale; unde et distinctio inter vitium et virtutem arbitraria est, utpote ex hominum opinione pendens.

Quoad Religionem.

a) Non alia religio agnoscenda est nisi cultus externus Dei, qua auctoris vel ordenatoris universi, nec opus est revelationem ullam admittere. Porro, omnes religiones sunt æque bonæ seu potius indifferentes; unde quisque tenetur eam amplecti, quam præscribunt leges civiles societatis cujus est membrum.

b) Itaque, tam religio quam moralitas, ex lege civili seu potius ex violentia unice pendent; nam homo extra societatem agere potest quidquid libuerit: atque exinde status naturalis hominis est bellum adversus alios, solaque vis seu violentia est origo juris hominis in hominem. Ex quo effatum illud exprimens hobbesianum systema: *Homo homini lupus.*

§ II.

Locke.

Joannes Locke, anglus philosophus anno 1632 natus, ac 1704 e vivis sublatus est. Ejus præcipua dogmata philosophica sequentibus exhibentur:

a) Omnes nostræ ideæ ex experientia sive externa, sive interna, immediate enascuntur, (1) quatenus, nempe, intellectus res per sensus ac in conscientia repræsentatas percipit, quin ad hoc indigeat, nec intellectu agente repræsentationes sensibiles ad ordinem pure intellectualem elevante, nec ideis intellectualibus, quæ naturas universali ratione repræsentent. Ex quibus facile

---

(1) «D' où l' esprit tient-il tous les materiaux de ses connaissances? A cela je reponds par un seul mot, de l' experience. L' observation appliquée soit aux objets exterieurs sensibles, soit aux operations internes de notre esprit, que nous percevons, et sur lesquelles nous refléchissons, voilà ce qui fournit à notre entendement tous les materiaux de ses pensées.» *Esai sur l' entend. humain.* lib. 2.°, cap. 3.°

perspicitur quod lockiana theoria circa originem idearum, a theoria D. Thomæ et aliorum Scholasticorum, cum qua non semel stulte identificata fuit, penitus discriminatur. Ex quo discrimine, profluit et aliud, quia, nempe, Locke

b) Uti verus sensismi adsecla, nominalismo adhæret; genera namque et species, apud ipsum, nullam realitatem objectivam sibi vendicant, sed sunt meræ classificationes nominales ab homine adinventæ et impositæ. (1)

c) Cum ergo sensationes in materia ac dependenter a corpore perficiantur, fortasse vis cogitandi materiæ non repugnat.

d) Similiter, cum substantia, si quid sit distinctum a qualitatibus sensibilibus, quas unicas sensuum ope percipere possumus, sub iisdem lateat, ejus natura nobis est prorsus ignota, nec nobis aliud esse potest, nisi collectio qualitatum, quas vel sensibus, vel interna experientia percipimus.

e) Demonstrari nequit ratione naturali, nec substantiam spiritualem essentialiter differre a substantia materiali, nec animam hominis esse immortalem.

Ex dictis facile perspicitur, Locke non modo evolvere ac propugnare verum sensualismum, sed jecisse simul fundamenta materialismi, vel saltem huic systemati viam stravisse.

---

(1) «Ce n'est point cette essence réelle qui les distingue en espèces; ce sont les hommes, qui, à propos de ces qualités, les rangent en classes, à fin de leur imposer des noms.» *Ibid.* lib. 3.°, cap. 13.

§ III.

Van-Helmont et Condillac.

Van-Helmont (Franz Mercurius) alterius Van-Helmont medici filius, natus est prope Bruxellas in Belgio anno 1618, ac vitam cum morte commutavit 1698 aut 1699. Sensualismo ex parte adhæret; simul vero ad systemata alia declinat. Namque

a) Apud ipsum, non modo «humana omnis scientia ex sensu primitus oritur,» sed ejus acquisitio fit quatenus ope cerebri et diversorum hujus motuum, percipimus imagines sensibiles, quibus variæ cerebri partes afficiuntur, et quæ ex externis objectis emanant.

Hinc theoria Van-Helmont, hac in parte, haberi potest veluti reminiscentia quædam theoriæ Democriti. Sed præterea

b) Docet, pantheistis quadantenus concinens: 1.° Dei essentiam esse quidem distinctam a creaturis, ita tamen ut ab illis non sit divisa vel separata: 2.° actualem creationem esse attributum essentiale Dei, qui proinde non potuit nec potest non creare; imo «etiam novas creaturas continuo creat, atque in omnem æternitatem sæculorum creabit.»

c) Hominum animæ non tunc de novo creantur cum corpori infunduntur aut dum homo generatur, sed huic generationi præexistunt.

d) «Sicut corpus, videlicet, hominis vel bestiæ, nihil

est aliud quam innumerabilis multitudo corporum simul in unum compactorum inque certum ordinem dispositorum; ita spiritus hominis vel bruti, similiter est innumerabilis quædam multitudo spirituum simul unitorum in hoc corpore, qui etiam suum habent ordinem atque regimen, ita ut unus sit primarius regens... alius aliud quoddam sub se regimen habeat, et sic per totum prout in exercitu militari fieri solet. » (1)

Condillac (Stephanus Bonnot) Gratianopoli in Gallia natus 1715, ecclesiasticæ militiæ nomen dedit, ac e vivis excessit anno 1780. Sensualismum evolvit, perfecit ac materialismo approximavit. Quo circa sequentia, inter alia, docet:

a) Ideæ omnes quibus hominis scientia continetur, sensationibus habentur et exprimuntur; quinimo perceptio, judicium, attentio, ratiocinium, aliæque operationes, quæ spirituali animæ tribuuntur ac intellectuales appellantur, identificantur cum sensatione, cujus sunt quædam transformationes seu modi. Siquidem, præfatæ operationes quæ intellectuales nuncupari solent, ad attentionem cunctæ revocantur: sed vero attentio nihil est aliud nisi modus vel effectus quidam sensationis intensioris.

b) Voluptas et dolor, suique ipsius amor, regulam et fundamentum ordinis moralis constituunt. Atque exinde ratio boni et mali moralis, simulque leges, quatenus actiones quasdam licitas exprimunt, alias vero ut illicitas vetant, ex hominum voluntate et conventione pendent.

---

(1) *Princ. Phil.*

§ IV.

Helvetius et Holbach.

Helvetius (Claudius Adrianus) qui natus Parisiis 1715, moritur anno 1771, non tam sensualismum quam putidum materialismum sectatus est. Etenim, in opere cui titulus: *De Homine*, docet

a) Hominem animantia quidem bruta superare, ratione perfectioris organismi.

b) Cæterum, hominis anima nihil est aliud quam causa seu principium occultum facultatis sensitivæ; ast vero, illud quod spiritus hominis vocatur, est effectus quidam animæ seu facultatis sensitivæ: (1) unde revera spiritus in homine nihil est aliud quam collectio cogitationum. (2)

c) Porro, cogitatio ac reliquæ operationes hominis, omnes reducuntur ad sensibilitatem physicam et memoriam; imo vero, hæc postrema cum priore identificatur; ac proinde omnes vires seu potentiæ hominis physica sensibilitate continentur et clauduntur.

d) Actiones humanæ bonitatem vel malitiam moralem repetunt et habent ex voluptate vel dolore, quibus

---

(1) «Cette faculté (de sentir) est l' âme elle-même. D' où je conclus que, si l' âme n' est pas l' esprit, l' esprit est l' effet de l' âme ou de la faculté de sentir.» *De l' homme*, pag. 115.

(2) «L' esprit n' est qu'un assemblage de pensées.» *Ibid.*

afficiuntur, nec ulla proinde existit distinctio primitiva et essentialis inter bonum et malum in ordine morali.

Holbach (Paulus Dietrich) in Germania natus anno 1722, Parisiis tamen ab infantia degens, litterariam educationem ibidem recepit, ac e vivis excessit 1789. Sensismum Locke et Condillac evolvens ac ad extrema consectaria perducens, materialismum et atheismum edocuit variis conscriptis libris, præsertim vero in opere cui titulus: *Systema Naturæ*, sive *De legibus mundi physici et mundi moralis;* quod quidem, quamvis sub nomine Mirabeau primum prodierit, et Diderot, Lagrange et Naigeon ab aliquibus tributus fuerit, constat nunc genuinum existere fœtum Holbach. Eo in opere auctor colligit non minus impia quam absurda dogmata, quæ Voltaire, La-Metrie, Diderot, Volney cum similibus ejusdem sæculi pseudophilosophis, profitebantur, quæ ad subjecta summa capita possunt revocari.

a) Universa hominis scientia ac ideæ cunctæ quæ intellectuales vocantur, ex sensatione immediatam originem ducunt, ita ut cogitatio aliud non sit nisi effectus spontaneus et immediatus impressionis organicæ.

b) Memoria, judicium, imaginatio, ratiocinium, attentio, reflexio, exurgunt ac efformantur ex nexu ac relationibus variis impressionis organicæ in sensibus; hinc intellectus seu ratio, nihil est aliud quam modificatio sensationis.

c) Nulla existit natura universalis, nec veritas una aut identica apud homines: (1) nec dantur ulli conceptus universales.

---

(1) «L'intelligence, la notion, la conviction d'aucune proposition, quelque simple, évidente et claire qu'on la suppose, ne sont ni ne peuvent être rigoureusément les mêmes dans deux hommes.» *Syst. de la Nat.*, T. 1.°, cap. 10.

d) Nulla existit in homine spiritualis anima quæ post mortem vivere possit: imo, homo ipse nihil est aliud quam machina quædam mechanice mota, ipsaque sensatio omnesque aliæ operationes ex sensatione dimanantes, sunt motus quidam cerebri; quapropter distinguere animam a corpore, idem est ac distinguere cerebrum a cerebro.

e) Universum istud seu mundum concipere oportet tamquam magnam machinam ex motu et materia unice conflatam, quæ ex æternitate existit ac in æternum perdurabit.

f) Ergo nulla existit substantia præter aut supra materiam; ac proinde Dei existentia est adinventio gratuita superstitionis, originem et occasionem desumens ex ignorantia naturæ. (1)

g) Omnia quæ in mundo eveniunt fatali necessitati subjiciuntur; cui similiter subjacet homo in quo nullum adest liberum arbitrium; libertas etenim humana gratuitum est figmentum ac pura chimæra.

h) Prorsus gratuita et fictitia existit distinctio essentialis inter bonum et malum morale; actionum namque bonitas et malitia identificantur cum utilitate aut damno, voluptate aut dolore cujusque individui.

i) Unde virtus moralis, prout communiter concipi solet, nomen vacuum existit, nec alia agnoscenda est virtus, nisi æquilibrium humorum corporis.

Doctrinam Holbach paulo fusius exposui, quia exprimit dogmata omnium ferme pseudophilosophorum elapsi sæculi, in quorum proinde exponenda philosophia am-

---

(1) «Les êtres que l' on suppose au-dessus de la nature ou distingués d' elle-même seront toujours des chimères dont il ne nous sera jamais possible de nous former des idées véritables... Si l' ignorance de la nature donna la naissance aux Dieux, la connaissance de la nature est faite pour les détruire. » *Ibid.* t. 1.°, pag. 1.ª et t. 2.°, pag. 26.

plius immorari opus non est. Adnotare tamen libet, non deesse hac ipsa nostra ætate, homines qui ejusmodi aut similibus doctrinis adsentiantur, quamvis eadem libris consignare, ut plurimum, non audeant.

ARTICULUS QUARTUS.

Pantheismus Philosophiæ Modernæ.

§ I.

Philosophia Spinosæ.

Primus omnium qui apparatu scientifico aggressus est evolvere pantheismum, cujus semina et fundamenta in philosophia rationalistica Cartesii, (1) præcontinebantur, fuit

---

(1) «Dans notre opinion, scribit Ritter, les doctrines de Spinosa se rattachent essentiellement à l'école cartesienne. Les principes rationalistes de cette école sont tout à fait ceux qu' embrasse Spinosa... On s'est cru obligé de recourir, pour rendre compte de son pantheisme à sa naissance et à son éducation juives... Dans le sein même de l'école cartesienne, les signes d'une direction pantheistique ne manquaient pas. Ces tendances se rattachaient directement à certains fils de la

Spinosa (Baruch seu Benedictus) ex parentibus judæis Amstelodami in lucem editus anno 1632, ac subita morte correptus 1677. Ejus doctrina ad sequentia capita revocatur.

Quoad philosophiam.

a) Philosophia, utpote rationis humanæ fœtus, nec theologiæ, nec revelationi, nec ulli auctoritati subjicitur; sed potius de his omnibus superne judicare oportet, cum omnimoda independentia et proprio jure.

b) Vera et unica methodus, quam in philosophia oportet sequi, est methodus mathematica, quæ «potissimum consistit in sola puri intellectus cognitione, ejusque naturæ et legum:» (1) unde nec sensus, nec sensibilia ad veritatem nos perducere queunt. (2)

c) Igitur criterium veritatis seu scientiæ philosophicæ, in idea clara et distincta cum Cartesio reponere oportet; enimvero, «ideæ quæ sunt claræ et distinctæ, nunquam possunt esse falsæ.» (3)

d) Porro, scientiæ exordium et firmitas desumuntur ex cognitione intuitiva naturæ divinæ; «quia tam cognitione, quam natura prior est;» (4) atque præterea «omnis nostra cognitio et certitudo, quæ revera omne dubium tollit, a sola Dei cognitione dependet, tum quia sine Deo nihil esse et concipi potest, tum etiam quia

---

doctrine cartesienne, qu' on avait commencé dès lors, à derouler: Spinosa ne fit que dépasser ses prédecesseurs.» *Histoire de la Phil. Moder.* t. 1.° pag. 172 et 73.

(1) *Epist.* 42.

(2) «Le modèle des mathématiques inspire à Spinosa, comme à tous les cartesiens, une confiance entière dans la connaissance de l'entendement. Il s'exprime là-dessus dans les mêmes termes que Descartes.» Ritter, *ibid.* pag. 21. Ubi vides, principia atque fundamentum philosophiæ spinosianæ, cum doctrinis Cartesii prorsus congruere.

(3) *De Intell. emend.* pag. 378.

(4) *Ethic.* pag. 10.

de omnibus dubitare possumus, quandiu Dei nullam claram et distinctam habemus ideam.» (1) Hæc Spinosæ doctrina iterum nihil fere abludit a doctrina Cartesii, docentis notionem Dei esse nobis innatam, ac ex Dei cognitione oriri scientiam et certitudinem aliarum rerum.

Quoad Deum et mundum.

a) Deus est ens absolute infinitum, ac proinde omne esse ita continens, ut nullum ens ab ipso distinctum existat aut existere possit: «est, nimirum, hoc ens unicum, infinitum, hoc est, est omne esse, et præter quod nullum datur esse.» (2)

b) Similiter, cum substantia sit id quod in se existit et concipitur, nec ab alio pendet, unica existere potest substantia, nempe, Deus, qui ab alia causa non pendet sed per seipsum existit. (3)

c) Hæc porro substantia divina, duo attributa infinita continet, scilicet, extensionem et cogitationem, quæ sunt veluti modi necessarii ejusdem: proinde tam mundus quam homines, seu potius rationales animæ, sunt modi, partes, vel evolutiones prefatæ substantiæ Dei.

d) Ergo tum creatio rerum ex nihilo, tum libertas divina et humana, tum distinctio boni et mali moralis, absurda sunt figmenta; namque et mundus, et homo, et hominís actiones, identificantur cum substantia Dei, in quem non cadit nec creatio, nec libertas indifferentiæ seu arbitrii, nec proinde discrimen inter

---

(1) *Tract. Theolog. Prol.*

(2) *De Intell. emend.*

(3) Hic Spinosa sui pantheismi basim ponit ex notione substantiæ a Cartesio tradita. Quapropter merito Ritter: «Cette démonstration est celle même que nous avons trouvée chez Descartes.» *Op. cit.* t. 1.° pag. 216.

bonum et malum; nam «quod necessarium ac liberum duo contraria sint, non minus absurdum et rationi repugnans videtur.»

e) Deus igitur, non secus ac homo, non alia gaudet libertate nisi coactionis: nec propter finem quidpiam operatur; «nam si Deus propter finem agit, aliquid necessario appetit, quo caret.» Quin etiam adserere oportet, «omnes causas finales nihil nisi humana esse figmenta.» (1)

Quoad ethicam et Religionem.

(a) Homo individuus, in se spectatus, nulli juri nec civili nec naturali subjicitur, omnia ipsi licent, ita ut nullum peccatum nec crimen in eo statu admittere queat.

b) Jus naturæ, si quod est, identificatur cum naturali cujusque rei inclinatione ad sui conservationem; unde homo jus habet agendi quidquid in hunc finem sibi expedire videbitur.

c) Ergo jus homini connaturale est bellum adversus alios; quod quidem jus in homine suspenditur dum fit membrum societatis civilis et politicæ, quæ non ex natura, sed ex voluntate et conventione hominum originem et vim desumit. Hinc potestas publica, in quam transferuntur jura singulorum, omnimoda fere et illimitata gaudet auctoritate.

d) Non alia religio est admittenda nisi quæ consen-

---

(1) Negatio causarum finalium, unus est e præcipuis characteribus recentioris philosophiæ, quatenus Baconis et Cartesii filiæ, ex qua Spinosa, Hobbes, cum recentioribus aliis eamdem hauserunt. Quod idem fatetur Ritter, dum ait: «L'exclusion, qui bannit de toutes les recherches philosophiques l'idée de fin, favorisée par Bacon et par l'école cartesienne, consommée rigoureusement et sans retour par Hobbes et par Spinosa, signale un des pas les plus décisifs de la philosophie moderne.» *Loc. cit.* pag. 270.

tanea sit rationi naturali, ad quam spectat de Religione superne judicare.

e) Sacra Scriptura cui innititur christiana Religio, non secus ac alii libri, ex ratione solum, ac præsertim ope historiæ et philosophiæ, est interpretanda.

f) Quæ Sacra Scriptura circa Deum ejusque Religionem continet, demonstrari ut vera nequeunt, nec per miracula, nec per prophetias, quæ temporalia solummodo respiciunt: nec prophetæ solum, sed ipsemet Christus sermones circa Deum et spiritualia, populi seu vulgi captui acommodarunt.

g) Nulla vere existunt miracula, sed quæ talia nuncupantur, sunt naturales, imo et necessarii effectus, et phænomena quædam quorum causam ignoramus.

h) Mysteria item sunt veritates quædam naturales sub formis aut symbolis quibusdam expressæ: unde quæ mysteria Religionis dicuntur, ac in Sacra Scriptura continentur, meræ sunt veritates naturales, vel opiniones philosophis minime ignotæ. (1)

Observatio.

Spinosæ philosophiam paulo fusius quam moris est, exposui: 1.° ut agnoscatur non immerito a nobis affirmatum, hujus auctoris pantheismum et pronuntiata circa philosophiæ naturam, methodum, et scientiæ criterium, esse legitimas deductiones et applicationes rationalismi scholæ cartesianæ: 2.° ut hi qui theologiæ navare operam intendunt, sciant Spinosam merito haberi posse tamquam protoparentem recentioris exegesis, apud

---

(1) «Les mystères qu'on a prétendu decouvrir dans l'Ecriture, se sont reduits en fin de compte à ce que savaient des longtemps les payens, aux inventions de Platon et d'Aristote.» *Tract. Théolog.* et apud Ritter, *op. cit.* pag. 190.

Germanos præsertim invalescentis, qua Scripturam Sacram vel historicæ, vel rationali, vel symbolicæ solum interpretationi subjiciunt.

§ II.

Fichte, Schelling et Hegel.

Fichte (Joannes Teophilus) in Lusacia anno 1762 natus ac Berolini vita functus est 1814. Ejus doctrinam vide tum in Idealogia, cap. 2.° art. 3.°, tum in Cosmologia, cap. 1.° art. 1.° § 1.°

Animadvertere hic libet, philosophum hunc suum pantheismum subjectivum concinnasse, evolvendo partim idealismum transcendentalem Kant, partim vero psychologismum Cartesii. Siquidem, fundamentale principium systematis Fichte, a quo omnem scientiam et realitatem derivat, nempe, *ego=ego*, sicut et factum illud absolutum et primitivum, quo *ego purum* seipsum ponit, vix nisi verbo tenus discriminantur ab effato illo *cogito*, *ergo sum*, cui innititur apud Cartesium universa philosophia. (1)

---

(1) Fatetur idipsum Remusat, dum scribit: «Si l'on ne faisait que changer l'expression de cette déduction et la rendre un peu moins scientifique, je crois qu'on y trouverait difficillement rien de plus que le *Cogito* de Descartes, ou cette proposition fort simple: le sentiment de l'existence est inséparable de l'existence personnelle.

Schelling (Fridericus Guill. Josephus) in regno Wirtembergensi natus anno 1775, apud quem: 1.° philosophia est cognitio *absoluti* in quo realiter ac entitative identificantur, subjectivum et objectivum, ideale et reale, spiritus et materia: 2.° *Absolutum* hocce in quo omnia identificantur, est substantia unica, sive Deus, qui seipsum ponendo diversimode seu in diversis positionibus, producit entia finita, quæ nihil sunt aliud exinde quam formæ seu modi substantiæ unicæ seu entis absoluti.

Alia ejusdem dogmata et placita vide, tum in Idealogia, cap. 2.° art. 2.° § 2.°, tum in Cosmologia, cap. 1.° art. 1.° § 1.°

Hegel (Gothofridus Guill. Frid.) in Germania 1770 natus, mortuus vero 1836, cujus systema pantheisticum vide in Metaphy. Spec. sive Cosmologia, cap. 1.° art. 1.° § 2.° Quoad quædam alia ejusdem placita, vide in Psychologia, cap. 3.° art. 1.° § 2.°

Entre cette rédaction, et moi = moi, il n'y a peut-être que la différence entre une loi physique de la nature et son expression algébrique.» *De la Phil. Allema.* pag. 38.

§ III.

Schleiermacher et Solger.

Schleiermacher (Fridericus Daniel Ernes.) Bratislaviæ 1768 nascitur, atque e vita migravit anno 1834. Scriptor iste pantheismum profitetur, eum tamen temperare aggreditur sententiis quibusdam Platonis, quem cum Spinosa conciliare frustra studet; (1) unde ejus pantheismus speciem quamdam ontologismi præ se fert. Apud ipsum enim,

a) Idea Dei est *terminus a quo* incipit scientia, simulque principium possibilitatis cognitionis humanæ; mundus vero est objectum ad quod terminatur scientia et veluti *terminus ad quem* cognitionis humanæ; quapropter mundus continet realitatem objectivam scientiæ, quæ tamen realitas nequit scientifice cognosci, nisi intellectus ab ente absoluto sive *idea Dei*, incipiat.

b) Porro, Deus in nobis ac in omnibus rebus existit, nec concipiendus est cum personalitate propria aut

---

(1) Enimvero, ut jure scribit Herbat: «Rien de plus différent que le *bien* de Platon, ce principe supreme du monde réel des idées, et la substance universelle de Spinosa... Or, malgré l'abime qui separe ces deux principes, Schleiermacher les fait toujours marcher ensemble... et il cite également Platon et Spinosa pour leur faire appuyer son propre sentiment.» *Metaphy.* t. 1.° pag 394.

independenti, tamquam ens extra mundum ac in se existens; imo ejus præsentia in nobis nostrum esse constituit. (1)

c) Ergo humanitas, æterna existit ac infinite evolvitur in ipso Deo, cujus homo quilibet est membrum, (2) et veluti pars quædam substantiæ divinæ.

d) Itaque, Deus necessario in mundo et per mundum evolvitur, nec prior sine posteriori, sicut nec mundus absque Deo, concipi potest. Rejicienda proinde creatio ex nihilo; si enim Deus educeret materiam ex nihilo, hæc nullam realitatem haberet. (3)

e) Vera religio aliud non est nisi quærere et agnoscere infinitum seu æternum in omnibus rebus. Nulla existunt miracula, sed quæ hoc nomine designantur, sunt phænomena naturalia quibus infinitum manifestatur. (4)

Solger (Carolus Guil. Ferdinandus) Brandemburgensis, natus est anno 1780, ac e vivis excessit 1819. Pantheismum quemdam mysticum profitetur, statuens: 1.° quod terminus a quo scientiæ seu principium fundamentale philosophiæ, est agnoscere conscientiam particularem sive *ego* individuale, essentialiter identificari cum conscientia universali, cujus est manifestatio

---

(1) «Schleiermacher soutient... que Dieu est en nous et dans les choses, et non hors du monde et en soi, et la présence de Dieu en nous constitue notre être veritable.» Willm, *Histoire de la Philosoph. Allem. depuis Kant, jusq. à Hegel.* t. 4.° pag. 381.

(2) «Chacun est ainsi um membre nécessaire du grand tout dont il fait partie.» Willm, *Ibid.* pag. 361.

(3) S'il tire la matière du néant, la matière est sans realité.» Willm, *Loc. cit.* pag. 381.

(4) «Selon Schleiermacher... tout phénomène peut être consideré comme une expression de l'infini et y être ramené. Le mot *miracle* n'est que le nom religieux de tout evenement, le plus naturel même et le plus ordinaire.» Willm, *Ibid.* pag. 362.

quædam: 2.° quod persensio (el sentimiento) interna hujus unitatis seu identitatis, in qua perfecta vita Dei posita est, constituit *fidem;* unde fides est persuasio qua conscii sumus Deum, «se manifestare per nos, nobis, ac in nobis, ac qua talis cum ipsa ratione naturali identificatur:» 3.° quod res externæ, et individua naturæ, sunt meræ formæ temporales et accidentales seu potius phantasmata (apariencias) entis veri et æterni.

§ IV.

Philosophia Krause.

Krause (Carolus Christ. Fridericus) apud Eisenberg in Germania natus 1781, mortus est in curia Bavariæ anno 1832. Conscripta ab ipso opera (1) pantheismum continent, qui non secus ac pantheismus Fichte, cum quo affinitatem quamdam obtinet, haberi posset tamquam evolutio quædam psychologismi cartesiani, atque

---

(1) Scripsit, præter alia, quæ hic subjiciuntur, quorum inscriptionem hispanice vertimus:

Bosquejo de un sistema de filosofía = Sistema de Moral = Ideal de la humanidad = Lecciones sobre el sistema de la filosofía = Lecciones sobre las verdades fundamentales de la ciencia. Post Krause obitum, ejus discipuli in lucem ediderunt: *Lecciones sobre la lógica analítica y la enciclopedia de la filosofía. = La Filosofía religiosa absoluta*, et alia quædam.

pantheismus psychologicus non immerito posset nuncupari. Enimvero, apud Krause,

a) Philosophia, qua scientia, est totum quoddam, cujus *objectum* est cognitio essentiæ absolutæ vel entis primitivi quatenus in rebus seu existentiis omnibus reperitur; *principium* vero, est cognitio absoluta Dei, quam homo obtinet per conscientiam intuitivam essentiæ primitivæ et æternæ. (1)

b) Præter conscientiam ordinariam, existit in homine conscientia scientifica, qua, nimirum, homo perscrutando et evolvendo elementa conscientiæ ordinariæ et antescientificæ, pertingit ad conscientiam superiorem, in qua et per quam intuetur infinitum et absolutum, quod est principium simul ac objectum universale scientiæ.

c) Porro, hoc infinitum et absolutum, necessario cogitatur ut omnem realitatem omnesque existentias in se continens, ita ut nihil cogitari aut existere queat extra ipsum. (2)

d) Dei existentia, demonstrari nec indiget, nec potest. Non indiget; quia in conscientia ac per conscientiam scientificam eum intuemur. Non potest; quia nihil ipso superius aut anterius existit; imo vero, nihil extra

---

(1) «La science est une, un tout organique; son objet est l'essence, la connaissance de l'être primitif, dans toutes les existences. Son principe est la connaissance de Dieu, connaissance absolue, qui est la conscience même de l'essence même primitive, éternelle, ce que des modernes ont aussi appelé *intuition intellectuelle*, *conscience de l'absolu*, *idée de l'absolu*.» Willm, *Histoi. de la Phil. Allema.*, t. 4.°, pag. 420.

(2) «Fuera del ser infinito, inquit Krause, no puede ser pensada ni aun la cosa mas mínima. Si alguna cosa existiera fuera del ser infinito absoluto, seria pensada como distinta de él, como siendo algo que no seria el ser infinito y absoluto; y este seria pensado como no siendo á la vez todo.» Apud Orti et Lara, *Lecciones sobre el sistema de filosofía panteista del aleman Krause*, pag. 131.

ipsum existit; (1) ac proinde repugnat Dei demonstratio.

e) Res finitæ quas per analysim conscientiæ cogitamus, ad tria suprema genera revocantur, quæ sunt: *spiritus*, *natura*, *humanitas*, ex quibus constituitur et exurgit *Universum*; quod quidem, sicut et illa tria, in Deo seu ente absoluto continentur, imo et vivunt; nam vita Dei continet organismum vitæ cunctorum entium: (2) quippe entia eatenus vivunt, quatenus in eis et per ea, Dei essentia sese exerit (se realiza) tempore infinito.

Observationes.

1.ª Ex nunc dictis facile perspicitur, Krause cum Cartesio convenire: 1.° dum statuit et adfirmat, principium subjectivum scientiæ seu philosophiæ, esse internam conscientiam: 2.° dum edicit et asserit, Dei cognitionem in conscientia et per conscientiam solam haberi, non secus ac Cartesius Dei notitiam hauriebat ex idea Dei conscientiæ insita vel innata. Quamobrem jure merito, hac ex parte, pantheismus Krause, psychologicus atque cartesianus appellari valet.

2.ª Krausiana philosophia non paucos discipulos et propugnatores obtinuit atque etiam nunc obtinet, inter quos eminent, Leonhardi in Germania, *Tiberghien* et *Ahrens* in libera universitate Bruxellensi professores, Duprat in Gallia, in nostra vero Hispania *Sanz del Rio*. (3) Cujus rei causa fortasse duplex non immerito posset assignari: 1.° quia Krause pantheismus, non ita apertus ac aliorum Germanorum existit, ac ipsemet renuit se pan-

---

(1) «En dehors de Dieu il n' y a rien, ni au-dessus de lui, ni au-dessous.» Willm, *Loc. cit.*, pag. 424.

(2) «La vida de Dios contiene en sí el organismo de la vida de todos los seres.» Apud Orti et Lara, *Op. cit.*, pag. 145.

(3) Circa horum pantheismum vide Orti et Lara, *Lecciones sobre el sistema*, etc., et *Krause y sus discipulos convictos de panteismo*, passim.

theistam profiteri: 2.° quia præ se fert harmonicam quandam universalitatem scientificam, quatenus eisdem principiis insistens humanam encyclopediam conficit, simul pertractans et evolvens logicam, theologiam, psychologiam, physicam, anthropologiam rationalem, æstheticam, ethicam, scientiam juris, philosophiam religionis, philosophiam historiæ.

§ V.

Nova schola hegeliana.

Quidam discipuli Hegel, hujus doctrinam evolventes, constituerunt novam scholam, quæ pantheisticoathea vel potius pantheismus materialismi et materialista posset nuncupari. Nominari solet: *extrema vel sinistra hegeliana: nova schola Hegel.* Ejus præcipui asseclæ et fautores habentur *Straus*, *Feuerbach*, *Bruno Bauer*, *Ruge*, et *Kraně*, in Germania: *Petrus Leroux*, *Aug. Comte*, et *Proudhon*, in Gallia; etenim præfata schola hegeliana, præter *symbolismum* et *pantheismum materialistam* Strauss et aliorum Germanorum, continet et amplectitur *humanismum* Leroux, *positivismum* Comte, et *atheismum* Proudhon; siquidem præfata omnia systemata ex infecta radice hegeliana originem trahunt, atque cum hegelianismo nexum magis aut minus immediatum sibi vendicant. Porro, ejusmodi scholæ præcipua dogmata, hisce continentur:

a) Nec Deus, nec Christus propriam habent persona-

litatem, sed Deo personalitas alia non inest nisi universalis et successiva evolutio humanitatis; quapropter vera Divinitas est ipsa humanitas, et Deus personalis, prout vulgo concipitur, est ens rationis: (1) Christus vero, est solummodo mythus quidam progressus illius humanitatis, qui Christianismus nuncupatur.

b) Evangelia proinde et narrationes quas continent, sunt quoque mythica seu symbolica, vel potius fabulæ; Christianismum vero qui eisdem designatur, rejicere ac ex hominum corde eradicare nunc oportet, quippe qui progressui actuali humanitatis non respondet, eique substituere oportet philosophiam.

c) Nec Christianismus modo, sed religio quævis rejicienda; nec alia religio aut moralis lex agnoscenda nisi voluntas hominis.

d) Futura vita et animæ immortalitas, figmenta quædam sunt; nam hominis destinatio in hac vita completur; atque is quatenus membrum seu manifestatio quædam existit humanitatis, hujus progressum et evolutionem partialiter perficit; (2) nec quilibet homo individuus aut

---

(1) «La jeune école hegelienne... proclame hautement que Dieu n' existe que dans l' humanité et que l' humanité n' a d' autre, vie que la vie présente ; que Dieu n' est qu' un être de raison, et que l' homme n' a d' autres interets que des interets terrestres.» Willm, *Op. cit.*, tom. 4.°, pag. 344.

(2) Ne quis existimet, nos exaggeratione aliqua duci in exponendis dogmatibus novi Hegelianismi, audiatur Willm cit. cujus verba vertimus ad patriam linguam, ut agnoscant hispani quo tandem deveniat doctrina seu philosophia Hegel, quam quidam, apud nos, laudibus efferunt ac sectari amant. «La jóven escuela hegeliana... tiende á sustituir el antiguo culto con el *culto de la humanidad*, y fundar este nuevo culto sin Dios y sin moral propiamente dicha... Feuerbach se resumió á sí mismo con perfecta claridad en un pequeño escrito titulado: *¿Hombre ó cristiano?* publicado en 1845, en el cual se esfuerza en probar, que es cuestion de salvacion para el mundo el renunciar cuanto antes, no solo al cristianismo, sino á toda idea religiosa. *Que se haga la voluntad del*

singularis aliam obtinet existentiam, nisi eam quæ ipsi congruit quatenus cum Deo et humanitate identificatur. (1)

---

hombre, tal es el principio de la nueva ley, fuera de la cual no hay salvacion, y tal será el alma de la religion del porvenir.

«El Dios antiguo, dice Krané, no vive mas; el estudiante mismo, á despecho de su pastor, ya no cree en los mitos ó fábulas relativas á la persona de Jesus de Nazareth; y las ilusiones de inmortalidad ya no engañan mas que á algunas almas débiles, á los espíritus serviles...» El partido fué mas lejos despues, proclamándose altamente, no solo *anti-cristiano*, sino tambien *anti-religioso*. Nada de cristianismo, nada de teología, nada de religion cualquiera: tal fué en lo sucesivo su divisa.

Se dieron á sí mismos el nombre de *sabios* ó científicos, por oposicion á los *creyentes*, de los cuales se consideraban separados por un abismo... Declararon que no admitian ser alguno superior al hombre, ni reconocian mas poder que el pensamiento.» Willm, *Op. cit.*, tom. 4.°, pag. 624-25.

Adstipulatur hisce Mager, cujus verba similiter ad patrium sermonem convertimus: «Desde 1841 la oposicion entre la filosofía hegeliana y la religion, se presentó mas clara y mas completa, merced á la obra de Feuerbach sobre la *Esencia del cristianismo*, á la de Strauss sobre la *Teología cristiana* y á la *Crítica de la historia evangélica*, por Bruno Bauer.

He aquí el resultado de estos escritos: «Las narraciones de los Evangelios son puras invenciones humanas; no existe un Cristo personal; el cristianismo, producto del espíritu humano, fué un progreso, pero hoy pertenece ya á la historia, y es una traba para el espíritu humano: la Filosofía es la sola y definitiva religion. No existe una *teología* y sí únicamente una *antropología*, pues el espíritu de la humanidad, es la realizacion del espíritu divino. No debe reconocerse mas religion ni piedad, que la cooperacion á los fines de la humanidad, ni mas oracion que la contemplacion del espíritu humano. Segun Ruge, la facultad de Filosofía debe absorber la facultad de teología en las universidades, por consiguiente nada de Iglesia, pues ha terminado su carrera.» *Revue Pédagogique*, t. 4.°, pag. 249.

(1) Audiatur Leroux, cujus verba ad patrium sermonem vertimus: «Es preciso que el hombre renuncie al orgullo que le hace creer que existe por sí mismo independientemente de la humanidad. Sin duda que existe por sí mismo, puesto que es la humanidad. Existe en Dios y en sí mismo en cuanto que es humanidad: pero no existe por sí mismo en Dios sino en cuanto que es humanidad, lo cual equivale á decir que

e) Mundus et natura, sicut et entia particularia quæ iisdem continentur, sunt manifestationes successivæ Dei sive entis infiniti, qui eatenus ejusmodi entia creare dicitur, quatenus eadem ex sinu suo profundit, successivo, perfectiori et indefinito motu. (1). Igitur, cum nihil extra mundum, naturam et vitam quatenus sunt manifestationes Dei, revera existat, paradisus, infernus et purgatorium christianæ religionis, tamquam mera imaginationis figmenta habenda sunt. (2)

---

el hombre no existe por sí mismo sino únicamente por la humanidad. *De l' Humanité*, t. 1.°, pag. 205.

(1) Notre foi est que... Dieu, l' invisible, l' eternel, l' infini se manifeste de plus en plus dans les créations qui se succédent, et qu' ajoutant création à création, dans le but d' élever le plus en plus à lui les créatures, il s' ensuit que des créatures le plus parfaites sortent de son sein, à mesure que la vie succède à la vie. C' est ainsi que sur notre globe l' humanité a succedé à l' animalité.» Leroux, *Op. cit.*, t. 1.°, pag. 187.

(2) «Il n' y a pas de paradis, il n' y a pas d' enfer, il n' y a pas de purgotoire hors du monde, hors de la nature, hors de la vie. Avec leur enfer, leur purgatoire, leur paradis, toutes leurs craintes et toutes leurs espérances éternelles placées hors de la nature, hors de la vie, les hommes ont fait fausse route... Dieu n' est pas hors du monde, car le monde n' est pas hors de Dieu.» *Op. et loc. cit.*, pag. 181.

Igitur non immerito Alfredus Sudre, doctrinam et theorias Petri Leroux, ad sequentia capita summatim revocat: «En filosofía este sistema se resume en la negacion de la distincion entre el alma y el cuerpo, en la negacion de la personalidad humana, en la absorcion de la razon y de la voluntad individual por la razon y la voluntad general: en religion se resume en el panteismo y la metempsícosis: en economía social, en el comunismo organizado bajo el punto de vista sansimoniano; finalmente, en política se resume en la igualdad absoluta y la democracia llevada hasta la anarquía.» *Histoire du Communisme*, cap. 20, § 1.°

§ VI.

Schola ecclectica.

Si vis nominis hujus attendatur, hæc schola eo collimat, ut ex cunctis philosophis philosophiæve systematibus, quod verum est seligat et accipiat, hacque ratione veram ac integram philosophiam constituat. Eam sic spectatam coluerunt præcipue:

1.° *Ancillon*, Berolinæ anno 1766 natus, qui quamvis apud germanos natus, Galliæ sua opera conscripsit.

2.° *Jouffroy* 1796 in Gallia natus.

3.° *Damiron* et *Royer-Collard* galli quoque philosophi, quorum omnium doctrina hisce potissimum characteribus insignitur: 1.° enim ecclecticam rationem philosophandi profitentur: 2.° Christianismum habent ut systema quoddam philosophico-religiosum, veritates partiales et incompletas, non secus ac systemata reliqua, in se continens: 3.° revera tamen quoad principia, methodum ac doctrinam proprie philosophicam, scholam scoticam præ cæteris sectantur, ita ut ecclectismus horum philosophorum haberi queat ut evolutio scholæ scotiæ.

Sed vero, si ejusmodi schola spectetur quoad rem ac doctrinam, prout exponitur et habetur apud *V. Cousin*, qui jure merito *recentioris ecclectismi* præcipuus auctor et parens prædicatur, tunc schola ista inter pantheistas

connumerari debet, quippe quæ fundamentalia pantheismi dogmata disertis verbis continet. Enimvero, apud Cousin,

a) Cum substantia sit id quod relate ad existentiam nihil ultra se supponit, unica existere potest vera substantia, nempe, Deus, qui utpote ens in se et per se subsistens, nihil ultra se supponit; proinde est ens infinitum et absolutum, ac exinde unicum, cum duo entia infinita et absoluta prorsus repugnent.

b) Deus, sicut est substantia infinita, absoluta et necessaria, ita etiam est causa infinita, absoluta, et necessaria; unde necessario se manifestat, hoc est, necessario creat, non quidem necessitate coactionis, cum Deus nullam causam vel substantiam supra se habeat a qua cogi possit, sed necessitate naturæ quæ non potest non creare vel se manifestare. (1)

c) Porro, Deus media creatione præfata manifestatur in mundo et humanitate; unde mundus et humanitas nihil aliud sunt quam phænomena, sive manifestationes phænomenales substantiæ divinæ, quæ hac ratione unitatem et varietatem, finitum et infinitum, absolutum et relativum simul continet; nam in seipsa est *una, infinita, absoluta*; quoad phænomena vero quibus manifestatur, est *multiplex, finita, relativa*.

d) Ergo vita ac proinde historia humanitatis, legibus necessariis subjicitur, cum humanitas sit evolutio vel manifestatio spontanea et necessaria substantiæ divinæ sive vitæ Dei.

---

(1) Præ oculis habeatur, Cousin, ut pantheismi notam amoveat, non raro scribere, præsertim in editionibus postremis suorum operum, Deum libere mundum creare; sed hæc libertas, apud ipsum, minime præ se fert aut significat exemptionem a necessitate, sive indifferentiam et facultatem creandi vel non creandi, sed exemptionem a coactione, vel libertatem *spontaneitatis*, ut ajebant Scholastici.

e) Similiter, ratio humana quatenus manifestatio, organum, et incarnatio quædam rationis divinæ vel absolutæ, autonomiam seu absolutam auctoritatem sibi vendicat.

Quoad alia Cousin dogmata philosophica, vide Psychol. cap. 3.°, art. 1.°, § 2.°. Idealog. cap. 2.°, art. 4.° et Cosmolog. cap. 1.°, art. 1.° § 1.° et art. 2.°, § 1.° Quæ si cum nunc expositis conjungas, facile perspicies pantheismum, psychologismum rationalistam Cartesii, ac fatalismum historicum, esse veluti tria elementa præcipua ex quibus cousiniana philosophia, integre coalescit ac exurgit.

ARTICULUS QUINTUS.

Scepticismus.

Sicut non defuere philosophi, qui principia pantheistica philosophiæ cartesianæ evolverent, ita etiam extitere philosophiæ scriptores, qui conati sunt evolvere atque ad praxim revocare semina rationalistico-sceptica quæ in præfata philosophia præcontinebantur. Inter hos porro eminent:

1.° *Le-Vâyer* (Franciscus La-Mothe) Parisiis 1588 natus, 1672 e vita excedens, qui scepticismum passim profitetur, præsertim in dialogo inscripto: *Docta Ignorantia.*

2.° *Huet* (Petrus Daniel) anno 1630 natus in Gallia, ac vita functus 1721: aggressus est demonstrare, huma-

nam rationem ad certitudinem non pertingere nisi ope fidei seu revelationis divinæ.

3.° *Bayle* (Petrus) gallus et ipse scriptor, qui anno 1647 natus, e vivis excessit Rotterodami 1706 post scriptum *Dictionarium* illud historicum et criticum, in quo impietatem simul ac scepsim verbo et opere profitetur et propugnat.

4.° *Berkeley* (Georgius) in Hibernia 1684 natus, mortuus vero 1753, scepticismum simul cum idealismo professus est. Etenim apud ipsum:

a) Nullam certitudinem adsequi possumus de existentia reali et objectiva mundi externi seu corporum, tum quia corpora nequeunt agere in spiritum a quo percipienda forent, tum quia anima vel mens nihil percipit nisi id quod intra, non quod extra ipsam est.

b) Igitur homo circa corpora ipsorumque qualitates et attributa, cognitionem pure phænomenalem, vel subjectivam et apparentem (1) solummodo obtinere potest, ita ut nihil certi pronuntiare valeat circa præfatorum objectivam realitatem.

c) Quandoquidem, argumenta illa quæ demonstrant, odorem, saporem cum cæteris qualitatibus secundariis, non in rebus extra nos positis, sed in nostra anima solum existere, eadem ostendunt, extensionem ac proinde materiam vel corpora, veram existentiam objectivam minime habere, sed esse mentis nostræ subjectivas conceptiones.

5.° *Pascal* (Blasius) in Gallia 1623 natus, ac 1662

---

(1) « Tous les phénomènes sont en realité des apparences dans l' âme ou dans l' esprit. « « Parler de l' existence absolue de choses non pensantes est prononcer des mots vides de sens, ou qui impliquent contradiction. » « L' ame ou l' esprit existe réellement et en verité... les corps n' existent qu' en un sens secondaire et rélatif. » *Princ des Conn. hum.*, pag. 24, et *Siris*, pag. 336.

vitam cum morte commutans, qui docet: 1.° non aliam proprie dari certitudinem naturalem, præter eam quæ oritur ex geometrarum demonstrationibus. (1) 2.° Nos nec corpus nec spiritum, nec alia quamplurima per certitudinem rationalem scire posse. Quinimo Deum ipsum, non tam ratione quam corde, (2) seu naturæ instinctu cognoscit homo.

6.° *Hume* (David) qui Edimburgi in Scotia 1711 lucem aspexit, ibidemque vitam cum morte commutavit anno 1776. Scriptor hic scepticismum præ cæteris coluit ac evolvit. Apud ipsum namque,

a) Ideæ quibus intellectualis cognitio perficitur, a sensationibus solum differunt, quatenus sunt debiliores impressiones. Cæterum, nos prorsus nescimus undenam originem ducant ejusmodi intellectuales ideæ. (3)

b) Homo quidem in seipso percipit ac experitur multiplices sensationes, ideas, affectiones, etc. ast minime ex his inferre licet unitatem, nec simplicitatem, nec identitatem rationalis animæ.

c) Nobis item spiritualis substantia nihil est aliud quam complexus determinatarum affectionum seu phænomenorum internorum; substantia vero materialis, collectio quædam externorum seu sensibilium phænomenorum. Unde vera ac realis natura substantiæ, tam spiritualis, quam materialis, nobis penitus est ignota.

d) Atque idcirco etiam prorsus ignoramus, utrum

---

(1) «Les geometres seuls y arrivent, et hors de leur science, il n' y a point de véritables démonstrations.»

(2) «C' est le cœur qui sent Dieu, et non la raison.» *Pensées*, pag. 172 apud Ritter, *Op. cit.* tom. 1.°, pag. 304.

(3) «Leur cause dernière est, dans mon opinion, parfaitement inexplicable à la raison humaine, et il sera toujours impossible de decider avec certitude si elles resultent immediatement de l' objet, ou si elles sont produites par le pouvoir createur de l' esprit, ou si elles emanent de l' auteur de notre être.» *De Nat. hum.*

materialis substantia cogitare valeat: nec ulla ratione demonstrari potest animæ rationalis immortalitas.

e) Similiter falsitati vel saltem incertitudini subsunt demonstrationes cunctæ quæ principio causalitatis innituntur; quoniam phænomena quidem sibi succedentia perspicimus, sed nullo reali nexu ligantur; (1) vel saltem a nobis nequit percipi, si revera existit.

f) Quapropter, nec ipsius Dei existentiam certo agnoscere possumus aut demonstrare; tum quia notio vel idea causæ, cui præfata demonstratio nititur, incerta nobis et dubia existit; tum quia etiamsi vim aliquam notio ejusmodi haberet quoad res sensibiles, nullam profecto sibi vendicat, dum ad spiritualia vel insensibilia transfertur.

ARTICULUS SEXTUS.

Ontologismus.

Satis notum est, Nicolaum Mallebranche, qui primus atque præcipuus extitit adsecla et parens recentioris ontologismi, ex schola cartesiana prodiisse. Quod si Gioberti, alter ontologismi moderni præcipuus propugnator, Cartesium oppugnat atque rejicit, id nihil obstat quominus dicatur ipsius ontologismum ex schola cartesiana

(1) «Un événement suit l'autre, mais nous ne saurions jamais apercevoir entre eux aucun lien. Ils semblent rapprochés, jamais enchaînés.» *Essais*, 2.°, pag. 88.

originem ducere; quandoquidem, itali philosophi ontologismus affinitatem præ se fert cum ontologismo mallebranchiano, sicut ex sequentibus paragraphis colligere licebit.

§ I.

Philosophia Mallebranche.

Mallebranche (Nicolaus) Parisiis 1638 lucem aspexit, atque e vita migravit anno 1715. Ecclesiasticæ militiæ adscritus fuit, atque Oratorii Congregationi nomen dedit. Scholæ et doctrinæ cartesianæ vehementer addictus, ex eadem sua præcipua dogmata philosophica deprompsit, (1) quamquam ab eadem in nonnullis declinavit. Ejus præcipua dogmata hisce continentur:

a) Quadrifariam res aliqua cognosci potest: 1.° *per seipsam;* quo modo solus Deus, qui per seipsum est intelligibilis, cognosci potest: 2.° *per conscientiam;* atque hac ratione cognoscimus nostram animam, sed valde imperfecte, quia ex ejusmodi cognoscendi modo, nulla idea clara potest oriri: 3.° *per conjecturam;* qui cognos-

(1) «Il s' était occupé avec ardeur des langues et d' histoire, lorsque l' écrit de Descartes sur l' homme tomba entre ses mains. Ce hasard décida de sa vocation philosophique. Avec tout le feu d' un esprit replié sur lui-même... il s' attacha aux recherches de l' école cartesienne.» Ritter, *Histoir. de la Phil. Mod.* t. 1.°, pag. 321.

cendi modus, alium priorem necessario præsupponit: *4.° per ideas;* atque solummodo harum ope corpora cognoscere possumus.

b) Porro ejusmodi ideæ quibus corpora cognoscuntur, nec oriri possunt ab ipsis corporibus vel objectis externis, nec produci possunt ab ipsa mente, nec a Deo animæ, sive dum creatur, sive dum actu intelligit, infunduntur, sed in Ente perfectissimo summeque intelligibili reperiuntur, scilicet, Deo, cui hominis anima unita et conjuncta existit.

c) Ergo corpora non nisi in Deo cognoscere possumus, quatenus intuemur ipsorum ideas in Dei essentia contentas; imo vero, res omnes ac entia particularia in Deo cognoscimus. (1) Etenim Deus qui omnia produxit, ac omnium rerum ideas præcontinet, seipsum revelat et communicat rationali animæ; ita ut sicut spatium est locus corporum, ita Deus sit locus et veluti sedes spirituum.

d) Sicut igitur Deus, ratione idearum in quibus homo res cognoscit, universale et unicum objectum humanæ cognitionis constituit, ita etiam est unica, (2) vera et universalis causa efficiens rerum omnium, ita ut res creatæ omni vera activitate et vi aliquid efficiendi careant, sintque meræ *occasiones* effectuum, qui quotquot in mundo cernuntur, a Deo ipso producuntur.

---

(1) « Dès lors, il ne lui reste plus qu' une solution possible: *Nous voyons en Dieu toutes choses...* C' est en Dieu que nous voyons, suivant, Mallebranche, *les êtres particuliers.*» De Gerando, *Histoire comp. des syst. de Phil. mod.* t 2.°, p. 300—302.

(2) « Il n' y a donc qu' un seul vrai Dieu et qu' une seule cause qui soit véritablement cause, et l' on ne doit pas s' imaginer que ce qui precede un effet en soit la véritable cause. » *Recherc. de la Ver.* P. 2.ª, pag. 222. Et alibi: « Il n' y a nul rapport de causalité d' un corps, à un esprit. Que dis-je?: il n' y en a aucun d' un esprit à un corps. Je dis plus: il n' y en a aucun d' un corps à un corps, ni d' un esprit à un autre esprit. »

e) Hinc volitiones hominis circa singularia objecta, sunt causa occasionalis boni moralis, quod nobis inest, illæque ex parte objecti determinantur vel oriuntur ex voluptate sola. (1) Quinimo, voluntas humana solum est causa occasionalis motuum corporis humani; hos vero motus solus Deus producit tamquam causa efficiens.

f) Universum hocce est optimum inter omnes possibiles; siquidem Deus non potuit non velle mundum optimum producere, cum nulla ratio sufficiens possit assignari, quæ eum determinare potuerit ad producendum mundum minus perfectum, seu qui non sit optimus inter possibiles.

g) Quantitas vel extensio non est accidens vel modus corporum, sed horum essentiam et substantiam constituit. Ceterum, utrum præfata corpora seu substantiæ materiales revera extra nos existant necne, minime per rationem naturalem potest demonstrari; unde corporum objectiva atque realis existentia, per solam revelationem certo cognosci potest.

h) Sed vero, cum spiritus sint substantiæ nobiliores perfectioresque corporibus, consequitur necessario ejusmodi spiritus seu substantias spirituales revera existere; secus namque mundus a Deo creatus non esset omnium possibilium optimus. Igitur, objectiva existentia spirituum, rationi humanæ est multo certior, quam existentia realis et objectiva corporum.

i) Verbi Divini incarnatio seu unio cum natura humana, est conditio necessaria creationis sive mundi; nam si ejusmodi incarnatio divina locum non habuisset, mundus iste non esset perfectissimus inter omnes possibiles.

---

(1) « Le plaisir est le motif unique qui les détermine à faire generalement tout ce qu' ils font.» *Traité de l' amour de Dieu*, pag. 248.

Observatio.

Ex nunc expositis, hæc sponte profluunt: 1.° Mallebranche, ut sæpe contingit eis qui in errore versantur, sibipsi minime constat, ut dum ex. gr. docet nos omnia in Deo videre, ac simul in Deo non videre nostram et aliorum hominum animas. (1)

2.° Ejus theoria cognitionis est reminiscentia et applicatio quædam theoriæ platonicorum.

3.° Sensui communi adversatur, ac in periculum vertit vel potius perimit libertatem humanam, dum occasionalismum propugnat.

4.° Unum e præcipuis fundamentis moralis christianæ convellit; cui præterea nocet, ac sensualismo accedit, dum docet voluntatem objective determinari ex voluptate quæ objectum comitatur. Ergo mirari certe licet, philosophum istum tantopere a catholicis quibusdam celebrari, cum præcipua dogmata traditionemque philosophiæ christianæ, vel præpostere acceperit, vel contempserit et oppugnaverit.

---

(1) Ut merito proinde de Gerando scripserit: «Arnauld... relève, dans le système de Malebranche, des contradictions sans nombre. La première, et c'en est une sans doute, est de avoir annoncé que nous voyons *toutes choses en Dieu*, lorsque cependant, d'après le même philosophe, nous n'y voyons ni notre âme, ni celles des autres hommes. Mallebranche ne se contredit pas moins tantôt admettant que nous voyons par les idées de Dieu, et tantôt, qu'on ne le voit pas.» etc. *Op.* et *loc. cit.* pag. 309.

§ II.

Gioberti.

Gioberti (Vincentius) italus philosophus, publicus professor Augustæ Taurinorum extitit; postea vero propter doctrinam et theorias politicas exilio multactus, in Italiam revertitur anno 1848, atque tandem Parisiis e vivis excedit anno 1852. Ontologismum malebranchianum exuscitavit novaque ratione evolvit. Apud ipsum etenim,

a) Homo spontanea quadam et primitiva cogitatione percipit vel potius intuetur *Verum* absolutum, ac primum *Intelligibile*, quod *Ideam* libet eidem appellare.

b) Ast vero, quoniam hæc *Idea*, (quæ est ipsemet Deus, seu ens infinitum) utpote immensa et infinita, captum seu vim limitatam humanæ rationis prorsus superat, ejusdem primitiva illa intuitio nonnisi vaga, confusa ac indeterminata in humana mente existit: quamobrem opus est, ut ope reflexionis scientificæ clara et determinata rationi reddatur; qua in re maxime juvatur mens sermone, cujus auxilio *Ideam* objective infinitam, intellectus humanus finito modo intuetur.

c) Itaque sicut *Idea* sive verum absolutum, est primum ac immediatum mentis objectum, ita quoque est *primum philosophicum*, hoc est, primum principium scientiæ. Imo vero, principium hocce in se continet

simul primum *psychologicum*, ac primum *ontologicum;* nam complectitur intuitionem *Ideæ*, tum quatenus est principium et causa existentiarum realium, tum quatenus est principium et ratio idearum intelligibilium.

d) Hominis ratio, dum *Ideam* intuetur, eam percipit immediate in concreto, sive prout in seipsa existit; ergo cum *Idea* vel Deus nunc existat ut creans res finitas, mens humana, dum intuetur Deum, intuetur simul creationem hujusque proinde terminum, hoc est, entia actualia.

e) Ex quibus infertur quod primum principium scientificum, hocce continetur effato: *Ens creat existentias*, quod quidem judicium duo alia complectitur, quorum primum est: *Ens existit*, alterum vero: *Ens creat.*

Observationes.

1.° Ex his colligi videtur, theoriam ontologicam Gioberti ad duo hæc posse revocari: 1.° Idea sive Ens absolutum, quatenus ab homine immediato intuitu percipitur, constituit *primum philosophicum*, ut ita dicam, *incomplexum* scientiæ: 2.° primum vero philosophicum complexum scientiæ, continetur hoc judicio: *Ens creat existentias.*

2.ª Cæterum, si a Gioberti doctrina ontologismi placita, quæ solummodo hic nos exposuimus brevitatis studio coacti, semoveas, invenies philosophiam in qua ingenium, elevatio, veritas ac consensus cum philosophia scholastico-christiana satis elucent; in qua simul cartesianismi et systematum aliorum recentioris philosophiæ placita ac errores vehementer oppugnantur.

ARTICULUS SEPTIMUS.

Scholæ extra cartesianam.

Evolutio philosophiæ cartesianæ et systematum quæ ex eadem originem aut occasionem habuerunt, locum dedere reactioni cuidam, ex qua scholæ quædam, adversus præfata systemata insurrexerunt postremis temporibus. Sic, ex c. schola scotica adversus scepticismum, schola exterioristica seu traditionalismus adversus rationalismum cartesianum, schola transcendentalis adversus idealismum simul atque sensualismum, qui post Cartesium philosophiam modernam deturpaverant, surrexerunt. De iis itaque scholis, simulque de quibusdam philosophis ad easdem accedentibus, singulis paragraphis, dicemus.

§ 1.

Schola scotica.

Schola hæc, quamquam cartesianismo amicas manus porrigit, ex qua parte psychologismum consectatur atque extollit, ab eodem tamen recedit, quatenus semina sceptica cartesianæ philosophiæ, scepticismumque ex eadem promanantem, retundere et oppugnare tentavit.

Atque hujus quidem scholæ rudimenta posuere plane Shaftesbury atque Hutcheson, eamdem tamen evolvit ac constituit, ita ut ejusdem parens et auctor jure dicatur, *Thomas Reid* in Scotiæ regno 1710 natus, et ibidem 1796 mortuus. Præcipuus scopus hujus scholæ fuit idealismum Berkeley ac scepticismum Hume rejicere et expugnare, quem ut assequeretur, sequentia statuit:

a) Philosophia innititur quibusdam veritatibus primariis et fundamentalibus quæ demonstrari nequeunt, sed quibus homines cuncti ex instinctu quodam spontaneo, atque ex ipsa naturæ constitutione assensum præbent; atque his tamquam principiis innituntur demonstrationes et certitudo scientiæ. (1)

---

(1) «Tout raisonnement procéde nécessairement des principes derniers; et nous ne pouvons rendre autrement raison des principes premiers qu'en disant que nous sommes soumis par la constitution de

b) Inter ejusmodi primarias veritates, quædam sunt *contingentes*, ex. c.: *Quæ sensibus percipiuntur revera existunt = Quod in sensu intimo seu conscientia percipitur, realem habet existentiam — Ea quorum distincta et clara memoria nobis inest, revera extiterunt*, etc. Aliæ sunt *necessariæ*, ut hæ: *Effectus causam supponit ac exigit = Opus harmonicum et ordinatum, supponit causam ratione præditam*, etc.

c) Igitur sensus, memoria, ratio cum cæteris hominis facultatibus, veritatem sibi respondentem ex propria natura capiunt et agnoscunt; unde verum ac unicum scientiæ seu veritatis criterium est sensus communis, quo vera a falsis ex instinctu naturæ discernimus, (1) et qui idcirco est fundamentum et radix totius philosophiæ.

d) Tam sensus quam intellectus, objecta immediate percipiunt aut attingunt, nec proinde ullæ dantur species vel ideæ, quarum ope præfatæ perceptiones locum habeant.

Observatio.

Schola scotica, cui post Reid adhæserunt Beattie, Ferguson, Smith, Dugald Stewart, in Gallia vero Royer-Collard, duplici præsertim vitio laborat. Primo etenim, philosophiam, qua talem seu rationalem scientiam, de medio tollit, dum non aliud fundamentum et criterium eidem assignat nisi cæcum quendam instinctum. Deinde, philosophiam valde incompletam continet, quippe quæ psychologia quadam empirica, tota

---

notre nature à la nécessité de les admettre... Si ces principes nous abussent, nous sommes trompés par celui même qui nous a faits, et il n'y a pas de remède.» Reid. *Recher. sur les fac. int.* cap. 6.° pag. 298.

(1) «La philosophie n'a pas d'autre racine que les principes du sens comun, c'est le fondement sur lequel elle s'eleve.» Reid, *op. cit.*

quanta est, fere clauditur; quandoquidem ipsius rationalis animæ intimam naturam et attributa vix investigare audet, ac de cosmologia, metaphysica, et theologia naturali, prorsus fere silet.

§ II.

Philosophi quidam ad scholam scoticam quodammodo seu partim accedentes.

Cum schola scotica affinitatem quandam sibi vindicat philosophia

A) *Vico* (Joan. Baptista) qui Neapoli in Italia anno 1668 natus, et ibidem 1740 vita functus est, apud quem: 1.° certitudo scientiæ atque humani judicii, innititur hominum sensui; quo quidem nomine significatur judicium sponte et absque reflexione efformatum, ita ut criterium veritatis sit sensus individualis, quatenus firmatur et perficitur per sensum communem: (1) 2.° ex qua doctrina, inter alia, colligit, nos perfectius ac majori certitudine infinitum quam finitum, animam quam corpus, Deum quam hominem, cognoscere. (2)

---

(1) «El juicio humano, incierto por su naturaleza, obtiene su garantía por medio del sentido comun de los hombres... El sentido comun es un juicio irreflexivo el cual mas bien es sentido que formado.» Vico, *Scienza Nuo.* lib. 1.° § 12 et sqq.

(2) «La metafísica nos enseña que lo infinito es mucho mas cierto para nosotros que lo finito; el alma mas que el cuerpo, y Dios mas que el hombre.»

Ejusdem theoria socialis, tribus sequentibus affirmationibus, tamquam principiis fundamentalibus nititur et continetur: 1.ª homines non solum post creationem sed etiam post diluvium, penitus barbari, muti, et bestiarum more vixerunt: 2.ª in ordine intellectuali, morali et sociali, evolvi et perfici inceperunt adinveniendo et adhærendo *religioni*, *matrimonio* et *sepulturæ* mortuorum, quæ constituunt tres consuetudines seu institutiones humanas universales, æternas, atque idcirco communes omnibus nationibus: (1) 3.ª tandem summa perfectio et scopus nationis cujuslibet vel societatis, tunc exsurgit et habetur, dum in æquilibrio consistunt, vel congrua et æqua ratione junguntur tria hæc elementa: *monarchicum*, *aristocraticum* et *democraticum;* (2) quæ quidem elementa Vico appellat elementum divinum, elementum heroicum et elementum humanum.

B) *Jacobi* (Frid. Henricus) in Germania anno 1743 natus ac 1819 mortuus. Namque ejus sententia: 1.° homo ad veri possessionem per certitudinem pertingit per

---

(1) «Examinant ensuite le monde social... Vico decouvre trois coutumes *éternelles et universelles: la religion*, *le mariage*, *la sepulture*...

Selon Vico, parmi les hommes devenus bêtes après le déluge, la pensée sociale naquit dans la tête des plus forts et des plus violents, c'est-à-dire des géants, parce que le bruit du tonnerre leur révéla un être plus fort qu'eux. De là l'idée de Dieu ou la religion. Vinrent ensuite les mariages, et enfin les sepultures.» *Encyclop. du XIX siècle*, t. 25, pag. 253.

(2) «Selon la théorie dont nous poursuivons l'examen critique, l'humanité tourne dans un cercle... l'humanité entrera en possession de son type absolu si elle reussit à balancer et à pondérer l'un par l'autre ses trois éléments constitutifs: l'élément monarchique, l'élément aristocratique et l'élément democratique, ce qui, dans le langage employé par Vico, s'appelle l'élément divin, l'élément héroique et l'élément humain.» *Ibid.* pag. 254.

fidem seu persuasionem instinctivam et naturalem, cujus ope mundum visibilem seu corporum cognoscit per sensus; mundum vero invisibilem vel spiritualem, per rationem, quatenus, nempe, homini in propria conscientia datur intuitio rationalis, primitiva et immediata objectorum spiritualium, sicut et ope sensationum objecta mundi sensibilis immediate percipit: 2.° itaque scientia vel philosophia præsupponit cognitionem primitivam ac *certam fidem naturalem* realitatis objectorum; ejusque officium peculiare et unicum, illud erit, evolvere ope reflexionis et demonstrationum, idem quod per fidem et intuitionem rationis, jam sciebat: unde 3.° unicum ac fundamentale criterium veritatis, est ipsamet propensio seu vis insita sensui ac rationi ad verum.

C) *Lamennais* (Felicitas Robertus) anno 1780 in minori Britannia natus, Parisiis vero 1854 mortuus, qui in opere cui titulus: *Essai sur l' indifference en matière de religion*, docet: 1.° individuam hominis rationem, nullam veritatem per certitudinem scire aut demonstrare posse: 2.° certitudinem assensus quem veritati præbet homo, oriri ex propensione spontanea et invincibili naturæ: 3.° regulam seu criterium pro hujusmodi propensione naturæ dijudicanda, esse communem sensum; atque proinde, præcipuum et ultimum veri criterium in præfato communi sensu esse constituendum.

§ III.

Schola exterioristica sive Traditionalismus.

Schola exterioristica seu *Traditionalismus*, ea dicitur, cujus propria tessera est adfirmare, hominis rationem sive individualiter sive collective sumptam, si propriis viribus relinquatur, nec ipsas faciliores et fundamentales veritates metaphysicas et morales per certitudinem cognoscere aut demonstrare posse, ita ut harum veritatum certam notionem, nonnisi ope divinæ revelationis homo possit adipisci. Inter eos qui huic scholæ vel adhæserunt, vel eam foverunt, præcipui connumerantur:

A) *Bonald* (Ludovicus-Gabriel Ambrosius) qui in Gallia anno 1754 natus est, atque ibidem vitam finivit 1840. Præcipua traditionalismi dogmata, omnium primus scientifica ratione tradidit, atque, præter alia, sequentia docet:

a) Homo quidem ens intelligens seu cogitans existit; attamen suam ipsam cogitationem minime agnoscit aut possidet, nisi quatenus eamdem verbo exprimit.

b) Igitur, cum propriam cogitationem homo verbo nequeat exprimere, nisi quatenus ejusmodi verba ab aliis audit atque recipit, consequitur plane, tum verba, tum cogitationes ipsas, sive notiones et ideas quibus cogitatio perficitur atque scientia constituitur, homini ab extrinseco advenire.

c) Ergo, cum nihil extra hominem et supra hominem

sit, quod hæc perficere possit nisi solus Deus, ens summe intelligens ac hominis creator, colligere oportet Deum primitus homini revelasse, tum veritates omnes quas homo cognoscit, tum verba vel sermonem quibus exprimuntur.

d) Itaque, humana cognitio, etiam ea quæ ad ordinem naturalem spectare dicitur, ex primæva revelatione Dei originem duxit: quapropter dum singuli homines scientiam vel veritatem addiscunt aut acquirunt, id eatenus perficitur, quatenus unus homo alteri simul cum verbis alteri communicat vel tradit veritates primitus homini simul cum verbo per Deum revelatas.

e) Immo vero, sicut veritates metaphysicæ et morales homini obveniunt ex primitiva illa Dei revelatione, quæ homini per societatem communicatur et traditur, ita ex revelatione scripta Dei, quæ in Sacra Scriptura continetur originem et firmitatem accipiunt ejusmodi et aliæ omnes veritates, præsertim vero, quæ ad religionem et societatem spectant. (1)

Observatio.

Quispiam facile agnoscit, systema bonaldianum, sicut et theorias quorumdam aliorum adseclarum traditionalismi, tendere atque viam parare confusioni aut identificationi divinæ revelationis cum scientia naturali, simulque e medio prorsus tollere relativam independentiam et vires proprias humanæ rationis; (2) quas quidem

---

(1) Unde merito habet Haffner: «Mais Bonald va plus loin en distinguant la révelation orale de la révélation écrite; il accorde la préférence à l' Ecriture, produit divin ainsi que la parole... et dès lors l' Ecriture sainte est pour lui la source de toute sagesse humaine; c' est d'elle que découlent non-seulement les principes religieux, mais tous les principes sociaux, en particulier ceux qui fondent la monarchie.» *Diction. encyclop. de la theolog. cath.*, t. 3.°, pag. 191.

(2) Quapropter jure scribit cit Haffner: «Il est à peine nécessaire de remarquer que, dans ce système, d' une part la Révélation cesse de

vires ad exaggerationem usque imminuit, agnoscereque renuit schola traditionalismi.

B) *Bautain* Parisiis anno 1797 natus, qui primum discipulus Cousin, deinde philosophiæ professor apud Strasburgum, tandem anno 1828 ecclesiasticæ militiæ adscriptus, traditionalismi dogmatibus partim saltem adhæsit in opere cui titulus : *De l' Enseignement de la philosophie en France au XIX siècle.* Docebat etenim, præter alia, hominem non posse per certitudinem cognoscere neque demonstrare existentiam Dei. Postea vero Apostolicæ Sedis judicio et auctoritati, laudabili exemplo, se subjecit. Præter laudatum opusculum, et alia quædam, scripsit opus cui titulus: *Philosophia Christianismi.*

§ IV.

Schola transcendentalis.

Schola transcendentalis (2) sive *Criticismus Kantianus*, nomen desumit a Kant ejus auctore, Regiomontano

différer de la connaissance naturelle, qui est confondue avec la connaissance surnaturelle, et que de l' autre la connaissance naturelle perd toute espèce d' independance.» *Op. cit.*

(1) Hujus nominis significationem ac fundamentum, sic describit de Gerando: «Cette philosophie prend encore le nom de *transcendentale*, en ce sens qu' elle ne s' occupe point des objets de notre connaissance, mais, an contraire, du mode même de la connaissance que nous en prenons, et qu' elle cherche à expliquer *a priori* la possibilité de cette connaissance.» *Histoire Comp.*, etc., t. 4.°, pag. 221.

(Kœnisberg) philosopho, qui anno 1725 lucem aspexit, ac vitam cum morte commutavit anno 1804. Quamvis difficile admodum sit hujus philosophi systema paucis exponere et enucleare, tum ob amplitudinem doctrinæ, tum ob novitatem et conditionem terminologiæ, summa capita ejus philosophiæ prout in *Critica rationis puræ*, (1) continentur, brevitati simul et perspicuitati consulentes, sic exponimus :

a) Homo possidet tres facultates primitivas cognitionis, nempe : *sensibilitatem*, quæ præter sensus externos, complectitur sensum intimum seu conscientiam, et imaginationem: *intellectum*, qui est facultas efformandi *conceptus* et *judicia: rationem*, seu facultatem ratiocinandi. *Sensibilitas* est facultas *passiva*, cujus duplex est munus; quorum primum est recipere impressiones objectorum, quod proprie sensationem constituit : alterum percipere in conscientia repræsentationem objecti singularis, impressionem vel modificationem producentis. Porro, ejusmodi repræsentationes, quatenus in eis et per eas percipiuntur ab anima objecta individualia , constituunt *intuitionem* sensibilem. Intellectus e contra, est facultas *activa* et spontanea, cujus propria manifestatio seu character *est cogitatio* : sed hæc duplicem actum involvit, nempe, *efformandi conceptus* seu notiones, et *judicandi;* quandoquidem, ad intellectum pertinet, tum impressiones ac repræsentationes sensibiles in unitatem redigere efformando *conceptus* generales seu notiones, tum juxta hosce conceptus judicare. (3) *Ratio* demum, *activa* quo-

---

(1) Hoc nomine significare vult Kant, ut ipsemet scribit: «La ciencia que determina la posibilidad de establecer principios *a priori*, ó sea de derivar todos los conocimientos de una fuente *a priori*.»

(2) «L' entendement au contraire, est une faculté active, spontanée. La pensée est son privilége, l' acte qui la caractérise. Elle réunit les impressions sensibles, en compose un tout, engendre les notions ou

que est, utpote supremus gradus activitatis spiritus; ejusque proprium munus est particulare ex universali ac primis principiis inferre ope ratiocinii; unde definiri potest: *facultas deducendi.*

b) Itaque, repræsentationes sensibiles rerum singularium, quas ope sensationis tam externæ quam internæ obtinemus, constituunt materiam et objectum sensibilitatis, vel alio nomine, *intuitiones empiricas sensibilitatis*; ejusmodi repræsentationes seu *intuitiones*, sunt veluti materia ex qua et cum qua *intellectus* abstrahit et efformat *conceptus* seu notiones generales, ac *judicia*; tandem, *ratio* ope deductionis aut ratiocinii, præfatas *notiones* ad supremam unitatem redigit ac veluti convertit in *ideas* puras seu *transcendentales.*

c) Sed vero, quamvis intuitiones, notiones seu conceptus constituant veluti *materiam* generalem cognitionis humanæ, hujus tamen exercitium dependet a quibusdam legibus necessariis spiritus, quæ constituunt veluti *formam* cognitionis humanæ: quæ quidem forma est et quid *subjectivum*, quia non objectum sed subjectum cognoscentem afficit; et quid *purum* vel non empiricum, quia ejus fundamentum et ratio sufficiens, est ipsamet natura animæ seu facultatum cognoscendi; et quid *a priori*, quia in subjecto cognoscente existunt antecedenter ac independenter ab omni experientia.

d) Porro, ejusmodi forma, quoad sensibilitatem, sunt intuitiones *puræ a priori* seu primitivæ *spatii* et *temporis*, quia nihil sensu externo aut interno possumus percipere, nisi sub repræsentatione spatii et temporis. Unde apud Kant, formæ ejusmodi, quatenus conditiones subjectivæ et *a priori* quoad exercitium sensibilitatis, his

---

conceptions, produit les jugements.» *Crit. ration. purœ.*, pag. 177-158 apud De Gerando, *loc. cit.*, pag. 224.

regulis subjiciuntur: 1.ª *Objectum quodvis sensibus externis oblatum, invenitur in spatio cujus attributa præ se fert.* 2.ª *Objectum quodvis nostris sensibus sive externis sive internis oblatum, in tempore existit hujusque proprietates præ se fert.* (1) Formæ *a priori* intellectus, quatenus est *facultas judicii*, sunt *quantitas, qualitas, relatio, modalitas*; quarum quælibet in alias resolvitur, nempe, quantitas continet *unitatem, pluralitatem, totalitatem:* qualitas continet *affirmationem, negationem, limitationem;* relatio continet, *inhærentiam et subsistentiam,* (accidens, et substantiam) *causalitatem et dependentiam* (causam et effectum) *societatem:* modalitas, *possibile et impossibile, esse et non esse, necessitatem et contingentiam*: hisce continentur *notiones puræ* intellectus, quæ etiam *categoriæ* ac *formæ* judicii nuncupari queunt. Tandem, ratio suas quoque habet *formas a priori*, quæ sunt: 1.° *subjectum absolutum* seu *ego absolutum*: 2.° *causa absoluta* sive *Deus:* 3.° *totum absolutum* sive *universum.*

e) Nullius rei objectivam realitatem certo cognoscere potest homo, nisi quatenus subjicitur experientiæ, (2) seu quatenus «objectum nobis datur in sensibili intuitione;» ex quo infertur, hominem minime posse certo demonstrare aut cognoscere objectivam realitatem rerum spiritualium aut pure intelligibilium, nec earumdem naturam et attributa. (3) Imo etiam, quoad ipsa ob-

---

(1) *Crit. rat. puræ*, pag. 51.

(2) «Nos connaissances réelles ne s' étendent point hors du domaine de l' experience.» *Op. cit.*, pag. 729.

(3) «Namque, ut bene habet De Gerando : « Il (Kant) ajoute même que... tout ce qui ne correspond point à une expérience possible ne peut nous fournir l' objet d' une connaissance objective.

Toutes les grandes questions psychologiques, cosmologiques, théologiques, c' est-à-dire, par exemple, l' existence du principe pensant, sa simplicité, son immortalité, sa liberté, le commencement du monde,

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

jecta sensibilia quæ experientiæ sensibili subjiciuntur, cognoscimus quidem ipsorum repræsentationem (*phænomena*) in nobis, vel quod in idem reddit, nos sub hac vel illa ratione et affectione ea percipere ; eorumdem tamen naturam, prout in seipsa (*noumena*) extra nos existit, minime cognoscimus. (1) Atque hoc quidem, non modo in objectis externis, sed in ipsa rationali anima, seu *ego humano* locum habet. (2)

f) *Judicium*, quod constituit propriam functionem *intellectus*, est vel *analyticum*, si prædicatum in notione subjecti præcontinetur ; vel syntheticum, si nexus inter prædicatum et subjectum experientiæ innitatur, ut in hoc: *corpora sunt gravia :* quæ judicia *a posteriori* dici queunt. Sunt tamen quædam judicia, quæ nec analytica vel *a priori* absolute nuncupari possunt, cum prædicatum in subjecto non contineatur; nec etiam absolute seu proprie synthetica, quia nexus inter prædicatum et subjectum non innotescit per experientiam, ut contingit in his: *omnis mutatio causam habet: mundus incepit esse*, quæ, sicut et alia similia, *synthetica a priori* jure debent nuncupari.

g) Veritas, alia est *logica* seu *formalis*, quæ posita est in conformitate seu concordantia cognitionum inter se: alia, *materialis* seu objectiva, quæ constituitur per con-

---

la divisibilité de la matière à l'infini, l'existence de Dieu, ses attributs, etc., toutes ces questions sont dans ce cas.» *Op. cit.*, t. 4.°, pag. 256.

(1) «Nous ne pouvons savoir ce qu' ils (objecta sensibili experientiæ obnoxia) sont, mais seulement ce qu' ils nous paraissent au travers des formes de nos propres facultés.» *Crit. rat. pur.*, pag. 306, apud De Gerando, *Loc. cit.*, pag. 249.

(2) «Et il faut remarquer, subdit germanus philosophus in *Crit. cit.* apud De Gerando, encore que notre propre *moi*, consideré comme objet n' est aussi pour nous qu' un phénomène, qu' une *apparence*; nous ne savons rien, nous ne pouvons rien savoir de ce qu' il est en lui-même.»

formitatem seu adæquationem cognitionis cum objecto cognito. Porro, si ejusmodi objectum est sensibile, veritas dicitur empirica ; si vero sit spirituale (*supernaturale*, apud Kant) sive pure intelligibile, tunc veritas dicitur metaphysica.

h) In assensu quo veritati vel ejus illusioni aut similitudini adhæret mens, quatuor gradus distinguere oportet. Horum primus congrue appellatur *persuasio*, quæ revera nihil præ se fert nisi puram illusionem veritatis, dispositioni subjecti unice innixam: alter dicitur *opinio*, qui gradus respondet probabilitati seu verisimilitudini ; hæc porro opinio locum non habet in rebus ad *rationem puram* (in rebus mathematicis, metaphysicis et moralibus) spectantibus, sed in his solum quæ experientiæ subjiciuntur : tertius gradus est *fides*, quæ locum habet dum quidpiam ut verum habemus ratione motivi vel fundamenti ex parte subjecti, non vero ex parte objecti ipsius, seu rei objective spectatæ, se habentis: (2) tandem, quartus gradus nominatur *certitudo*, quæ tunc habetur dum rei adsentimur propter sufficientia fundamenta tam subjectiva quam objectiva. Ceterum, si ejusmodi certitudini adjungatur præterea conscientia *necessitatis* veritatis illius cui adsentitur mens, tunc certitudo appellatur et est *apodictica*.

---

(1) «Croire, c' est admettre une chose comme vrai, par des fondements suffisants sous le rapport subjectif, insuffisant sous le rapport objectif.» *Crit. rationis pract.*, pag. 11.

§ V.

Observationes in philosophiam kantianam.

1.ª Philosophia kantiana theoretica, (1) idealismum transcendentalem continet; quandoquidem Kant, eo ipso quod adfirmat et constituit, *conceptus puros* atque *ideas* absolutas, esse formas *subjectivas* et *a priori* intellectus et rationis, simul adfirmare et constituere cogitur, hominem pertingere non posse ad cognitionem objectorum spiritualium aut intelligibilium, quæ experientiam sensibilem effugiunt: unde ejusmodi cognitionem objectivam homini abjudicat non modo quoad factum, sed etiam quoad *possibilitatem*; quod profecto idealismum transcendentalem constituit: quia, apud Kant, mundus ipse corporeus ac sensibilis, nobis quidem innotescit quoad repræsentationes (*phænomena*) quibus nos afficit, ast minime quoad ejus naturam in seipso, (*noumena*) sive objectivam realitatem.

2.ª Ergo philosophia kantiana scepticismum similiter involvit; siquidem, juxta ejus principia, nihil certi

---

(1) Dico *theoretica*, quia hic solum expono eam quæ habetur in *Critica rationis purœ*, non vero quæ continetur in *Critica rationis practicœ*, in qua regiomontanus philosophus emollire conatur idealismum et scepticismum ex *Critica rationis purœ* exurgentes.

pronuntiare licet circa objectorum existentiam et naturam in seipsis, sive objective spectatis. (1)

3.ª Atque ex his omnibus liquido constat, pantheismum subjectivum et idealismum Fichte et Hegel, esse aplicationem et evolutionem idealismi transcendentalis Kant.

ARTICULUS OCTAVUS.

Philosophi extra scholam Cartesii.

Præter scholas et philosophos, de quibus in præcedenti articulo, extitere atque existunt tribus postremis sæculis,

---

(1) Hinc ipsemet Willm, qui Kant ejusque philosophiam magnopere extollit, hæc scribit post expositam doctrinam quæ in *Critica rationis purœ* continetur: «La philosophie de Kant est donc idéalisme seulement quant au monde phénomenal, que le sens commun appelle réel, et qui selon la critique, n' a aucune réalité objective...

La philosophie de Kant est *scepticisme* en ce qu' elle doute de la verité absolue de notre connaissance, de sa certitude réelle non-seulement quant au monde exterieur, mais encore quant aux objets des *idées* rationelles.» *Histoir. de la phil. Allem.*, t. 2.º, pag. 464.

Adstipulatur Kiese Wetter, qui solutionem kantianam hujus problematis: *¿quid possumus scire?* hisce verbis, quæ ad patrium sermonem vertimus, exponit: «Todos nuestros conocimientos no se extienden mas allá del mundo sensible, como objeto de esperiencia; todo lo que traspasa estos límites no puede ser conocido por nosotros. Empero, aun á este mundo sensible no le conocemos tal cual es en sí mismo, sino únicamente tal cual le percibimos bajo las condiciones de nuestra sensibilidad, tal cual le concebimos bajo las condiciones de nuestro entendimiento.»

qui vel spiritum et placita cartesianæ philosophiæ oppugnaverunt, vel saltem in quos ejusmodi spiritus et placita, aut nullum, aut remissiorem influxum obtinuere. Igitur, de ipsis sequentibus paragraphis agemus, quoad germanos, gallos, anglos et italos; relictis hispanis, de quibus speciatim postea quidpiam dicere oportet.

PHILOSOPHI GERMANI.

§ I.

Leibnitz.

Inter eos qui apud Germanos scholæ cartesianæ minime aut vix adhæserunt, principem locum proculdubio obtinet Leibnitz, (Godofrid. Guillielmus) summi ingenii, optimi sensus, ac vastissimæ eruditionis vir, qui Lipsiæ 1648 natus, e vita migravit anno 1716. Superiorem quemdam ecclectismum præ se fert ejus philosophia, in qua plurima ac præcipua Cartesii dogmata rejecit confutavitque, (1) simulque Scholasticorum, quos magni

(1) Qua in re apposite De Gerando, cujus verba hispanice versa hæc habent: «Los escritos de Leibnitz son una especie de censura contínua de los sistemas de Descartes... Descartes no le satisface sobre el criterio de los conocimientos, ni sobre las ideas verdaderas y falsas. Descartes no supo penetrar ni la naturaleza de la sustancia, ni el gran

fecit nec semel commendavit, (1) doctrinam, magna ex parte instaurat et amplectitur. Attamen, suam philosophiam deformavit erroribus quibusdam et gratuitis hypothesibus. Igitur, claritatis gratia, utque tirones leibnitzianæ philosophiæ naturam facilius valeant concipere, prius dogmata quibus a philosophia scholastica discedit; deinde ea in quibus cum eadem congruit vel saltem ad eamdem accedit, summatim attingere libet.

A) Dogmata leibnitziana a philosophia scholastica aliena.

a) Substantiæ creatæ sunt aggregatum quoddam substantiarum simplicium, quæ *monades* audiunt. *Monades* istæ, utpote simplices, prorsus indissolubiles existunt; ac proinde nonnisi creatione oriri, atque annihilatione perire possunt.

b) Ejusmodi monades, sive corporeæ sive spirituales

---

problema de la union del alma con el cuerpo... Basta aplicar al hombre los argumentos por medio de los cuales los cartesianos pretendieron reducir los animales á meras máquinas, para condenar al hombre á una condicion semejante. El hombre de Descartes, cuya formacion le cuesta tan poco, se parece tambien muy poco al hombre verdadero.

Leibnitz condena igualmente las dos definiciones de Descartes, cuando reduce el alma al pensamiento y la materia á la estension. Reprende en Descartes el haber rechazado las causas finales, y el haber sometido las verdades eternas á la voluntad arbitraria de Dios. Opina que el método de Descartes es imperfecto, y que Spinosa no hizo mas que cultivar las semillas de la filosofía de Descartes.» *Histoir. comp. des syst. de Phil. mod.*, t. 3.°, pag. 65 sqq.

(1) Audiatur iterum laudatus De Gerando: «Leibnitz declara repetidas veces que los escolásticos no merecen el desprecio con que son tratados, y que se encuentran entre ellos hombres muy superiores en habilidad científica á los novadores que pretenden hacerlos olvidar con su desden hácia ellos. Repite muchas veces que sospecha la existencia de tesoros ocultos bajo las formas bárbaras de la filosofía de la edad media. Rinde sincero tributo de admiracion á Santo Tomás de Aquino y no se avergüenza de confesar que Alberto Magno, y Juan (Rogerio?) Bacon, le precedieron en la investigacion del principio de la unidad.» *Ibid.*, pag. 62.

existant, *appetitu* et *perceptione* cunctæ donantur, solumque discriminantur quatenus ipsarum quædam perceptiones *absque conscientia* obtinent, ut sunt illæ ex quibus res inanimatæ vel substantiæ materiales coalescunt: aliæ *perceptionem simul cum conscientia ejus* (*apperceptionem*) sibi vendicant; quod si hæc conscientia sit *confusa* vel quasi somno consopita, animas brutorum; si vero sit *distincta* et perfecta, animam rationalem vel spiritum, constituit.

c) Rationalis anima hominis, ab anima sensitiva brutorum quoad substantiam vel essentiam non differt: imo rationales animæ ab initio mundi in seminalibus rationibus animæ sensitivæ præexistunt, atque rationales evadunt, quatenus a Deo *rationem* accipiunt dum homo generatur, (1) vel ejus anima corpori humano conjungitur.

d) Unaquæque monas habet initialiter in propria essentia principium omnium determinationum, actionum seu modificationum futurarum, ita ut operatio vel determinatio sequens habeat rationem sufficientem ac determinantem in operatione quæ in eadem substantia præcessit.

---

(1) «Les âmes qui seront un jour âmes humaines, comme celles des autres espèces, ont eté dans les semences et dans les ancetres jusqu' à Adam, et ont existé por consequent depuis le commencement des choses, toujours dans une manière de corps organisé... Mais il me parait encore convenable par plusieurs raisons qu' elles n' existaient alors qu' en âmes sensitives ou animales, douées de perception et de sentiment et destituées de raison; et qu' elles sont demeurées dans cet état jusqu' au temps de la generation de l' homme à qui elles devoient appartenir; mais qu' alors elles ont reçu la raison, soit qu' il y ait un moyen naturel d' élever une âme sensitive au degré d' âme raisonnable, (ce que j' ai de la peine à concevoir) soit que Dieu ait donné la raison à cette âme per une operation particulière, ou (si vous voulez) par une espèce de transcreation.» Leibnitz, *Essai de Thcod.* num· 91, pag. 134-35.

e) Nec corpus in animam, nec anima in corpus quidpiam vere agit vel influit, sed spectari debent tamquam automata quædam, quorum motus sibi harmonice (*harmonia præstituta*) respondent ex consilio et ordinatione Dei, qui hanc animam huic corpori et non alio conjungit.

f) Mundus iste, omnium possibilium est optimus; nam ratio sufficiens creationis ejusdem alia esse nequit apud Deum, nisi mundi summa bonitas vel maxima perfectio inter possibiles.

B) Dogmata leibnitziana quæ cum philosophia scholastica congruunt vel ad eam accedunt.

a) Adfirmare et constituere oportet contra cartesianos, « in rebus corporeis esse aliquid præter extensionem, imo extensione prius, » (1) nempe, substantiam ipsam corpoream, quæ non secus ac spiritualis, vera activitate in actu primo seu vi agendi gaudet; constat siquidem, « adempta rebus vi agendi non posse eas a divina substantia distingui, incidique in spinozismum: vicissim nullam dari creaturam mere activam » hoc est, quæ sit ex se activa in actu secundo, ut Deus.

b) Etenim, « vis activa inter facultatem agendi actionemque ipsam media est.» Actio porro, nec creationi, nec generationi, nec corruptioni, nec annihilationi subest, sed ex subjecto in quo virtualiter ac in potentia continetur educitur, sicut et aliæ formæ accidentales.

c) In rebus vel substantiis animatis, duo sunt, nempe, anima, substantia simplex ac perfectior, (*entelechia*), quæ est principium unitatis substantialis, seu « quod

---

(1) Quæ commatibus insigniuntur, verba sunt Leibnitz ex ejus operibus edit. Dutens desumpta, quorum loca brevitatis studio omittens, solum subjiciam ea quæ in *Theod.* et *Causa Dei assert.* edit. Mortier continentur.

scholæ vocant unum per se ; » et deinde corpus « quod habet rationem instrumenti respectu præfatæ entelechiæ seu animæ, cum qua ad functiones vitales concurrit, diciturque materia. » Porro, « anima proprie et accurate loquendo, non est substantia, sed forma substantialis, seu forma primitiva inexistens substantiæ, primus actus, prima facultas activa. »

d) Vires seu facultates primitivæ et fundamentales hominis, sunt sensus, ratio et voluntas. Sensus, res confuse percipiunt, sed non rerum veritatem, cujus cognitio rationis vel intellectus est propria. Porro, ideas quibus objecta et veritatem cognoscimus, vi et activitate intellectui insita efformamus, earum tamen materiam sensus suppeditant ; siquidem « nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu, nisi ipse intellectus. »

e) Rebus cunctis etiam inanimatis inest appetitus naturalis ad bonum : ast in homine, præter naturalem, existunt et appetitus inferior qui respondet sensibus, et appetitus rationalis seu voluntas quæ respondet intellectui ; atque præfatus intellectus voluntate natura prior existit, eamque ad agendum objective determinat ope boni veri vel apparentis ; certum namque est, « actiones voluntatis esse natura posteriores actionibus intellectus, et perceptiones boni sive veri sive falsi, efficere ut velimus. » Sed vero, « in perfecto sapiente, nempe, Deo, nulla est voluntas nisi veri boni. »

f) Hominis intellectus, utpote imago et participatio divini intellectus, quasdam præcipuas et universaliores ideas virtualiter continet, ac prima principia veluti naturaliter insita habet : enimvero, intellectus «*lumen innatum* consistit tum in ideis incomplexis, tum in nascentibus (nimirum, sponte, ac nullo rationis conatu, quo sensu etiam apud D. Thomam, prima principia *naturaliter cognita*, ac *naturæ insita* non semel dicuntur) inde notitiis complexis. Ita fit, ut Deus et lex Dei æterna in-

scribantur cordibus nostris, etsi negligentia hominum et affectibus sensualibus sæpe obscurentur.» (1)

g) Voluntas item hominis libertate gaudet; atque hæc «libertas in quantacumque humana corruptione salva manet; (2) ita ut homo, etsi haud dubie peccaturus sit, nunquam tamen necessario committat hunc actum peccandi quem committit.» Hæc porro hominis libertas « exempta est tam a necessitate, quam a coactione; » atque hanc libertatem non lædunt aut destruunt, nec «futuritio veritatum, nec præscientia et præordinatio Dei, nec prædispositio rerum.» (3)

h) Vera intercedit unio inter corpus et animam hominis, quæ adeo intima «ejusque conditionis existit, ut ex utroque unum suppositum unave persona exurgat.»

i) Mundi perfectio, harmonia et pulchritudo, Dei sapientiam et bonitatem commendant, atque maxime exurgit ex quadruplici causarum genere res mundanas colligante; «sapientia enim infinita Omnipotentis (4) bonitati ejus inmensæ juncta fecit... ut omnia sint perfecte harmonica, conspirentque pulcherrime inter se; causæ formales seu animæ cum causis materialibus seu corporibus; causæ efficientes seu naturales cum finalibus seu moralibus.»

j) Malum, utpote mera privatio boni, nullam causam efficientem per se, sed potius deficientem habet: inter mala autem, omnium maximum est « malum morale seu malum culpæ, quod nunquam rationem medii habet, ac proinde « nunquam in Deo objectum est voluntatis productivæ, sed tantum aliquando permissivæ.» (5) Contra

---

(1) *Causa Dei ass per just.* num. 99.
(2) *Ibid.*, num. 101.
(3) *Ibid.*, num. 102.
(4) *Ibid.*, num. 46.
(5) *Ibid.*, num. 36 et 37.

vero, « mala metaphysica et physica, veluti imperfectiones in rebus, et mala pœnæ in personis, interdum fiunt bona subsidiaria tamquam media ad majora bona: unde Thomas de Aquino post Augustinum, non incommode dixit, Deum permittere quædam mala fieri, ne multa bona impediantur. » (1)

k) « Deus est prima ratio rerum, » quæ eo ipso quod sunt finitæ et contingentes, supponunt existentiam « substantiæ quæ rationem suæ existentiæ in seipsa habeat, » sitque simul « necessaria, æterna ac summe intelligens; » atque præterea summam potentiam, cujus objectum est ens; sapientiam vel intellectum, cujus objectum est verum; ac voluntatem, cujus objectum est bonum, (2) sibi vendicat. »

l) Hinc a Deo dependentiam et originem habent omnia entia, sive actualia, sive etiam possibilia: actualia quidem, quia ab ejus libera voluntate existentiam recipiunt; possibilia vero, quatenus rerum essentiæ cunctæ possibiles præcontinentur in ideis archetypis intellectus divini; (3) quapropter « ipsa rerum possibilitas, cum actu non existunt, realitatem habet fundatam in divina existentia; nisi enim Deus existeret, nihil possibile foret. » (4) Porro, cum Dei omnipotentia complectatur om-

---

(1) *Causa Dei ass. per just.* num. 34 et 35.

(2) « Dieu est la première raison des choses ; car celles qui sont bornées, comme tout ce que nous voyons et experimentons, sont contingentes... Il faut donc chercher la raison de l' existence du monde... dans la substance qui porte la raison de son existence avec elle, et laquelle, par consequent est *nécessaire* et eternelle. Il faut aussi que cette cause soit intelligente... La puissance va à l' *etre*, la sagesse ou l' entendement au *vrai*, et la volonté au *bien*. » *Essai de Theod.* num. 7, pag. 74.

(3) « Son entendement est la source des *essences*, et, sa volonté est l' origine des *existences*. » *Theod.* loc. cit.

(4) *Causa Dei assert. per just.* num. 8.°

nium dependentiam ab ipso, ejusmodi omnipotentia, «non solum ad omnia actualia, sed etiam ad omnia possibilia, seu quæ non implicant contradictionem extenditur.» (1)

m) «Actualia dependent a Deo, tum in existendo, tum in agendo... Et quidem in existendo, dum omnes res a Deo libere sunt creatæ, atque etiam a Deo conservantur; neque male docetur conservationem divinam esse continuam creationem: in agendo res dependent a Deo, dum Deus ad rerum actiones concurrit.» (2) Atque concursus iste non solum immediatus existit, sed etiam actionem ipsam actionisque modum determinat et producit; «quia non tantum ad existentiam rei actusque dirigitur, sed et ad existendi modum et qualitates, quatenus aliquid perfectionis illis inest, quod semper a Deo profluit.» (3)

n) Hæc tamen dependentia rerum a Deo, ipsarum substantialem et absolutam distinctionem a divina substantia minime tollit; «cum creaturæ nec ex Dei essentia, neque necessario promanent.» (4) Quod tamen nihil obstat quominus «Dei essentia contineat eminenter essentias ac perfectiones creaturarum;» unde creatio mundi nullam perfectionem superaddit essentiæ Dei, «qui nullum bonum ex hac creatione sibi acquirit.» (5)

o) Contra vero, Deus hic, a quo cuncta dependent, independentiam absolutam sibi vendicat, quæ «in existendo elucet et in agendo. Et quidem in *existendo*, dum est necessarius et æternus, et, ut vulgo loquuntur, ens a se: unde etiam consequens est immensum esse. In

---

(1) *Causa Dei assert. per just.* num. 4.° et 7.°
(2) *Ibid.*, num. 9.° et 10.
(3) *Ibid.*, num. 12.
(4) *Ibid.*, num. 9.°
(5) *Essais de Theod.* num. 109.

agendo independens est naturaliter, dum est liberrimus, nec nisi a se ipso ad agendum determinatur.» (1)

Observatio.

Si præ oculis habeatur, præter nunc exposita, alia plurima dogmata, quæ brevitatis studio prætermittere cogimur, reperiri in philosophia Leibnitz, cum philosophia Scholasticorum, vel identica, vel valde affinia, jure merito colligere possumus, doctrinam leibnitzianam, si monadologiam, optimismum et harmoniam præstitutam excipias, cum scholastica facile conciliari. Profecto, si Cartesius, Baco ac recentiores philosophi, Leibnitz exemplum fuissent imitati, recentior philosophia obnoxia non esset tot ac tantis erroribus, quæ eam deformant et exitialem reddunt societati et religioni.

§ II.

Philosophi alii germani.

A) *Tschirnhausen* germanus et ille philosophus, natus est 1651, atque in opere cui titulus: *Medicina mentis*, dogmata leibnitziana cum cartesianis conjungens, ecclectismum quemdam profiteri videtur.

B) *Thomasius* (Christianus) apud Lipsiam natus, qui et bellum vehemens Aristotelis philosophiæ indixit, simul-

(1) *Causa Dei*, etc. num. 5.° et 6.°

que mysticismo atque scepticismo appropinquavit. Quandoquidem profitetur: 1.° nec metaphysicam, nec theodicæam, nec ipsam psychologiam, ut veras scientias agnoscendas esse; unde philosophiam ad logicam, historiam et ethicam fere reducit: 2.° hominem, solis rationis viribus, pertingere non posse ad cognitionem certam vel scientificam substantiæ, nec puri spiritus, nec cujusvis entis simplicis.

Præterea, Thomasius non immerito haberi potest veluti antecessor philosophorum quorumdam recentiorum, qui veritatis perceptionem et possessionem, sensionibus quibusdam instinctivis vel affectivis, tribuere solent. Enimvero, apud germanum philosophum, sicut intellectu veritates rationales percipimus, ita voluntas haberi debet tamquam proprium organum ad capessendas veritates quasdam, præsertim eas quæ ordinem moralem respiciunt. (1) Quæ quidem doctrina, mysticismo proculdubio viam sternit.

C) *Wolff* (Christianus) qui Breslovii anno 1679 natus, e vita migrans 1754, Leibnitz philosophiæ adhæsit, eamque coluit et evolvit. Apud ipsum tamen:

1.° Rationalis animæ facultas seu vis agendi, repræsentatione continetur; quæ si confusa sit, sensationem, si vero clara et distincta, intellectionem constituit.

---

(1) «Thomasius pretendit qu'il était faux que l'homme ne fût en rapport avec la verité que par l'intelligence; il soutint que l'esprit humain avait, en quelque sorte, deux organes pour saisir le vrai: ces deux organes sont l'intellect et la volonté. Nous possedons le vrai ou par la vue de l'esprit, ou par l'inclination de l'âme. La sensation est le principe de toutes les notions rationelles sur lesquelles l'intellect opere; l'amour est le principe des verités de sentiment. Par cette théorie, Thomasius, laissant une moitié de la philosophie dans le sensualisme, transportait l'autre dans le mysticisme, en admettant une perception du vrai, indépendante radicalement de l'intelligence.» Salinis et Scorbiac, *Précis de l'Hist. de la Phil.* pag. 393.

2.° Atque ex his colligere liceret, quod intellectus essentialiter non differt a vi sensitiva, cujus potius est evolutio et perfectio quædam. (1)

D) *Baumgarten* (Alexander Gottlieb) philosophiam quidem Leibnitz et Wolff coluit, sed præterea primus inter recèntiores *Æstheticam*, veluti quandam novam ac distinctam scientiam, ex philosophia eduxit. Apud eum porro,

a) «Æsthetica, est *scientia cognitionis sensitivæ*,» haberique potest quoad logicam, tamquam «soror ejus natu minor:» siquidem, sicut æsthetica est scientia cognitionis sensitivæ, ita logica (Gnoseologia superior, a Baumgartem nuncupatur) est scientia cogitationis. Æsthetica appellari quoque potest, «theoria liberalium artium, gnoseologia inferior, ars pulchre cogitandi, ars analogi rationis.»

b) Ratio et sensus differunt, quatenus priori distincte, posterioribus confusius nexum rerum percipimus. Porro, sensitiva cognitio, non unam sed plures facultates complectitur, quæ sunt: «1.° inferior facultas identitates rerum cognoscendi, quo ingenium sensitivum; 2.° inferior facultas diversitates rerum cognoscendi, quo acumen sensitivum pertinet; 3.° memoria sensitiva; 4.° facultas fingendi; 5.° facultas dijudicandi, quo judicium sensitivum et sensuum; 6.° expectatio casuum similium; 7.° facultas signatrix sensitiva. Hæ om-

---

(1) Qua sane doctrina nonnihil ad sensualismum accedere videtur Wolff, ut merito proinde Ritter scribat: «D'où il suit que la théorie de la connaissance ne se distingue chez Wolff, de la doctrine sensualiste qu'en ce qu'elle ne cherche pas le principe de la pensée hors de l'âme, tout en accordant neanmoins aux adversaires du rationalisme, que toutes nos connaissances dérivent de la sensation, et que l'entendement n'est qu'un développement, un raffinement, une amplification de celle-là.» *Histoire de la Phil. Mod.* t. 3.° pag. 332.

nes, quatenus in repræsentando rerum nexu rationi similes sunt, constituunt analogon rationis.»

c) Fundamentale æstheticæ principium, positum est in imitatione naturæ: ejusdem vero «finis, est perfectio cognitionis sensitivæ: hæc autem est pulchritudo.» (1)

§ III.

Philosophi galli.

Præcipui nominis philosophi qui in Gallia cartesianis dogmatibus nihil aut parum adhæsere, haberi possunt:

A) *Bossuet* (Jacobus Benignus) Meldensis Episcopus anno 1627 natus, ac Parisiis 1704 mortuus, cujus philosophica doctrina, si quasdam ejus hæsitationes quoad brutorum animam excipias, cum scholastica prout præsertim apud D. Thomam habetur, maxime congruit.

B) *Fenelon* (Franciscus Salignac), qui anno 1651 natus ac e vivis excedens 1715, metaphysicæ scolasticæ quoad præcipua dogmata adhæsit; simul tamen ontologismo viam paravit, ejusdemque subsequentibus adseclis proludium fecit, edocens «Deum immediate objici hominis intellectui.» (2)

---

(1) *Æsth.* pag. 1, 13, 14, 22, 104.

(2) «Dieu, inquit ille, n'est pas seulement la cause qui produit ma pensée, il en est encore l'objet immediat.» *Traité de l'exist. de Dieu*, P. 2.ª cap. 4.°

C) *Gratry*, coævus philosophus Galliæ, cujus theoriam circa intellectum vid. in Psychol. Sect. 1.ª, cap. 3.° art. 1.° § 2.°

Quamvis a Cartesio quoad plurima discedat, spiritum tamen et doctrinam ipsius scholæ in non paucis retinet, simulque ad ontologismum mallebranchianum vergit.

§ IV.

Philosophi angli.

Non defuere apud anglos quoque philosophi, qui Cartesii dogmata rejicerent et oppugnarent. Inter eos eminent:

A) *Cudwort*, qui e vivis excessit anno 1688. In operibus ab ipso conscriptis: *Systema Intellectuale*, atque *Dissertatio de natura genitrice*, habetur philosophia, cujus præcipua elementa ex Aristotele et Platone desumuntur, simulque Cartesium quoad plurima dogmata (1) oppugnat, idque tam in metaphysicis quam etiam in physicis.

---

(1) «Quoique professant une grande estime pour Descartes, il plaça ce philosophe fort au-dessous d'Aristote; il combattit le doute méthodique; il rejeta la demonstration de l'existence de Dieu par l'idée que nous en avons; il réfuta surtout avec energie cette opinion avancée par Descartes... qui fait dependre de la volonté divine les verités éternelles et nécessaires, qui prête a Dieu le pouvoir de faire des choses contradictoires. La physique de Descartes lui parut trop favorable à l'atheisme.» De Gerando, *Histoire comp. des syst. de Phil. Mod.* t. 2.ª pag. 338.

B) *Parker* (Samuel) in universitate Oxoniensi professor, qui tum in opere cui titulus: *Tentamina philosophico-theologica de Deo*, tum in altero quod inscribitur: *Disputationes de Deo et providentia divina*, vestigiis Cudwort insistens, quemdam ecclectismum philosophicum profitetur, ac præter Hobbes, Cartesium maxime refellit. (1)

C) *Herbert*, qui non absimilem philosophandi rationem ac præcedentes tenuit. Veritatem definit, *relationem conformitatis inter objectum et facultatem cognoscentem*; (2) quæ definitio parum aut nihil differt ab ea quam tradit D. Thomas.

Quatuor assignat cognoscendi facultates: sensum externum, sensum internum, rationem ac instinctum naturæ; cui postremæ facultati magnam vim quoad ideas et veritates capessendas tribuit; qua sane in re scholæ reidianæ vel scoticæ quodammodo viam sternit, ac fundamenta jacit.

Similiter etiam, quatuor species veritatis distinguit et assignat; quarum prima dicitur, *veritas rei*; altera, *veritas apparens;* tertia, *veritas conceptionis;* quarta, *veritas intellectus*.

---

(1) Unde de Gerando : «Parker dirigea contre Descartes les mêmes reproches que Cudwort; il l'acusa de favoriser l'atheisme par ses hypothèses sur le système du monde. Le raisonnement par lequel Descartes a voulu déduire l'existence de Dieu de la seule idée de Dieu même, n'a pas rencontré de réfutation plus detaillée et plus complète que celle de Parker.» *Loc. cit.* pag. 359.

(2) *De verit.* pag. 4.

§ V.

Muratori et Rosmini.

Præstantioris nominis philosophi qui in Italia cartesianismo minime adhæserunt, simulque erronea systemata quæ ex eodem promanarunt, rejicere et oppugnare aggressi sunt, veterem philosophiam scholastico-christianam ex parte instaurando et perficiendo, sunt:

A) *Muratori*, qui elapso proximo sæculo floruit, atque tum in *Philosophia Morali*, tum in alio opere cui titulus: *Delle forze dell'intendimento umano*, recentis philosophiæ, vel impia et absurda, vel periculosa dogmata, ea præsertim quæ apud Hobbes, Toland, Locke, Spinoza atque Bayle habentur, acerrime expugnavit. Scripsit quoque opus inscriptum: *Delle forze della fantasia umana*, in quo imaginationis natura, phænomena, vires harumque multiplices manifestationes sagaci ratione exponuntur.

B) *Rosmini* (Antonius Rosmini-Serbati) Tyroliensis, anno 1797 natus, e vivis excedens 1855. Plurima con-

scripsit opera, (1) in quibus tum veterum, tum recentiorum philosophorum errores refellit, simulque philosophiam scholastico-christianam quoad præcipua dogmata tuetur, evolvit, ac quodammodo novo in lumine collocat. Nihilominus, a D. Thomæ doctrina discedit, tum quoad secundaria quædam, tum maxime quoad theoriam cognitionis et originis idearum, quocirca sequentia habet:

a) Idea entis possibilis, quæ est omnium prima et universalissima, menti humanæ est innata, ejusdemque simplicem intuitionem habet anima.

b) Præter simplicem illam ac primitivam entis intuitionem, prima operatio intellectus humani est judicium, quo ideam illam innatam entis sensationi conjungens et applicans, corporum ideas acquirit, horumque realem existentiam percipit. (2)

c) Apprehensio sive simplex perceptio consequitur judicium; eaque locum habet quatenus anima abstrahit ab existentia reali objecti circa quam judicium versabatur, sicque efformat simplicem rei conceptum vel ideam. Ex quo inferre licet, conceptus sive ideas universales ex judicio et per judicium nobis quodammodo acquiri. (3)

d) Imo vero, idea innata entis possibilis, et est ratio facultatis cognoscendi in homine, et est origo omnium idearum intellectualium, (4) quæ proinde spectari de-

---

(1) Præter alia quæ hic prætermitto, in lucem edidit: *Nuovo saggio sull' origine delle idee=Oposcoli filosofici=Logica=Psicologia=Filosofia del Diritto=Theodicea.*

(2) «Innata è nell' uomo l' intuizione semplice dell' *essere*: 2.° che quindi non contando quell' atto naturale che ci constituisce intelligenti, la prima operazione dello spirito è un *giùdizio*, il quale unisce le sensazioni coll' idea dell' essere e cosi forma le idee d' corps.» Rosmini, *Nuovo Saggio sull' orig. del. idee*, t. 1.°, Sect. 3.ª, art. 9.°

(3) «No resta dunque, che noi ci formiamo le idee comuni o universali se non col *giudizio.*» *Ibid.*, t. 1.°, pag. 12.

(4) «Noi nasciamo colla presenza, e colla visione dell' essere possi-

bent tamquam determinationes et applicationes ideæ entis possibilis menti congenitæ.

e) Ex quo ulterius ratio reddi potest generationis animi humani; quandoquidem filii anima, quæ quatenus sensitiva, ex parentum generatione oritur, rationalis sive intellectualis evadit, quatenus Dei virtute et operatione in ipsa apparet seu manifestatur idea illa entis. (1)

Ceterum, si opiniones et dogmata nunc exposita excipias, doctrina philosophica Rosmini, apprime congruit cum doctrina D. Thomæ, quoad dogmata fundamentalia atque præcipua problemata philosophiæ. Quapropter philosophus iste, non immerito haberi posset veluti præcursor et antecessor eorum qui in eadem Italia, scholasticam philosophiam instaurare aggressi sunt postremis hisce temporibus, de quibus paragrapho sequenti.

---

bile...» «La facoltá di conoscere riceve l' existenza dall' unione dell' idea dell' essere col nostro spirito. Dunque l' idea dell' essere, che è il principio della facoltá di conoscere, è altresi il principio di tutte le idee che può acquistare la detta facoltá.» *Op. cit.*, t. 2.°, pag. 57 et 92.

(1) Quoad peregrinam parumque tutam istam opinationem Rosmini, circa rationalis animæ originem, vid. ejus *Psychologiam*, t. 1.°, pag. 321 et sqq.

§ VI.

Raulica et Sanseverino.

C) *Raulica* (P. Ventura) illustris scriptor, qui in Sicilia lucem aspexit, ac tum apud varias Italiæ urbes, tum Parisiis, ubi postremis vitæ annis constitit, vitamque cum morte commutavit, et verbo, et scripto recentioris philosophiæ dogmata erroresque patefacere et refellere curavit. Nonnihil tamen traditionalismo favere videtur, dum statuit philosophiam esse cognitionem quamdam reflexam demonstrativamve veritatum, quas homo ex Dei revelatione præaccipit. Nec solum recentem philosophiam oppugnavit, sed scholasticam simul aggressus est instaurare, in opere præsertim cui titulus: *La Philosophie Chretienne*, cui postremis vitæ annis manum admovit.

D) *Sanseverino* (Cajetanus) Neapolitanæ Ecclesiæ canonicus, ac infandis fatis nostris diebus, (anno 1865) morte correptus. Eximius profecto vir ac dignus procul dubio qui inter nostri ævi philosophica ingenia principem locum obtineat. Præter ephemeridem illam litterariam; *La Scienza e la Fede*, cujus ope scientiæ ac christianæ Religionis causam viriliter egit, aggreditur opus inscriptum: *Philosophia Christiana cum antiqua et nova comparata*, cujus quinque tantum priora volumina, morte præoccupatus, in lucem edere potuit. Insigne sane opus, in quo ingenii profunditas, judicii acumen, doctrinæ veritas, de palma contendere videntur; ast super om-

nia hæc, eruditio incredibilis, fereque usque ad miraculum vasta et solida; cunctos quippe scriptores philosophiæ, sive veteres, sive recentiores complectitur. Cæterum, Sanseverini scopus tam in hocce quam in reliquis ab eo conscriptis operibus, est philosophiæ scholasticæ instauratio; quem quidem scopum etiam nunc post obitum adsequitur quodammodo et prosequitur, opera et studio discipulorum qui ex ejus schola sunt egressi, inter quos eminent *Nuntius Signoriello*, *ac Josephus Prisco*, quorum laboribus et curis pro instauranda philosophia scholastica, cooperantur *Liberatore* atque *Taparelli*, insignes Societatis Jesu scriptores.

In præfata *Philosophia Christiana cum antiqua et nova comparata* Cajetani Sanseverino, duplicem defectum adnotare licet, mea sententia. Quorum primus methodum respicit, tum quoad distributionem et partitionem argumentorum, tum quoad distinctionem per articulos nimia extensione præditos et fusos: alter ac præcipuus nobis existit, præfatum opus continere atque tueri velle philosophiam *nimis scholasticam*, si ita loqui fas est; enimvero, nec rationabile, nec utile, nec veritati aut realitati consentaneum existimo, philosophiam scholasticam prædicare et offerre, tamquam si nihil falsi aut erronei contineat, etiam quoad argumenta et problemata minoris momenti, aut tamquam quæ omnia sciat et contineat, ita ut nihil novi et utilis ex recentiori philosophia discere possit aut sibi insumere.

ARTICULUS NONUS.

Philosophi hispani.

A seculo decimo sexto ad nostra usque tempora, non ignobiles philosophi extitere in Hispania, præter jam recensitos in præcedentibus. De insignioribus quidpiam edicere æquum erit. Unde sit

§ I.

Philosophi hispani seculo decimo sexto.

A) Floruerunt præfato seculo inter rigidiores philosophiæ scholasticæ sectatores, e Societate Jesu *Gabriel Vazquez*, qui scripsit *Disquisitiones Metaphysicas:* cardinalis *Toletus*, qui commentaria edidit in quosdam Aristotelis libros: *Arriaga*, cujus extat *Cursus Philosophicus*.

Ex Ordine Prædicatorum, *Dominicus Soto*, «Segoviensis natu, inquit Nicolaus Antonius, religiosa professione Dominicanus, qui litteris atque utiliore doctrina parem suo sæculo, aut certe superiorem habuit nemi-

nem:» præter Logicam, scripsit commentaria in varios Aristotelis libros: (1) *Dominicus Bañez*, qui similiter præter *Institutiones minoris Dialecticæ*, scripsit commentaria in quædam Aristotelis opera: *Joannes a Sto. Thoma*, Olisipone quidem natus, sed Matriti Dominicanorum familiæ adscriptus, ac in Complutensi Academia ad mortem usque fere docens; edidit *Cursum Philosophicum*, in quo scholasticam philosophiam solide evolvit, præsertim quoad ea quæ spectant theoriam cognitionis intellectualis.

E familia Carmelitarum Excalceatorum, *Antonius a Matre Dei*, atque *Michael a Trinitate*, præcipui auctores operis inscripti: *Complutensis Artium Cursus*.

Inter eos qui vel ab Aristotele recesserunt, vel scholasticæ philosophiæ aut methodum, aut doctrinam minus rigide tenuerunt, eminent:

B) *Joannes Huarte* sæculo decimo sexto Navarræ in oppido Sancti Joannis Portus (San Juan del Puerto) natus. In opere inscripto: *Exámen de ingenios*, sagaciter atque docte disserit de ingeniorum discrimine, horumque cum diversis scientiis et artibus relatione. Cujus quidem operis rationem et scopum quisque facile agnoscet ex præfatione ad legentem, ubi inter alia hæc habet: «Decirte he tres conclusiones muy verdaderas, aunque por su novedad son dignas de grande admiracion. La primera es, que de muchas diferencias de ingenio que hay en la especie humana, sola una te puede (con eminencia) caber. La segunda, que á cada diferencia de ingenio le responde (en eminencia) sola una

(1) «Soti meritum, subdit citatus Nicolaus Antonius, in litteris sacris et philosophicis, præterquam quod commune illius temporis dicterium, *Qui*, nempe, *scit Sotum, scit totum*, prædicat, insignes doctrina viri valde celebrant.»

ciencia y no mas, de tal condicion que sino aciertas á elegir la que responde á tu habilidad natural, ternás de las otras gran remision, aunque trabajes dias y noches. La tercera, que despues de haber entendido cuál es la ciencia que á tu ingenio mas le responde, te queda otra dificultad mayor por averiguar, y es: si tu habilidad es mas acomodada á la práctica que á la teórica...

Saber, pues, distinguir y conocer estas diferencias naturales del ingenio humano, y aplicar con arte á cada una la ciencia en que mas ha de aprovechar, es el intento de esta mi obra.» (1) Quam doctrinam dum postea evolvit, multa curiosa ac satis solida profert, circa ingeniorum discrimina, causas et signa; circa scientiarum et artium naturam; circa corporis temperiem, humanamque physionomiam.

C) *Oliva Sabuco de Nantes*, illustris fæmina, Compluti, ut videtur, nata, in lucem edidit opus inscriptum: *Nueva filosofía de la naturaleza del hombre*, in quo, præter curiosa quædam atque nova alia multa, pro ætate illa, statuit: 1.° cerebrum esse organum generale sensationum omnium, atque etiam famis et sitis. (2) Unde apud ipsam: 2.° «præcipuum instrumentum animæ est pia mater, quo actiones suas tam naturales quam animales exercet;» quapropter in motu vel quiete piæ matris, erectione vel elevatione, concursu, dejectione aut depressione factis ab anima, consistit omnis motus ani-

---

(1) *Exam. de Ing.* pag. 5-6-8 edit. Beatiæ 1594.

(2) «Erraron bravamente los médicos, inquit illa, en dar la sed y hambre al estómago, y la sensacion á los instrumentos, como al ojo la vista y al paladar el gusto, como sean mensageros para el celebro en el cual está toda sensacion, sed y hambre.» *Filos. de la nat. del hombre*, pag. 286.

mæ, affectus vel perturbationes,... salus et morbus, vita et mors,» (1) nimirum, ratione succi cujusdam seu chyli (quoad rem fortasse fluidum nerveum recentiorum) a cerebro in omnes corporis partes descendentis: 3.° «Non illa tria principia, materia, forma, privatio, sed Sol genitor natura principii, Luna mater natura augmenti; ille causa formalis suo calore, hæc materialis suo lacte, rerum naturalium principia, vel potius parentes sunt.» (2)

Joannes Genesius Sepulveda, anno 1491 natus, qui præter *Epistolas*, in quibus de philosophia et philosophis non raro disserit, (3) scripsit libros tres *de Regno et Regis officio;* tum etiam opus inscriptum: *De Fato et Libero Arbitrio*, in quibus de moralibus, politicis et psychologicis disserit.

Sebastianus Fox Morcillo anno 1528 Hispali nobilissima Bæticæ urbe natus. Eleganti stilo edidit opus cui titulus: *De Natura Philosophiæ seu de Platonis et Aristotelis consensione:* in quo: 1.° universam philosophiam quoad ea quæ physicam, cosmologiam ac psychologiam attinent, egregie et solide pertractat: 2.° quoad hasce ipsas philosophiæ partes, Platonis et Aristotelis dogmata, et exponit, et conciliare nititur: 3.° utriusque errores pro rerum conditione refellit.

Philosophia Morcillo cum philosophia D. Thomæ satis quoad rem congruit, vixque differt, nisi dum

---

(1) *Filos. de la nat. del hombre*, pag. 390.

(2) *Ibid. Vera phil. de natura mun.* pag. 407.

(3) Atque, inter alia, notanda ejus sententia quoad Aristotelis æternam salutem, dum scribit: «Quæ igitur objecisti, ea parum vel nihil videntur obstare quominus ethnici philosophi salvi fuisse censeantur, quo in numero vel in primis fuisse Aristotelem, non tam ex aliorum sermone, quam ex ipsius scriptis licet existimare.» *Epist.* lib. 7.°

ideas vel notiones quasdam, (1) homini innatas sive á Deo cum animis genitas esse affirmat.

Pereira (Gomez) quem quidam lusitanum faciunt, Methymnæ Campi natus est, quamvis non dessint qui in Gallæcia natum asserant. Medicinæ peritissimus evasit, sed non levem quoque gloriam sibi comparavit in philosophicis, circa quæ plurima vel nova, vel novo modo in lucem produxit, præsertim in opere cui titulus: *Margarita Antoniana*, ubi non semel peregrinas invehit opiniones, et vitia peripateticæ philosophiæ tunc per scholas grassantis, detegit atque reprehendit.

Satis notum est, hispanum hunc philosophum ante Cartesium docuisse animantia bruta sensu carere, atque, ut habet Huetius, nemo doctrinam hanc vel tradidit apertius, vel fusius propugnavit, quam Gomezius Pereira. Quin et alia vel nova vel noviter protulit, ut dixi. (2)

Valles (Franciscus) in oppido vulgo Covarrubias Diæ-

---

(1) *Quasdam*, inquam, nempe, eas quas D. Thomas cum aliis, communes *animæ conceptiones* seu notiones appellare solet. Hinc existimo falli P. Cuevas, dum supponit Morcillo docere cunctas *intellectuales notiones* esse homini innatas, prout facile patebit ei qui postrema capita operis Morcillo perlegere ac conferre velit.

(2) Quapropter non immerito Lampillas de nostro Pereira hæc scribit: «Despues de Vives y antes que los italianos Cardano y Bruno, abrió nuevo sendero á la filosofía el español Gomez Pereira. El, ante el establecido imperio del peripato, tuvo valor de publicar un nuevo sistema de física contrario al de Aristóteles. Sacudido el yugo no menor de los antiguos filósofos que de los médicos, se rebeló contra Aristóteles y Galeno: contra el primero en su libro que para honrar los nombres de sus padres, tituló *Antoniana Margarita*. En este estableció nuevos principios opuestos á la materia y forma! sustanciales que hasta entonces dominaban en las escuelas. En él, muchos años antes que Descartes, quitó el alma á los brutos convirtiéndolos en otras tantas máquinas privadas de sentido.»

cæsis Burgensis initio sæculi decimi sexti natus, philosophiæ et medicinæ operam Compluti dedit, ac celeberrimus evasit medicus, quem idcirco Philippus Secundus primum medicum regiæ cameræ constituit. Medicinam publice Compluti docuit; eminuit tamen simul inter philosophos, egregiis conscriptis operibus, in quibus ecclectice quodammodo philosophatur, nec raro ab opinionibus tunc temporis in scholis receptis, secedit. Quin et ocasione commentariorum, quæ in opera varia Galeni scripsit, erudite disserit de multis ad scientias physicas spectantibus. Scripsit, præter plura alia medica et philosophica, *Commentaria in quatuor libros meteororum Aristotelis=Octo librorum Aristotelis de Physica doctrina versio recens et commentaria=De his quæ scripta sunt physice in libris sacris, sive de sacra philosophia, liber singularis.*

Laguna (Andreas) Segoviæ anno 1499 lucem aspexit. Salmanticæ et Parisiis philosophiæ atque medicinæ operam dedit, ubi non iis tantum scientiis, sed linguæ græcæ peritissimus evasit, adeo ut valde juvenis ac dum scholas adhuc frequentaret, *Physionomiam* Aristotelis ex græco in latinum sermonem converterit. In Hispania, in Belgio, Metis, Coloniæ, Romæ, aliisque in locis, medicinam summo omnium plausu et honore professus est. Philosophicas, præsertim vero physicas scientias coluit ac non parum promovit, tam verbo quam conscriptis operibus, inter quæ postrema eminent: *Anatomica methodus seu de sectione humani corporis contemplatio.=De plantis,* versio, nempe, latina librorum Aristotelis in quibus de plantis agit=*De Virtutibus.=Dioscorides, circa materiam medicam et venena mortifera cum annotationibus.* Hocce postremum opus, præter observationes novas et utiles ad scientias physicas, ac præsertim ad botanicam spectantes, icones plurimas animalium et plantarum continet, ope ipsius Lagunæ

adornatas; (1) quin et systema sexuale plantarum in eodem opere innuit et agnoscit.

§ II.

Philosophi hispani seculo decimo septimo.

Præcipui nominis philosophi, qui in Hispania seculo decimo septimo floruerunt, sunt Caramuel et Cardoso, de quibus ut quidpiam dicatur:

A) *Caramuel* (Joannes de Lobkowitz) Cartesii coævus, atque cartesianæ philosophiæ acerrimus oppugnator. Postquam monasticum cucullum induit, litteris ac scientiis ardentissimo animo incumbens, omni disciplinarum genere enituit. Fuit etenim vastissimæ eruditionis, atque præstantissimi ingenii vir. Super hæc autem, infatigabili activitate præditus innumera pene conscripsit opera, in quibus de rebus fere omnibus disserit; nova quoad rem, sed multo magis quoad nomina et vocabula insectatur, quibus scholasticam philosophiam reformare atque nova ratione et methodo exponere ag-

(1) «Esta obra es, sin disputa, de gran mérito bajo todos conceptos... Está adornada con gran copia de láminas de vegetales y animales, y además hizo abrir en cobre hasta el número de 630, mucho antes que Fabio Columna, á quien Linneo dió la prioridad en este punto, ignorando que este honor se debe á Laguna.» Morejon, *Historia bibliogr. de la Medic. española*, t. 2. pag. 265.

gressus fuit. Sed vero, imaginatione potius quam judicii maturitate pollens; atque simul nimia et precoci fæcunditate, ut ita dicam, exhaustus, solida et permanentia perficere non potuit. (1)

Attamen de philosophia bene meruit, tum propter conscripta opera in quibus non raro ingeniosa quædam et originalia reperiuntur, tum quia periculosa quædam placita Cartesii vehementer oppugnavit, tum demum quia infatigabili illa activitate, scholasticam philosophiam reformare, perficere et instaurare studuit, eamdem simul concutiendo et veluti a torpore excitando.

B) *Isaac Cardoso*, illustris medicus ac philosophus, qui seculo decimo septimo scripsit *Philosophiam Liberam*, egregium sane opus, in quo præter mirabilem eruditionem quæ ibi offert, quidquid peregrini et curiosi Hervas, Feijóo et alii postea protulerunt, reperire licet, sicut etiam plurima ad medicinam, anatomiam et physionomiam spectantia. Tandem, philosophia quoque reperitur in laudato opere, cujus dogmata cum scholastica

---

(1) De eo hæc, inter alia, habet De Gerando: «Lobkowitz promit de réduire, dans son cours de mathématiques, toutes les controverses logiques, physiques et mathématiques, à des questions qui pourraient se décider par la règle et le compas.

Il distingua assez ingénieusement la logique de la pensée et la logique du langage; il montra que les prémisses, successives dans la seconde, sont simultanées dans la première; que le syllogisme, imparfait dans celle-ci, est complet dans celle-là. Il promit une méthode sévère destinée à réprimer les abus des argumentations de l' école, une *paralogique* qui devait faire disparaître les êtres de raison, pour ne leur laisser qu' une valeur nominale, une métalogique qui devait renfermer la doctrine des universaux et des prédicaments... Il annonça une histoire critique de la philosophie entière, dans laquelle devaient être jugés les philosophes de toutes les écoles et de tous les âges; il témoigna un dédain aussi général qu' absolu pour tout ce qui s' était fait avant lui; mais il disparut bientôt lui-même sans avoir laissé aucune trace, ayant tout agité, n' ayant rien créé.» *Histoire comp. des syst. de phil.*, t. 1.°, cap. 7.°, pag. 306.

partim congruunt, ac partim discriminantur ; prout agnosci potest ex his quæ speciminis loco hic subjiciemus;

a) «Sunt atomi rerum principia, quia ex illis mixta componuntur, et in illa redeunt: secundo, quia ab illis, oriuntur mixtorum proprietates, diverso modo, figura, situ ac dispositione iis principiis constitutis, quemadmodum ex litteris diversimode ordinatis ac dispositis, innumeræ prodeunt dictiones.» (1)

b) Non modo lux, sed et calor, frigus, siccitas ac cunctæ « illæ quæ dicuntur primæ qualitates, tenuissimæ substantiæ sunt, et perpetuæ quæ suo accessu et recessu corpora immutant, (2) accidentiaque etiam possunt vocari, quia mixtis et aliis corporibus accidunt; siquidem nomen accidentis, muneris est non naturæ.»

c) Anima sensitiva brutorum nihil est aliud nisi «pars illa ignea animalibus admixta, quæ aliis elementis temperata, mirabiles edit operationes.» (3) Atque hinc colligimus, esse tenue corpus, «non vero formam illam peripateticam inintelligibilem;» proinde dicendum illam «non esse corpori universo alligatam, sed uni præcipuæ parti insidere, reliquas vero suo nutu vel motu vivificare: cor est illa pars nobilissima; «unde in animalibus perfectis cor est præcipua sedes animæ, in imperfectis vero est pars illa quæ cordi correspondet.» (4)

d) Porro animæ vires seu potentiæ, ab ipsa anima realiter non distinguuntur, sed sunt ipsa entitas animæ, quæ «varias eliciens operationes, varia nomina sortitur.» (5)

---

(1) *Phil. Libera*, lib. 1.°, q. 4.ª
(2) *Ibid.*, quæst. 5.ª
(3) *Ibid.*, lib. 5.°, quæst. 1.ª
(4) *Ibid.*, quæst. 3.ª
(5) *Ibid.*, quæst. 4.ª

e) Colores non insunt corporibus ipsis, sed sunt ipsa «lux reflexa, refracta ac disposita;» itaque «accedente luce, colores oriuntur, abscedente, evanescunt ac in tenebris nulli sunt.» (1)

f) Equidem bruta «ad invicem loquuntur, proprios animi conceptus explicant, disciplinantur:» nihilominus, nonnisi rationis umbram sortiuntur, operanturque prædicta, «non ex vero judicio et discursu, sed naturæ instinctu dirigente.» (2)

g) «Profecto, duo sunt quæ hominem reddunt admirabilem, ratio, et manus, quibus supra omnes animantes excellit: ratione, cælestia contemplatur, orbes metitur, motus observat syderum... ipsum Deum agnoscit, æternamque ejus felicitatem et beatitudinem spectat: manu, prodigiosa opera efformat, et quæ omnem excedunt laudem: ratio est ars artium, et ante omnes artes; manus est organum organorum, et ante omnia organa, quibus meditando et operando miracula patrat naturalia.» (3)

h) Difficillimum quidem habetur assignare tempus, quo anima intelligens corpori adveniat; ast «probabilius nobis videtur et verisimilius, animam ingredi tribus primis diebus conceptionis;» nec intelligibilem animam præcedit in fætu anima alia vel vegetativa vel sensitiva. (4)

i) Animam rationalem esse incorpoream et spiritualem substantiam, constat tum quia universalia intelligit; tum quia «intellectio est diversa ab imaginatione et phantasia, quæ in brutis etiam reperitur;» tum quia «intellectus suam intellectionem cognoscit et supra seipsum

---

(1) *Phil. Libera*, lib. 5.°, quæst. 23.
(2) *Ibid.*, quæst. 28.
(3) *Ibid.*, lib. 6.°, quæst. 1.ª
(4) *Ibid.*, quæst. 8.ª

reflectitur;» tum demum, quia intellectus «objectum est verum seu ens, quod omnia comprehendit: ad cognoscendum omnia est capax intellectus, facultates vero corporeæ ad certa organa et determinata genera limitatæ sunt.» (1)

j) Itaque, rationalis «anima neque est corporea, neque particula Dei, neque per traducem fit; non est de natura Angelorum, neque supra illos eminens, neque creatur ab aliqua intelligentia, neque ante corpus creata, neque ex anima mundi deducitur atque in illam postea transfusa, neque unica tantum in specie humana, neque composita ex parte corporea et immateriali, sed est substantia mirabilis, incorporea, indivisibilis, intelligens, immortalis, imago Dei, a quo fuit creata ex nihilo, libera, suæ felicitatis architectrix, suæ miseriæ auctor.» (2)

k) Hujus porro «animæ immortalitas, animis nostris tamquam primum principium generalisque notio insidet.» (3)

l) Peculiares vires seu facultates rationalis animæ, sunt intellectus et voluntas; hæc tamen «excellit supra intellectum, eoque nobilior existit. Porro, intellectus unicus existit, nec aliis indiget speciebus intelligibilibus; unde explodenda Aristotelis sententia de intellectu agente et possibili.» (4)

m) Physionomia est «ars quæ ex signis exterioribus internas affectiones investigat. Subjectum est homo, finis, detegere hominum inclinationes. Judicium sumitur in physionomia, vel quatenus signum aliquod ad si-

---

(1) *Phil. Libera*, lib. 6.°, quæst. 76.
(2) *Ibid.*, quæst. 76 in fine.
(3) *Ibid.*, quæst. 77.
(4) *Ibid.*, quæst. 79.

milem affectionem refertur, vel per analogiam ad animal, vel potius quia fere semper in hominibus talis nota invenitur, qualis significatio ostendit. Verum, ut ait Aristoteles, non est fidendum unico signo quod fallit sæpe, sed conjectura prædictionis debet sumi ex plurium signorum collectione.» (1)

Præter exposita, *Philosophia Libera* nostri Cardoso continet specialem tractatum vel dissertationem circa Deum divinaque attributa, de quibus integro libro septimo egregie simul atque solide disserit ad mentem D. Thomæ et philosophiæ scholastico-christianæ.

§ III.

Philosophi hispani seculo decimo octavo.

Feijóo (Benedictus Hieronymus) apud oppidum Casdemiro in Gallæcia anno 1676 natus, Oveti vero 1764 mortuus est. Scripsit *Cartas Criticas*, atque *Teatro Critico;* queis in operibus inter alia docet: 1.° prima corporum principia esse elementa simplicia ex quibus inextensis extensio oriri potest: 2.° belluas ratiocinio pollere, ita ut hominis definitio qua *animal rationale* dicitur, brutis quoque congruat: 3.° dari in homine peculiarem sensum a reliquis revera distinctum, quo tempus sentit.

Character generalis ejus philosophiæ, hisce contine-

(1) *Phil. Libera*, lib. 6.°, quæst. 73.

tur: 1.° notiones ontologicas, metaphysicas et methodum deductionis parvi pendere: 2.° cum Bacone et Cartesio Aristotelis methodum et doctrinam rejicere, ac observationi et experientiæ externæ fere unice insistere: 3.° proclivitas quædam ad insolita et paradoxa.

Hervás et Panduro (Laurentius) Societatis Jesu eximius scriptor, qui sub Carolo III in exilium cum sociis actus, Hispaniæ gloriam litterariam apud externas gentes promovit et auxit. Si excipias ejus sententiam de anima perpetuo cogitante, ejus doctrina satis congruit nec vix differt a philosophia scholastica. Ejus opera, præsertim ea quæ *Historia del hombre*, atque *El hombre físico*, audiunt, non pauca curiosa et erudita continent.

Piquer (Andreas) sæculi decimi octavi insignis medicus simul ac philosophus, apud hispanos quodammodo philosophiam evulgavit atque publici juris fecit, conscriptis operibus idiomate patrio. Præcipua capita philosophiæ ejusdem, sequentibus continentur:

a) Homo ex corpore et rationali anima coalescit. Hæc porro anima est substantia spiritualis, indivisibilis, immortalis, sed tamen corpori adeo intime conjuncta, ut uterque ab invicem dependeant quoad operationes in vita præsenti.

b) Cunctæ hominis actiones ab anima oriuntur tamquam a principio et causa principali; ita tamen ut ipsarum quædam cum dependentia et influxu corporis exerceantur; quædam vero propriæ sint solius animæ cui *specialiter* insunt. (1)

c) Quatuor sunt potentiæ seu facultates animæ ratio-

---

(1) « El alma es á la verdad la causa principal de todas las acciones, pero se diferencian entre sí (las acciones corporales y las espirituales) porque las primeras se ejecutan por disposicion del cuerpo, y las segundas *especialmente* existen en el alma... *pensar* y *querer*, son acciones espirituales propias del alma. » *Log.*-cap. 1.°

nalis: *Facultas sensitiva*, cujus proprius actus est sensatio sive perceptio objectorum sensibilium: *Phantasia* vel *imaginatio*, cujus proprius actus est imago sive phantasma: *Ingenium* sive facultas combinandi, jungendi et disjungendi imagines objectorum externorum, atque ipsius actus sunt propositio et ratiocinium: *Judicium*, cujus munus est agnoscere et dijudicare rectitudinem, ordinem, veritatem et falsitatem actuum aliarum trium facultatum: alio nomine *ratio* nuncupatur. Porro, imaginari inter actus proprios et speciales animæ connumeratur, (1) non secus ac discurrere et judicare.

d) Idea nihil est aliud quam imago seu repræsentatio objectorum in phantasia et per phantasiam: igitur, nullæ existunt ideæ innatæ, sed omnes ope sensuum producuntur, nec aliud est in homine *innatum* nisi potentiæ quibus ideæ et actus intellectuales producuntur. Quapropter verum est effatum illud: *nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.*

e) Nihilominus, homo sui compos ideam et notionem innatam et connaturalem Divinitatis habet. (2)

f) Inest omnibus hominibus naturalis inclinatio et desiderium possidendi summum bonum: hoc autem

---

(1) «El imaginar, discurrir, juzgar... son acciones propias del alma.» *Loc. cit.*

(2) «Han hecho, pues, los hombres estas cosas siguiendo la idea y nocion innata que tienen dentro de sí mismos de la existencia de la Divinidad... por eso debe ponerse entre las innatas y connaturales en el hombre.» *Filos. Moral.*, lib. 1.°, cap. 1.°

Nihilominus verbis hisce, Piquer probabiliter significare solum vult, notionem Dei esse innatam, non ad sensum eorum qui ideas innatas admittunt et tuentur, sed quatenus sufficit quilibet rationis vel imperfectus usus ad eam detegendam, ad eum sensum quo D. Thomas ipseque Piquer prima principia, innata seu connaturalia homini appellant. Quod confirmatur ex eo quod ibidem immediate subdit: «Al modo que no hay ninguna nacion ni pueblo alguno que no conozca ser imposible que una cosa sea á un mismo tiempo y no sea.»

summum bonum, quod homines appetunt, est ipse Deus.

g) Nequit homo veram felicitatem in hoc mundo obtinere, nisi quatenus ea operatur et exequitur, quæ sunt media apta ad æternam beatitudinem obtinendam, ad cujus adsecutionem maxime expedit, præter alia, ut homo seipsum cognoscat.

h) Jus naturæ definiri potest: *Complexus legum generalium in universa natura humana, quatenus dictant ope rectæ rationis, conformitatem quam hominis actiones habere debent cum consecutione veræ felicitatis.*

i) Operationes non solum physiologicæ, sed etiam morales hominum, non parum pendent ex temperamento et dispositione corporis humani; sed tamen influxus iste ope voluntatis liberæ dominari potest.

De pluribus aliis ad philosophiam moralem spectantibus solide simul ac erudite disserit, præsertim vero de officiis hominum, tam privatorum quam auctoritate publica pollentium. (1)

---

(1) Dum de officio Principum ergo subditos agit, hac inter alia scribit: «Para practicar el Príncipe la ley general á que está obligado de procurar la felicidad y utilidad de los súbditos, es preciso que en el gobierno del Estado guarde constantemente la máxima de *no vulnerar jamás el derecho natural de sus vasallos, ni oponerse en ninguna de sus deliberaciones al derecho de gentes.*» *Fil. Mor.*, lib. 3.°, pag. 585, edic. 1755.

Profecto, si hodierni gubernantes hanc regulam ad praxim reducerent, subditi et populi vera libertate gauderent, quin idcirco pax, securitas civium, et ordo publicus periclitarentur.

Optandum quoque, ut præfati gubernantes præ oculis haberent quod idem Piquer post pauca scribit: «Descendiendo á lo particular, la primera cosa que debe cuidar el Príncipe es la religion en sus reinos, porque nada conduce tanto á la pública tranquilidad del Estado y seguridad del Príncipe como la uniformidad de religion en los vasallos, y que esta sea santa, verdadera y pura... Ya hemos demostrado que sola la Religion cristiana es santa, verdadera y pura, y tan demostrable es como las verdades mas evidentes de la Geometría, *que la verdadera*

Observatio.

Ex nunc expositis, atque ex his quæ in conscriptis operibus habet Andreas Piquer, colligere licet ejus philosophiam ecclectismum quemdam involvere et constituere. (1) Revera enim, quoad dogmata præcipua metaphysicæ, logicæ et moralis, cum Scholasticis, præsertim vero cum D. Thoma consentit; ast vero quoad physicam, scientias naturales et psychologiam, non raro ab iisdem magis aut minus recedit, sicut contingit quoad principia

---

Religion de Jesucristo solamente es la Católica Romana: con que el Príncipe ha de procurar que esta se promulgue en sus reinos, y se guarde en todos sus dominios con inviolable santidad y pureza.

¡Que infeliz sería el Estado donde los habitadores ni tuviesen segura la vida, ni la honra, ni la hacienda; donde los malos oprimiesen á los buenos, y donde no se hallase la justicia, la concordia y la caridad!... Pues cosa clara es, que nada conduce tanto á mantener y fomentar entre los hombres estas virtudes como la verdadera Religion de Jesucristo, la cual mira en todo á procurar el bien universal y particular de las gentes, y hacer á los hombres justos, benéficos y obedientes á su Príncipe.» *Ibid.*, pag. 587 et 588.

(1) Ut alia prætermittamus, aperte id ipsum colligitur ex opere cui titulus: *Discurso sobre la aplicacion de la filosofia á los asuntos de Religion*, in cujus prologo hæc scribit: «Antes de todo queremos prevenir, que no solo es conducente sino utilísimo el que la juventud que haya de dedicarse al estudio de la Religion, aprenda primero la filosofía aristotélica que se enseña en las Escuelas, y vea el modo justo con que se aplica á las cosas teológicas, porque esto le servirá de cimiento para internarse en el estudio de la Religion, segun todos los ramos y extension de ella. El haber servido la filosofía aristotélica á la teología por el espacio de cinco siglos inconcusamente, y el haber seguido este rumbo muchos hombres santos, doctos y piísimos, con fruto manifiesto de la Iglesia, pide de justicia no solo no se desprecie este enlace, como temerariamente hacen algunos, sino que la juventud procure instruirse de ese modo con fundamento. Mas una vez enterada de estos principios que le sirven de basa, conveniente puede ser tambien que vea toda suerte de filosofías, y escoja las verdades que hallase en ellas para ilustrar las de la Religion; porque además de que la verdad no está vinculada á un sistema filosófico, podrá así combatir mas fácilmente los errores de cualquiera filosofía que estos dimanen, ó con quien tengan manifiesta conexion.»

prima corporum, seu theoriam materiæ et formæ substantialis, quam rejicit; quoad enumerationem et naturam facultatum animæ; quoad munera et actus earundem, quoad notionem vel significationem ideæ innatæ.

Ad sensismum quoque non nihil accedere videtur, quatenus actum imaginandi connumerat inter actiones spirituales, proprias et speciales animæ, non secus ac intelligere et velle.

Ferdinandus Ceballos, ordinis Sancti Hieronymi monachus, qui in opere cui titulus: *La falsa filosofia crimen de Estado*, recentium philosophorum impia et absurda dogmata solide atque egregie convellit.

Jovellanos (Gaspar Melchior) anno 1744 Gegione apud Astures nascitur, atque post varias vitæ tum faventes tum adversas vicissitudines, vitam cum morte commutavit anno 1811. Quamvis philosophiam speciatim et data opera non docuerit, eam tamen coluit atque ex parte evulgavit in quibusdam ex suis conscriptis operibus. Ethicam et jus naturæ, præ cæteris philosophiæ partibus coluit et commendavit, atque de eisdem solide disserit ad normam et dogmata philosophiæ christianæ. (1) Quapropter falluntur vehementer, qui eum traducunt tamquam scriptorem minus catholicum aut impiis philosophis sui sæculi faventem. (2)

Quod attinet ad philosophiam speculativam, Jovellanos ecclectismum quendam consectatur, nulli deter-

---

(1) Vid. ejusdem opus: *Tratado teórico-práctico de enseñanza*, ubi de ethica, de lege naturæ, de Summo Bono, de ultimo hominis fine, de officiis hominis erga seipsum, erga alios et erga Deum, scientifice disserit, simulque doctrinam Hobbes, Spinozæ, Helvetii et aliorum similium refellit.

(2) Vid. Laverde, *Ensayos Críticos*, pag. 394 et sqq. ubi optime ostendit orthodoxiam doctrinæ tam philosophicæ quam politicæ Jovellanos.

minato systemati adhærens. Ad sensualismum tamen vergit, cui nimis accedit: 1.° dum docet res quæ existunt, ac proinde substantias, nobis nihil aliud esse nisi complexum vel collectionem qualitatum, quas unice in rebus percipimus; (1) quod sane affinitatem habet cum doctrina lockiana circa ideam substantiæ: 2.° dum statuit, cunctas hominis ideas, vel ex sensatione, vel ex reflexione originem ducere; (2) quæ mehercle est ipsamet Locke theoria circa originem idearum.

Fatendum proinde, hispanum scriptorem non satis sibi constare in re hac, atque contradictoria quodammodo docere, dum in logica vel idealogia sensualismo accedit, simulque in ethica spiritualismo puro adhæret, philosophos et theorias sensualistas rejiciendo et oppugnando.

---

(1) «Las calidades de las cosas son todo lo que podemos percibir en ellas.» *Tratado del Anal. del Disc.*

(2) «Todas nuestras ideas proceden de la sensacion, ó de la reflexion; de la sensacion cuando las percibimos por medio de los sentidos, y de la reflexion cuando el alma se para á considerar sus propias operaciones.» *Ibid.*

§ IV.

Philosophi hispani seculo decimo nono.

Missos facientes nostri sæculi philosophos qui vitam adhuc apud nos degunt, quidpiam tantum proferre libet de his qui e vita jam migrarunt. (1) Inter quos tamquam insigniores merito habentur:

Balmes (Jacobus) insignis nostri sæculi philosophus Ausonæ in Catalonia natus. Præter *Philosophiam elementariam*, *Criterium*, et alia quædam, in lucem edidit egregium opus inscriptum: *Filosofía Fundamental*, in quo subtiliter simul et solide præcipua philosophiæ rationalis dogmata evolvit, simulque criticismum et pantheismum recentium germanorum refellit. Balmes philoso-

(1) Nihilominus, inter hispanos philosophos qui adhuc vitam apud nos agunt, specialem mentionem meretur Campoamor, qui in opere cui titulus: *Lo Absoluto*, tam sensualismum et pantheismum, quam etiam psychologismum cartesianum vehementer oppugnat, atque egregie convellit. Præcipua tamen ratio propter quam specialem memoriam apud nos meretur, est quia in laudato opere, originalitatem præ se fert atque ostendit, præsertim quoad originem et genesim idearum et scientiarum, quin idcirco lædat jura fidei seu doctrinæ catholicæ. Qua sane in re discriminatur a plurimis coævis philosophis Hispaniæ, quorum maxima pars nescit de philosophicis scribere, nisi magis aut minus exsuscitando placita et errores, vel sensismi, vel eclectismi cousiniani, vel pantheismi germanici. Quod si aliquando originalitatem vult affectare, nescit id peragere, nisi aut inepta, aut heterodoxa proferendo.

phia satis congruit cum philosophia D. Thomæ, a qua vix quoad rem discriminatur, nisi: 1.° dum evidentiæ et sensuum criteria nimis subjectiva efficit, simulque nimiam seu potius exclusivam vim concedit instinctui intellectuali quoad veritatem objectivam acquirendam: 2.° dum docet existentiam ab essentia realiter non distingui in rebus creatis: 3.° dum docet brutorum animam esse substantiam spiritualem, simplicem et completam vel subsistentem, quæ sola annhilatione perire potest: 4.° dum rejicit theoriam intellectus agentis et possibilis, atque ideas intellectuales cum perceptione identificat.

Donoso Cortés seu marchio de Valdegamas, cujus opus: *Ensayo sobre el Catolicismo, el Liberalismo y el Socialismo* non philosophiam proprie acceptam, sed potius doctrinam politico-socialem continet, quod quidem opus profunditatem et veritatem præ se fert, utpote catholicæ fidei innixum et consentaneum. A veritate tamen aberrat atque scepticismo viam sternit, dum docet soli catholicæ Ecclesiæ competere jus et vim pertingendi ad veritatis certam et indubiam affirmationem. Quapropter etiam scholæ traditionalistarum non parum favet, quatenus humani intellectus vires pro veritate acquirenda ad exaggerationem usque imminuit post peccatum et propter peccatum. Scribit enim, præter alia: «Si intellectus hominis est fallibilis quia infirmus vel sauciatus existit, nunquam certus esse potest de veritate eo ipso quod est fallibilis; si nunquam certus esse potest de veritate quia est fallibilis, hæc incertitudo essentialiter inest omnibus hominibus; si hæc incertudo essentialiter invenitur in cunctis hominibus; sive collective sive disjunctim spectatis, omnes hominum affirmationes et negationes sunt contradictoriæ ex terminis, quoniam necessario sunt incertæ.» (1)

(1) En ejus verba ad litteram: «Si el entendimiento del hombre es

Observatio in philosophiam hispanorum.

Ex his quæ circa patrios philosophos non tam exponere, quam delibare et innuere datum est, pronum est colligere, hispanam philosophiam tamquam tesseram propriam sibi vendicare *unitatem cum varietate* seu libertate: quandoquidem, et fundamentalia philosophiæ dogmata, quæ deseri nequeunt, nisi ratio et fides deserantur, constanter retinet, tueturque; et simul offert maximam opinionum et sententiarum varietatem, salva præfata unitate fundamentali. Igitur, turpiter errant qui philosophiæ hispanicæ, aut existentiam, aut propriam notam inficiantur. Utique hæc philosophia nec rationalismo, nec materialismo, nec pantheismo infecta existit, nec proinde originalitatem (venia sit verbo) erroris habet, sed solam originalitatem veritatis, eam, scilicet, quam permittunt naturalis ratio, communis sensus, et catholica fides. Ergo philosophia hispana, nec doctrinæ præstantiam, nec sententiarum varietatem, nec veram originalitatem expectat aut desiderat, sed virum litteris et amore patrio pollentem, qui ejusdem historiam conscribat. Qua in re optamus profecto, ut incitamentum, opem et auxilium ferant, qui rem publicam moderantur.

---

falible porque está enfermo, no puede estar nunca cierto de la verdad, porque es falible; si no puede estar nunca cierto de la verdad porque es falible, esa incertidumbre está de una manera esencial en todos los hombres, aislados ó juntos; todas sus afirmaciones y todas sus negaciones son una contradiccion en los términos, porque han de ser forzosamente inciertas.» *Ensayo sob. el Catol. el Lib. y el Social.*, lib. 1.°, cap. 3.°

ARTICULUS DECIMUS.

Philosophia Socialismi.

Surrexit postremis temporibus schola, quæ pantheismi et materialismi dogmata sociali ac civili hominum vitæ applicans, societatis ac religionis fundamenta ipsa convellit, unde et *Socialismus* vel etiam *Communismus* audit. Inter plurimos scholæ hujus fautores, eminent Saint-Simon, qui peculiarem scholam pluresque discipulos post mortem (1) reliquit; *Carolus Fourier*, Besuntii in Gallia natus; *Robertus Owen*, anno 1771 in Anglia natus, ac tandem *Proudhon* nobis coævus, qui socialismum cum atheismo conjunxit. Generalia ac præcipua socialismi dogmata sic se habent:

a) Quoniam experientia compertum est, maximam partem hominum qui socialem vitam nunc agunt, miseria, doloribus ac ærumnis premi, colligere licet præposteram ac defectuosam esse societatis actualis constitutionem, nec præfatis malis aliter remedium posse affer-

(1) Præcipui enumerantur, Olindus Rodriguez, Comte, Bazard, Enfantin, Leroux, Reynaud. In extremo agone positus Saint-Simon anno 1825, hæc postrema verba protulit: « L'avenir est à nous. » Cum septendecim esset annorum, jam tunc præcipiebat domestico ut eum a somno quotidie excitaret verbis hisce: «Levez-vous monsieur le comte, vous avez des grandes choses à faire» Vid. Reybaud, *Etudes sur les Reform.*, t. 1.°, pag. 75.

ri, nisi vetus societas funditus subvertatur novaque constituatur.

b) Atque ut nova ista societas, malis et ærumnis hominum remedium afferat, viamque in posterum eisdem occludat, opus est, ut hisce fundamentis tamquam supremis legibus innitatur: 1.° «Homines cuncti perfecta gaudent æqualitate, nec aliud discrimen inter ipsos agnoscendum, nisi discrimen sexus et ætatis:» 2.° «Omnes hominis facultates, vires et inclinationes, æque legitimæ sunt in seipsis, bonæ atque divinæ. nec proinde ullatenus coercendæ.»

c) Ergo e medio tollere opportet quidquid aut applicationem principii æqualitatis, aut prædictarum virium et inclinationum evolutionem satisfactionemve, impedit aut quomodolibet coercet.

d) Ergo delere opportet e societate: 1.° auctoritatem publicam: 2.° dominium proprietatis: 3.° jus hæreditarium: 4.° matrimonium seu proprietatem uxoris; siquidem hæc omnia et alia quæ ex iisdem emanant, libertatem agendi uniuscujusque hominis, atque evolutionem et satisfactionem virium et passionum naturalium præpediunt, eaque ratione sunt origo ærumnarum, dolorum, miseriæ et cunctorum malorum, quæ hominem in actuali societate affligunt.

Præter hæc veluti communia fautorum socialismi dogmata, quisque sua habet speciatim paradoxa et impia. Sic ex. gr.

A) *Saint-Simon:* 1.° adhæret pantheismo, dum prædicat omnia cum Deo identificari, (1) atque hominem, Dei vita vivere: 2.° infernum, paradisum, redemptionem

---

(1) «Dieu, inquit ille, est tout ce qui est, tout est en lui. Chacun de nous vit de sa vie, et tous nous communions en lui, car il est tout ce qui est.» Apud Reybaud, *Op. cit.*, t. 1.°, pag. 167.

aliaque catholicæ Religionis dogmata, ut meras allegorias esse habenda.

B) *Fourier* docet: 1.° naturam ex tribus principiis coalescere, quorum primum est *Deus*, alterum *materia*, tertium vero *justitia* seu *mathematicæ:* 2.° mundum esse anima præditum, omnesque planetas anima ac intelligentia gaudere: 3.° rationalem hominis animam esse particulam animæ planetæ illius cujus est incola, ac post mortem metempsychosi variisque transmigrationibus subjici in diversis planetis.

C) *Owen*, fatalismo adhæret, omnemque distinctionem inter bonum et malum morale e medio revera tollit.

D) *Proudhon* tandem, ut satis notum est, docet: 1.° proprietatis dominium ordini morali essentialiter adversari: (1) 2.° Deum vel non existere, vel non aliud esse nisi stultitiam et malum ipsum. (2)

Cæterum, horribiles hujusmodi blasphemiæ proudhonianæ nihil aliud revera sunt, quam consectaria legitima rationalismi, ac præsertim pantheismi scholæ hegelianæ quæ harum conclusionum præmissas statuit. (3)

---

(1) «La proprieté, inquit ille in opere cui titulus, *Philosophie de la misère*, par principe et par essence, est immorale.»

(2) «Car Dieu, s' il existe, est essentiellement hostile à notre nature, et nous ne rélevons aucunement de son autorité... Dieu c' est sottise et lachetê... Dieu c' est le mal.» *Op. cit.*

(3) Unde merito Lupus: «Proudhon proclama sobre los tejados lo que sus correligionarios se dicen al oido; saca á pública plaza la conclusion de las premisas sentadas por otros... Existe, pues, hoy una secta de ateos, hija del racionalismo filosófico. Ya hemos visto en Feuerbach la doctrina de sus gefes en Alemania.» *Le Traditionalisme et le Rationalisme*, t. 3.°, pag. 830.

ARTICULUS UNDECIMUS.

Philosophia Spiritismi.

Ex his quæ in cosmologia circa magnetismum disseruimus, liquet satis, hujus præcipuam et veluti transcendentalem phasim et manifestationem esse spiritismum, ex quo magna pericula Christi fidelibus ac Religioni catholicæ imminent, præsertim ex eo quod spiritismi adseclæ imperitos vulgi homines ipsosque semisapientes decipiant ac in errorem mittant sub specie boni, dum, nempe, prædicant et adserere non verentur, spiritismum continere et exprimere veram doctrinam Religionis Christi, cujus est veluti evolutio et complementum. (1)

Nihil ergo catholico philosopho magis expediens ac necessarium pro vera Religione tuenda, quam spiritismi dogmata præcipua dignoscere, quæ quidem sic se habent:

---

(1) Hinc Allan Kardec, unus e præcipuis spiritismi adseclis, qui eundem multis conscriptis libris et ephemeribus propagare conatur, hæc inter alia scribit: «El Espiritismo... dice en términos claros y sin equívocos, lo que Cristo dijo en parábolas; esplica las verdades desconocidas ó falsamente interpretadas... Viene á establecer entre los hombres el reino de la caridad y de la solidaridad anunciada por Cristo. Moysés aró, Cristo sembró, el Espiritismo viene á recoger.» *Le Spiritisme à sa plus simple expres.* pag. 21-22.

a) Deus, suprema intelligentia et causa prima omnium rerum, creavit materiam, qua constituuntur varii mundi qui existunt, quorum unus est tellus quam nos incolimus; etenim præter istum, existunt alii mundi, et superiores seu nobiliores, et inferiores, quorum quisque proprios ac sibi respondentes incolas habet.

b) Creavit simul plurima entia intelligentia prædita, quæ *spiritus* dicuntur; qui quidem ex se, vel dum creantur, nec boni nec mali sunt, imo vero, initio nec voluntatem propriam, nec sui perfectam conscientiam obtinent, ast progressu temporis evolvuntur ope boni vel mali usus liberi arbitrii.

c) Ejusmodi spiritus sibi conjunctum habent corpus typicum formæ humanæ, ex fluido æthereo imponderabili et subtilissimo constans; quod quidem corpus spiritum inseparabiliter ac omni in statu comitatur, illudque idcirco *perispiritus* (*perisprit*) nuncupatur. Hi porro spiritus, dum humana corpora non informant, per spatium discurrunt et errant celeritate fulguris.

d) Ut intellectualiter atque moraliter evolvi ac perfici queant, *incarnari* indigent per unionem cum corpore humano; atque spiritus sic incarnati humanitatem constituunt, quæ tum planetam nostrum, tum alios mundos inhabitat. (1)

Duratio, natura et conditiones harum incarnationum, varia sunt pro varietate meritorum cujusvis spiritus; nam qui seipsos perficere student, et bene agunt, transeunt ad alium mundum superiorem, in quo iterum incarnati feliciorem vitam agere possunt ac seipsos amplius intellectualiter et moraliter perficere. Con-

---

(1) «Les esprits incarnés constituent l'humanité, qui n'est point circonscrite à la terre, mais qui peuple tous les mondes disseminés dans l'espace.» Allan Kardec, *op. cit.*, pag. 16.

tra, qui libero arbitrio male usi sunt, post mortem vel ad ignobiliorem mundum vel ad infeliciorem incarnationem rediguntur, ut pœnas luant sceleris admissi.

e) Dum ergo apud nos videmus homines miseria, doloribus, stultitia vel aliis ærumnis oppressos, existimare debemus ejusmodi mala esse punitiones pro peccatis, defectibus et iniquo usu liberi arbitrii in præcedenti incarnatione.

f) Igitur, culpæ quas spiritus admissit in priori aliqua incarnatione, et pro quibus nunc vel in sequentibus incarnationibus punitur, sive per pravas naturæ inclinationes, sive per mala alia, constituunt verum *originale peccatum*. (1)

g) Ex quo ulterius infertur, verum purgatorium esse ipsam nostram tellurem et mundos alios, (2) in quibus spiritus seu hominum animæ pro culpis sub alia incarnatione admissis, expiationi pœnali subjiciuntur, idque per pœnas naturæ et conditioni culparum respondentes. (3)

h) Similiter non aliud admittere oportet infernum nisi relativum, hoc est, majorem aut minorem dura-

---

(1) «Les mauvais penchants naturels sont les restes des imperfections de l'esprit... sont aussi les indices des fautes qu'il a commises, et le veritable peché originel. A chaque existence il doit se laver de quelques impuretés. *Ibid.* pag. 19.

(2) «La terre, est un des lieux d'exil et d'expiation, *un purgatoire*, pour les esprits, etc. Kardec, *Introduction à la connaissance du monde invisible par les manif. des Esprits*, cap. 3.° pag. 178.

(3) «Les études spirites nous montrent en effet, que plus d'un homme né dans la misère a eté riche et consideré dans une existence anterieure, mais qu'il a fait un mauveais usage de la fortune que Dieu lui avait donnée à gerer; que plus d'un qui est né dans l'abjection a eté orgueilleux et puissant et qu'il a abusé de son pouvoir et opprimé le faible.» Kardec. *Ibid.* pag. 164.

tionem pœnarum et expiationis pro peccatis; (1) siquidem spiritus vel anima, semper pœnitere potest ac per successivas et varias incarnationes seipsam purgare et perficere.

i) Dum homo moritur, perit quidem corpus humanum terrestre, sed anima vel spiritus secum fert *perispiritum* seu corpus illud æthereum, quo per spatium errat, in locis sibi dilectis immoratur pro libitu, ac cum hominibus loquitur et communicat, dum evocatur mediis quibus spiritismus utitur. (2)

j) Nihilominus, post mortem præfatam, et post longius aut brevius tempus, spiritus, nisi ad apogeum perfectionis et felicitatis jam pervenerit, iterum incarnatur sive in eodem, sive in altero mundo, (3) juxta

---

(1) «Dieu, étant souverainement juste et bon, ne condamne pas ses créatures à des châtiments perpetuels pour des fautes temporaires; il leur offre en tout temps les moyens de progresser et de réparer le mal qu'elles ont pu faire... L'eternité des peines doit aussi s'entendre dans le sens relatif, et non dans le sens absolu.» Kardec, *Le Spiritisme à sa plus*, etc. pag. 18.

(2) «Pendant la vie l'Esprit tient au corps par son envéloppe semi-matérielle ou périsprit; la mort est la destruction du corps seul et non de cette seconde enveloppe qui se sépare du corps, quand cesse en celui-ci la vie organique.» *Le Livre des Esprits*, lib. 2.° cap. 3.°

«Il y a donc le *monde corporel*, composé des Esprits incarnés, et le *monde spirituel*, formé des Esprits désincarnés. Les êtres du monde corporel, par le fait même de leur enveloppe matérielle, son attachés à la terre ou à un globe quelconque; le monde spirituel est partout, autour de nous et dans l'espace... au lieu de se traîner péniblement sur le sol, franchissent les distances avec la rapidité de la pensée. La mort du corps est la rupture des liens qui les retenaient captifs.» Allan Kardec, *La Justice divine selon le Spiritisme*, part. 1.ª, cap. 3.°

(3) «¿Nos différentes existences corporelles s'accomplissen t-elles toutes sur la terre?

—Non pas toutes, mais dans les différents mondes: celle d'ici-bas n'est ni la première ni la dernière, et c'est une des plus matérielles et des plus éloignées de la perfection.

merita vel demerita ejusdem in priori incarnatione. (1)

k) Itaque, angeli, dæmones et animæ rationales sunt ipsimet spiritus præfati, solumque discriminantur, diversaque nomina sortiuntur, quatenus diversis gradibus boni et mali usus voluntatis, meriti et demeriti, progressus intellectualis et moralis, subsunt: unde spiritus illi quos *angelos* nuncupamus, sunt ipsæ hominum animæ, dum seu quatenus ad summum progressus gradum, seu ad ultimam perfectionem et spiritualitatem deveniunt. (2)

l) Igitur, absurdum est dicere, vel speciem humanam initium habuisse ex uno homine, vel Adamum, primum hominum extitisse; quinimo probabilius est, Adamum Sacræ Scripturæ, nihil esse aliud quam mythum præcedentium ætatum vel temporum. (3)

L'âme... peut revivre plusieurs fois sur le même globe, si elle n'est pas assez avancée pour passer dans un monde supérieur.

—¿Ainsi nous pouvons reparaître plusieurs fois sur la terre?

Certainement.

—¿Pouvons-nous y revenir après avoir vécu dans d'autres mondes ?

Assurément; vous avez déjà pu vivre ailleurs et sur la terre.» *Le Libre des Esprits*, lib. 2.° cap. 4.°

(1) «Dans l' intervalle des existences corporelles, l'Esprit rentre pour un temps plus ou moins long dans le monde spirituel, où il est hereux ou malhereux selon le bien ou le mal qu'il a fait.» Kardec, *La Justice Divine selon le Spiritisme*, part. 1.ª, cap. 3.°

(2) «Selon le spiritisme, ni les anges ni les demons ne sont des êtres à part; la création des êtres intelligents est une. Unis à des corps materiels, ils constituent l'humanité qui peuple la terre et les autres sphères habitées; degagés de ce corps, ils constituent le monde spirituel ou des Esprits qui peuplent les espaces... Depuis l'instant de leur formation, ils progressent soit à l'état d'incarnation, soit à l'état spirituel; arrivés à l'apogée, ils sont *purs Esprits* ou *anges*, selon l'appellation vulgaire.» Kardec, *Ibid.* cap. 10.

(3) «¿L'espèce humaine a-t-elle commencé par un seul homme?

Non; celui que vous appelez Adam ne fut ni le premier, ni le seul qui peupla la terre...

L'homme dont la tradition s'est conservée sous le nom d'Adam,

m) Potius ergo dicere oportet spirituum seu animarum seriem esse infinitam et æternam, saltem ex parte initii; quandoquidem Deus ab æterno et continuo creat, atque ab æternitate angeli extiterunt: (1) unde tempus revera initium non habuit, est enim infinitum non secus ac spatium. (2)

Observatio.

Nemo non videt spiritismi doctrinam in mentem revocare dogmata quædam philosophica Platonis et Origenis; quæ quidem dogmata ita evolvit et applicat, ut sub specie melioris interpretationis doctrinæ a Christo traditæ, catholicam Religionem penitus subvertat.

Cæterum, catholicus philosophus facile spiritismi philosophiam oppugnavit ac ex audientium corde et animo evellet, si semel edixerit et ostenderit, eam non alio fundamento inniti, nisi mendacium spirituum superstitiosa evocatione, nec aliud fere continere nisi affirmationes prorsus gratuitas.

---

fut un de ceux qui survécurent, dans une contrée, après quelques-uns des grands cataclysmes qui ont à diverses époques bouleversé la surface du globe, et il est devenu la souche d'une des races qui la peuplent aujour d'hui... Quelques-uns considèrent, et cela avec plus de raison, Adam comme un mythe ou une allégorie personnifiant les premiers âges du monde.» *Le Livre des Esprits*, lib. 1.° cap. 3.°

(1) »Dieu a créé de toute éternité et il crée sans cesse... De toute éternité il y a donc eu des anges ou purs esprits; mais leur existence humanitaire se perdant dans l'infini du passé, c'est pour nous comme s'ils eussent toujours été des anges.» Allan Kardec, *La Just. Div.* etc. *ibid.*, cap. 9.°

(2) «*Le commencement du temps* ne peut s'entendre que de l'éternité écoulée, car le temps est infini, comme l'espace; il n'a ni commencement ni fin.» *Ibid.*

FINIS TOTIUS OPERIS.

INDEX

VOLUMINIS TERTII.

LIBER SEPTIMUS.

ETHICA SIVE PHILOSOPHIA MORALIS.

Pags.

CAPUT PROEMIALE. - De Ethica universim spectata. . . 1

§ 1. De notione et existentia moralis scientiæ. - Definitio scientiæ moralis. - Duplex genus humanorum actuum. – Utilitas scientiæ moralis et conditio necessaria pro ipsius existentia. - Fatalistæ. - Pantheistæ. – Ethica est scientia practica. . . . . ibid.

§ 2. De objecto et principiis Ethicæ. – Objectum *attributionis* scientiæ moralis. - Objectum *materiale* et *formale* ejusdem. - Prima principia hujus scientiæ. – Quid sentiendum de Ethica qua scientia, et quoad certitudinem. 5

§ 3. Discrimen Ethicæ ab aliis. – Discrimen Ethicæ a morali christiana seu theologica quoad *subjectum*, quoad *principia*, quoad *naturam* et *originem* præceptorum.– Discriminatur quoque a prudentia. – Triplex ejusdem discrimen a lege seu *jure naturæ*. 7

§ 4. Methodus et divisio Ethicæ. – Scientiæ moralis methodus simul est experimentalis, psychologica et rationalis. – Divisio Ethicæ apud veteres. - Ethica *universalis* seu generalis, et Ethica particularis seu *specialis*. 9

SECTIO PRIMA.

ETHICA GENERALIS.

Caput I. De Ultimo Fine Actuum Humanorum. . . . 12

Art. 1. De ultimo fine secundum se spectato. - Finis notio et definitio. – Qua ratione identificatur cum bono.– Finis in intentione atque in executione. - Præcipuæ finis divisiones. - Homo, dum deliberate agit, propter finem ultimum agit. - Thesis. - *Solus Deus, utpote bonum summum et infinitum, constituit objectivam beatitudinem hominis.* – Corollaria. - *Epicureismus, Utilitarismus et Philantropismus.* – Deus principium fundamentale et prima regula ordinis moralis. - Solvuntur objectiones. . . . . ibid.

Art. 2. Utrum beatitudo possit obtineri in hac vita. – Beatitudo *quoad statum* et beatitudo *quoad essentiam*.- Quinam tueantur possibilitatem beatitudinis in vita præsenti. – Thesis 1.ª - *Perfecta hominis felicitas seu beatitudo obtineri nequit in vita præsenti.* – Thesis 2.ª– *Absurdum est hominis beatitudinem constituere in progressu continuo aut indefinito generis humani.* – Thesis 3.ª - *Beatitudo perfecta solum in altera vita potest obtineri; ast imperfecta quædam in præsenti haberi potest.* - Scholium circa beatitudinem essentialem, et Scholasticorum opiniones de re hac. 19

Caput II. De Moralitate Actuum Humanorum. 23

Art. 1. De natura moralitatis. – Philosophorum pugnæ circa naturam moralitatis.– Systema scholæ sensualistæ. – Systema scholæ utilitariæ. – Systema sensibilitatis moralis. - Systema scholæ positivæ. – Thesis 1.ª – *Impium et absurdum est systema quod actionum humanarum moralitatem repetit ex ipsarum voluptate aut do-*

lore. - Thesis 2.ª - *Systemata scholæ utilitariæ, sicut et affectionis sensibilis, rejicienda sunt tamquam insufficientia ad moralitatem explicandam.* - Thesis 3.ª - *Moralitas non desumitur ex libera Dei voluntate.* - Thesis 4.ª - *Moralitas constituitur per ordinem seu relationem transcendentalem actus ad objectum prout consentaneum rationi.* - Corollaria. - Solvuntur objectiones. 23

Art. 2. De speciebus et effectibus moralitatis. - Triplex species moralitatis secundum se spectatæ. - Ex parte subjecti seu in individuo, actus humanus deliberatus vel bonitatem moralem, vel malitiam sibi vendicat. - Objectum prout respicit ordinem moralem. - Qua ratione *finis* et *circumstantiæ* actus humani moralitatem possunt determinare, augere, vel imminuere. - *Imputabilitas moralis* atque ipsius constitutio. - Quid nomine meriti et quænam conditiones requirantur ad rationem meriti. - Meritum hominis apud Deum nequit esse secundnm strictam æqualitatem justitiæ. . . . 33

Caput III. De Conditione et Adjunctis Moralitatis. . . . 37

Art. 1. De conditione moralitatis, seu de libertate. . . ibid.

§ 1. De natura libertatis. - Voluntas ut *natura*, et voluntas ut *voluntas*. - Notio generica voluntatis. - Voluntas ut *natura*, prior est quam voluntas ut voluntas. - Actus utriusque. - Ratio ob quam voluntas hominis libere et non necessario eligit bona particularia et finita. - Indifferentia est de ratione libertatis. - Indifferentia *subjectiva* et *objectiva*. - Libertas *spontaneitatis* et libertas *arbitrii*. - Necessitas voluntatis quoad aliquem actum minime opponitur libertati arbitrii ejusdem quoad alios actus. - Libertas contradictionis, libertas contrarietatis, et libertas specificationis. - Assignantur conditiones necessariæ pro actione vere libera, seu pro exercitio libertatis. - Scholium circa originem seu radicem libertatis. . . . . ibid.

§ 2. De existentia libertatis humanæ. - Thesis 1.ª - *Homo vera gaudet libertate arbitrii qua excluditur necessitas ad unum, et qua vere est dominus suorum ac-*

tuum. - Thesis 2.ª - *Indifferentia seu libertas contrarietatis ad bonum et malum morale ad essentiam libertatis arbitrii non spectat, sed potius ejus est nævus et imperfectio.* - Solvuntur objectiones. 45

Art. 2. De adjunctis quæ voluntarium et libertatem vel tollunt vel minuunt. - Notio voluntarii in genere. - Voluntarium perfectum et voluntarium imperfectum. - Necessarium et liberum. - Formale et virtuale. - Positivum et negativum. - Quid sit violentia et qua ratione influere possit in actus voluntatis. - Conditiones ad metum gravem. - Voluntarium minuit sed non penitus tollit. - Ignorantia triplex: *antecedens*, *concomitans* et *consequens*. - Qua ratione influant in libertatem et moralitatem actus humani. - Concupiscentia seu passio *ex redundantia*, et concupiscentia *ex electione*. - Utriusque relatio cum actu humano. - Passio prout se habet vel antecedenter vel consequenter ad actum voluntatis. 55

Art. 3. De adjunctis quæ conditionem moralitatis seu libertatem interius roborant. - *Quæres* 1.° *Quænam sit virtutis moralis notio.* - *Quæres* 2.° *Undenam oriantur et generentur virtutes morales.* - *Quæres* 3.° *Quodnam sit subjectum virtutis moralis.* - *Quæres* 4.° *Quotuplex sit virtus moralis.* - Assignatur ratio divisionis virtutis moralis in quatuor cardinales. - Ratio seu fundamentum hujus denominationis. - Qua ratione prudentia ceteris virtutibus morabilus præstat. - Collatio inter reliquas tres virtutes cardinales. - Medium rei et medium rationis. - Discrimen inter justitiam commutativam et distributivam. - Virtutes morales in statu perfecto habitæ invicem connectuntur. 60

Art. 4. De necessitate auxilii divini seu gratiæ. - Quid requirat hominis perfecta moralitas. - Necessitas auxilii specialis Dei seu gratiæ tam ex parte intellectus quam ex parte voluntatis, atque etiam passionum appetitus sensitivi. - Corollaria. - Scholium circa naturam hujus gratiæ. 67

Caput. IV. De Regulis Morum. 72

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Art. 1. De regula proxima morum, seu conscientia. - Duplex regula voluntatis humanæ quoad mores, ratio humana et lex æterna. – Definitio seu notio conscientiæ. – Assignantur actus conscientiæ. – Undenam accipiat vim obligandi conscientia. – Relatio conscientiæ et legum humanarum cum lege æterna quoad vim obligandi. . 72

Art. 2. De lege naturali. 75

§ 1. De lege naturali in genere. – Notio et natura legis naturalis. - Ejusdem relatio cum lege æterna et cum ratione humana. - Legis naturalis existentia. – Præcepta legis naturalis, atque ipsorum divisio tum ex parte *cognitionis*, tum ex parte *materiæ*. - Discrimen legis naturalis a conscientia et a synderesi. – Proprietates ejusdem. . . . . ibid.

§ 2. De unitate, evidentia et immutabilitate legis naturalis. – Thesis 1.ª *Lex naturalis continet præceptum aliquod primarium respectu aliorum, illudque merito assignatur: Bonum est faciendum, et malum vitandum vel fugiendum.* - Thesis 2.ª *Nequit dari ignorantia invincibilis legis naturalis quoad primaria præcepta in homine rationis compote: dari tamen potest quoad secundaria in circumstantiis extraordinariis: ast quoad præcepta quæ tertiaria appellavi, potest utique dari etiam in circumstantiis ordinariis.* – Lex naturalis gaudet immutabilitate non solum absoluta sed etiam omnimoda seu quoad omnia præcepta. – Solvuntur objectiones. – Scholium circa sanctionem legis naturalis. . . 79

Art. 3. De lege humana. – Definitio legis humanæ atque ejusdem declaratio. – Lex humana ex quadruplici capite potest dici injusta. – Necessitas et ratio legum humanarum. - Lex humana derivari potest a naturali vel *per modum illationis*, vel *per modum determinationis*. – Quænam sit materia propria legis humanæ. – Definitio *juris gentium* atque ejusdem declaratio. - Variæ divisiones legis humanæ. - Jus gentium discriminatur a lege humana et qua ratione. – Differt quoque a lege naturali quadruplici ex capite. - Leges humanæ habent vim obligandi in conscientia, dummodo justæ sint. . 89

SECTIO SECUNDA.

DEONTOLOGIA SEU ETHICA SPECIALIS.

Caput I. De Officiis Hominis Erga Deum. 96
Art. 1. De Religione. . . . . ibid.
§ 1. De Religione in genere spectata. – Notio religionis in genere. – Assignantur duo præcipua fundamenta religionis universim acceptæ. – Existit in homine naturalis religio, idque duplici sensu. – Religio fundamentum necessarium civilis societatis. – Improbatur praxis hodierna gubernantium quoad catholicam Religionem. – Religio naturalis deistarum et rationalistarum. – Necessitas et existentia religionis a Deo ipso homini revelatæ. – Utilitas et necessitas revelationis divinæ etiam quoad veritates naturales. . . . . ibid.
§ 2. De officiis quæ ex religione in genere spectata enascuntur. – Primum officium hominis erga religionem est, *quærere et vestigare quænam sit vera religio a Deo revelata.* – Secundum, *religionem veram semel agnitam animo complecti.* – Tertium, *veram Religionem non modo ore et mente, sed etiam voluntate et corde confiteri ad salutem.* – Quartum, *cultum non juxta hominis arbitrium sed juxta formam a Deo revelatam, divinitati tribuere.* – Quintum, *veram religionem semel cognitam et amplexam, tueri, conservare et propagare.* – Corollaria. 104
Art. 2. De cultu Deo exhibendo. – Thesis 1.ª *Homo Deum colere debet non modo cultu interno, sed etiam externo et publico.* – Thesis 2.ª *Libertas cultuum seu religionis illicita est ex genere suo; nec proinde licet cooperari ad ejus introductionem in natione catholica.* – Sensus thesis explicatur. – Corollaria. – Quid sentiendum de *latitudinarismo.* – Solvuntur objectiones. 106
Art. 3. De Christi Ecclesia prout est organum veræ religionis. 121

§ 1. De Ecclesiæ constitutione et natura. – Christus Dominus institutor et fundator Ecclesiæ. – Visibilitas hujus Ecclesiæ. – Quare et quo sensu dicatur *una*, *sancta*, *catholica*, *apostolica*. – Forma Ecclesiæ est theocratia monarchica simul cum aristocratica et monarchica. – Finis Ecclesiæ quoad præsentem vitam. – Independentia Ecclesiæ a civili societate. – Perfectissimus ordo hierarchicus habetur in Ecclesia. – Christi Ecclesia gaudet vita propria quæ *ministerium doctrinale*, *ministerium sacerdotale* et *ministerium legale* complectitur. – Christi Ecclesia est societas simul naturalis et supernaturalis. 121

§ 2. De juribus Ecclesiæ, hominumque officiis ex eis emanantibus. – Ecclesia jus habet prædicandi Evangelium ubique terrarum. – Cui juri respondet ex parte hominum obligatio amplectendi fidem, et jus expugnandi eos qui prædicationem Evangelii violenter impediunt. – Ecclesia jus quoque habet condendi leges pro congrua fidelium gubernatione. – Cui juri respondet ex parte fidelium officium *obedientiæ*, et ex parte magistratuum seu principum sæcularium officium *libertatis*, seu non impediendi ejusmodi legum promulgationem. – Jus divinum inest Ecclesiæ ad decernendum infallibilliter circa fidem et mores. – Ex quo enascuntur officia tum credendi ejusmodi veritates, tum, quoad principes et magistratus catholicos, cohibendi publicationem doctrinarum quæ catholicæ fidei adversentur. – Ecclesia jus habet invigilandi atque vocandi in examen doctrinam publicam. – Huic juri Ecclesiæ adversatur monopolium universitarium. – Jus quoque habet Ecclesia acquirendi et possidendi bona temporalia. – *Desamortizatio* est vera spoliatio qua Ecclesiæ jura læduntur. – Corollaria. 126

Caput II. De Officiis Hominis qua Socialis. 133

Art. 1. De origine societatis civilis et supremæ potestatis ejus. – Societatis civilis alia origo *historica alia philosophica*. – Thesis 1.ª – *Origo societatis civilis repetenda est ex ipsa hominis natura*. – Corollaria. – Quid sentiendum de *pacto sociali*, Rousseau. – Thesis 2.ª *Suprema potes-*

tas qua regitur civilis societas, originem ducit immediate ex jure humano, mediate vero ex jure divino, seu ex Deo auctore naturæ. – Suprema potestas civilis duplex elementum includit. – Solvuntur objectiones. – Scholium circa theoriam *suffragii universalis*. 133

Art. 2. De scopo et organismo societatis civilis. . . . 145

§ 1. De scopo civilis societatis. – Variæ philosophorum opiniones circa scopum societatis civilis. – Assignatur verus scopus ejusdem. – Conditiones præfati scopi. – Finis civilis societatis coalescit ex duobus elementis. – Perfectio *physica*, perfectio *intellectualis* et perfectio *moralis* hominum. – Undenam repetere oporteat veram civilizationem. . . . . ibid.

§ 2. De organismo civilis societatis. – In quo positus sit organismus civilis societatis *ex parte personarum*. – Organismus ejusdem *ex parte formæ*. – Regimem monarchicum, aristocraticum, democraticum et mixtum. – Quodnam ipsorum optimum sit. – Quid de regimine parlamentario prout hodie usurpatur. 149

Art. 3. De officiis hominum respectu societatis civilis. – Alia officia gubernantium, alia officia subditorum. – Assignantur præcipua officia gubernantium. – Thesis. – *Absoluta libertas præli illicita est ex genere suo.* – *Alia gubernantium officia præsertim in natione catholica.* – *Subditorum officia*. 151

Caput III. De Officiis Hominis erga Proximum et Seipsum. 156

Art. 1. De officiis hominis erga alios in genere. – Duo principia quibus innituntur officia hominis erga alios. – Assignantur præcipua hominis officia erga alios. – Jura *absoluta* et jura *hypothetica* hominis in societate degentis. . . . . ibid.

Art. 2. De mendacio. – Definitio mendacii. – Mendacium *jocosum*, *officiosum* et *perniciosum*. – Nec intentio nocendi proximo nec intentio fallendi alium pertinent ad essentiam mendacii. – Postrema pertinet ad *perfectionem* mendacii. – Thesis. – *Mendacium essentialiter malum est in ordine morali, ita ut nunquam fas sit mentiri.* – Corollarium. – Scholium circa *restrictionem men-*

talem et circa occultationem veritatis. – Solvuntur objectiones. 158

Art. 3. De duellis. – Notio vel definitio duelli. – Diversa duellorum genera apud veteres et recentiores.–Thesis.– *Duellum privata auctoritate initum legi naturali, principiis socialibus, ac rectæ rationi adversatur.* – Solvuntur objectiones. 164

Art. 4. De officiis hominis erga seipsum. – Officium fundamentale hominis erga seipsum. – Ex quo emanant officium seipsum perficiendi quoad cognitionem. – Officium perficiendi seipsum per virtutes morales. – Officium conservandi vitam, corpus hujusque membra. – Thesis. – *Suicidium est peccatum gravissimum, cum lege naturæ ac recta ratione pugnans.* – Causa præcipua suicidii nostra ætate. – Non licet seipsum occidere ex intentione, etiam ad vitandum periculum peccati. – Solvuntur objectiones. 170

LIBER OCTAVUS.

HISTORIA PHILOSOPHIÆ.

Caput proemiale. – Notio historiæ philosophiæ. – Finis, lex ejusdem. – Divisio historiæ philosophiæ ratione *formæ* et ratione *temporis*. – Observatio fundamentalis pro historia philosophiæ. 177

PERIODUS PRIMA HISTORIÆ PHILOSOPHIÆ.

Caput I. Epocha Prima Hujus Periodi. 181

§ 1. Philosophia Hebræorum. – Philosophia traditionalis Hebræorum. – Philosophia mixta ex traditionali et rationali. – Essenii. – Saducæi. – Pharisæi. – Thalmud et philosophia cabalistica. . . . . ibid.

Observationes. 184

§ 2. Philosophia Indorum. – Divisio et discrimina hujus

philosophiæ et librorum quibus continetur. – Philosophia traditionalis. – Philosophia rationalis. 185
Philosophia *Nyaya*. 186
Philosophia *Sankhya*. 187
Patandjali. . . . . ibid.
Observationes. . . . . ibid.
§ 3. Philosophia Sinensium, Persarum et Ægiptiorum. – Philosophia apud Sinenses. – Apud Persas. – Apud Ægiptios. 188
Caput II. Epocha Secunda. – Philosophia græca usque ad instaurationem socraticam. 191
§ 1. Schola jonica. . . . . ibid.
Thales. . . . . ibid.
Anaximander. 192
Anaximenes. . . . . ibid.
Heraclitus. . . . . ibid.
Anaxagoras. . . . . ibid.
§ 2. Schola italica. 193
Pythagoras. – Præcipui ejusdem discipuli. . . . . ibid.
§ 3. Schola atomistica. 194
Leucippus et Democritus. . . . . ibid.
§ 4. Schola pantheistica. 195
Xenophanes. . . . . ibid.
Parmenides. . . . . ibid.
Melissus. 196
Zeno. . . . . ibid.
§ 5. Schola sceptica. – Origo et occasio scepticismi. . . 197
Gorgias. 198
Protagoras. . . . . ibid.
Calicles. . . . . ibid.
Observationes circa præcedentes scholas et characteres quibus insigniuntur. 199
Caput III. Tertia Epocha Primi Periodi. 200
§ 1. Instauratio socratica. . . . . ibid.
Philosophia Socratis. . . . . ibid.
§ 2. Scholæ quædam quæ ex instauratione socratica initium et occasionem habuerunt. 202
Schola Cyrenaica. . . . . ibid.

Schola Cynica. 203
Schola Megarica. . . . . ibid.
Scholæ Elidensis et Eretriensis. 204
§ 3. Philosophia Platonis. . . . . ibid.
Observationes. 207
Platonis successores in Academia. – *Speusippus*. – *Xenocrates*. – *Polemon*, *Crates et Crantor*. . . . . ibid.
Secunda Academia. 208
Tertia Academia. 209
§ 4. Schola Peripatetica. 211
Philosophia seu doctrina Aristotelis. . . . . ibid.
Observatio. 218
Discipuli et successores Aristotelis. 219
§ 5. Schola sceptica. 220
Pyrrho, ejusque præcipui successores. . . . . ibid.
§ 6. Schola epicurea. 221
Doctrina Epicuri. . . . . ibid.
§ 7. Schola stoica. 224
Zeno, parens hujus scholæ atque ipsius doctrina. . ibid.
Observationes. 225
§ 8. Philosophia romana. 226
Cicero. 227
Epitectus cum aliis stoicis. 228
Lucius Anneus Seneca. . . . . ibid.
Observatio. 229

PHILOSOPHIÆ PERIODUS SECUNDA, SEU PHILOSOPHIA POST CHRISTUM NATUM.

Caput IV. Prima Epocha Secundi Periodi, seu Universæ Philosophiæ Epocha Quarta. 231
§ 1. Philosophia neoplatonica. 232
Hujus scholæ fundator et primi adseclæ. . . . . ibid.
Plotinus ejusque doctrina. 233
Observationes. 235
Præcipui propugnatores et discipuli Neoplatonismi post Plotinum. – *Porphyrius*. – *Jamblicus*. – *Hierocles*. – *Proclus*. . . . . ibid.

§ 2. Philosophia Patrum Ecclesiæ. 237
Dogmata philosophica in quibus Ecclesiæ Patres conveniunt. . . . . ibid.
§ 3. Philosophia S. Justini et Athenagoræ. 239
Doctrina philosophica S. Justini. . . . . ibid.
Athenagoras. 240
§ 4. Philosophia Clementis Alexandrini. 241
Observatio. 248
§ 5. Philosophia Origenis. 249
§ 6. Philosophia Tertulliani. 251
Observatio. 254
§ 7. Philosophia S. Augustini. 255
§ 8. Philosophia Sancti Isidori. 256
Observatio. 261
§ 9. De Philosophia Boetii et Cassiodori. 262
Cassiodorus. . . . . ibid.
Boetius. . . . . ibid.
Caput V. Secundæ Periodi Epocha Secunda, seu Universæ Philosophiæ Quinta Epocha. 265
Philosophia Scholastica. – Epochæ quatuor philosophiæ scholasticæ. . . . . ibid.
§ 1. Prima epocha philosophiæ scholasticæ. 266
Erigena. . . . . ibid.
Alcuinus, Lanfrancus et Petrus Damianus. . . 267
Gerbertus. . . . . ibid.
§ 2. Secunda epocha philosophiæ scholasticæ. . . . 268
Roscellinus. 269
Guillelmus de Champeaux. . . . . ibid.
Abælardus. . . . . ibid.
Sanctus Anselmus. 270
Hugo et Richardus de Sancto Victore. – Petrus Lombardus. – Joannes de Salisbury. – Almaricus de Bene et David de Dinant. 272

§ 3. Philosophia Alberti Magni. 273
§ 4. De philosophia D. Thomæ, S. Bonaventuræ et aliorum Scholasticorum ejusdem ævi. 277
D. Thomas. . . . . . ibid.
D. Bonaventura. 278
Henricus Gandavensis et Ægidius Colonna. . . . 279
Scotus. . . . . . ibid.
§ 5. Philosophia Rogerii Baconis et Lullii. 281
Rogerius Baco. . . . . . ibid.
Raymundus Lullius. 282
Observatio. 290
§ 6. Philosophia Durandi et Occami. 291
Durandus. . . . . . ibid.
Guillielmus Occam. 292
Observatio in philosophiam Durandi et Occami. . . 293
§ 7. De philosophia Arabum et Judæorum. 294
Alpharabius. 295
Avicenna. . . . . . ibid.
Algazel. . . . . . ibid.
Jaafar seu Tophail. . . . . . ibid.
Averroes. . . . . . ibid.
Avicebron. 296
R. Moyses vel Maimonides. . . . . . ibid.
Observatio in philosophiam Arabum. . . . . ibid.
§ 8. Observationes in philosophiam scholasticam. – Nota seu character generalis hujus philosophiæ. – Defectus et vitia ejusdem. – Causæ aliæ quæ ipsius ruinam paraverunt. 297
Caput VI. Secundi Periodi Tertia Epocha, seu Universæ Philosophiæ Sexta Ætas. 300
Philosophia Moderna. . . . . ibid.
Art. 1. Transitus a philosophia scholastica ad modernam. 301
§ 1. Philosophi transitionis. . . . . ibid.
Georgius Gemistus et *Bessarion.* 302
Marsilus Ficinus. . . . . . ibid.

Petrus Ramus et *Franciscus Patrizzi*. 302
Georgius Trapizuntinus, *Georgius Scholarius* et *Gennadius*, *Pomponatius*, *Cremonini* et *Zabarella*. . ibid.
Joannes Picus mirandulanus. 303
Jordanus Bruno et *Andreas Cesalpini*. . . . . ibid.
Bernardinus Telesio. – *Gassendi*. 304
Montaigne. . . . . ibid.
Sanchez. . . . . ibid.
Justus Lipsius. 305
Nicolaus Cussanus, *Joannes Reuchlin*, *Agrippa*, *Paracelsus*, *Hieronymus Cardan*, *Robertus Fludd*, *Jacobus Böhme*. . . . . ibid.
§ 2. Philosophi qui scholasticæ philosophiæ instaurationem pertentarunt. 306
Cajetanus. 307
Franciscus Suarez. . . . . ibid.
Erasmus. . . . . ibid.
Melchior Canus. . . . . ibid.
Ludovicus Vives. 309
Thomas Campanella. 312
Observatio. 316
Art. 2. Philosophia Baconis et Cartesii. 317
§ 1. Philosophia Baconis. . . . . ibid.
§ 2. Philosophia Cartesii. 319
§ 3. Observationes in philosophiam Baconis et Cartesii. . 324
Art. 3. Sensualismus et Materialismus. 326
§ 1. *Hobbes*. 327
§ 2. *Locke*. 328
§ 3. *Van-Helmont* et *Condillac*. 330
Van-Helmont. . . . . ibid.
Condillac. 331
§ 4. *Helvetius* et *Holbach*. 332
Philosophia Helvetii. . . . . ibid.
Philosophia Holbach. 333
Art. 4. Pantheismus philosophiæ modernæ. 335
§ 1. Philosophia Spinosæ. . . . . ibid.
Observatio. 339
§ 2. Fichte, Schelling et Hegel. 340

Horum pantheismus et alia placita. 340
§ 3. Schleiermacher et Solger. 342
Philosophia Schleiermacher. . . . . ibid.
Pantheismus Solger. 343
§ 4. Philosophia Krause. 344
Observationes. 346
§ 5. Nova schola hegeliana. 347
Philosophia hujus scholæ. . . . . ibid.
§ 6. Schola eclectica. 351
Ancillon, Jouffroy, Damiron et Royer-Collard. . ibid.
Philosophia Cousin. . . . . ibid.
Art. 5. Scepticismus. 353
Le-Vayer. . . . . ibid.
Huet. . . . . ibid.
Bayle. 354
Berkeley. . . . . ibid.
Pascal. . . . . ibid.
Hume. 355
Art. 6. Ontologismus. 356
§ 1. Philosophia Mallebranche. 357
Observatio. 360
§ 2. Gioberti. 361
Observationes. 362
Art. 7. Scholæ extra cartesianam. 363
§ 1. Schola scotica. 364
Thomas Reid. . . . . ibid.
Observatio. 365
§ 2. Philosophi quidam ad scholam scoticam quodammodo seu partim accedentes. 366
Vico. . . . . ibid.
Jacobi. 367
Lamennais. 368
§ 3. Schola exterioristica seu Traditionalismus. . . . 369
Bonald. . . . . ibid.
Bautain. 371
§ 4. Schola transcendentalis. . . . . ibid.
Philosophia Kant. . . . . ibid.
§ 5. Observationes in philosophiam kantianam. . . . 377

Art. 8. Philosophi extra scholam Cartesii. 378
§ 1. *Leibnitz*. 379
Observatio. 387
§ 2. Philosophi alii germani. . . . . ibid.
Tschirnhausen. . . . . ibid.
Thomasius. . . . . ibid.
Wolff. 388
Baumgartem. 389
§ 3. Philosophi galli. 390
Bossuet. . . . . ibid.
Fenelon. . . . . ibid.
Gratry. 391
§ 4. Philosophi angli. . . . . ibid.
Cudwort. . . . . ibid.
Parker. 392
Herbert. . . . . ibid.
§ 5. Philosophi itali. 393
Muratori. . . . . ibid.
Rosmini. . . . . ibid.
§ 6. Raulica et Sanseverino. 396
Art. 9. Philosophi hispani. 398
§ 1. Philosophi hispani seculo decimo sexto. . . . . ibid.
Vazquez, Toletus, Arriaga. – Dominicus Soto, Dominicus Bañez, Joannes a Sto. Thoma. – Auctores *Complutensis Artium Cursus*. . . . . ibid.
Joannes Huarte. 399
Oliva Sabuco. 400
Sepulveda. 401
Sebastianus Fox Morcillo. . . . . ibid.
Gomez Pereira. 402
Franciscus Valles. . . . . ibid.
Andreas Laguna. 403
§ 2. Philosophi hispani seculo decimo septimo. . . . 404
Caramuel. . . . . ibid.
Isaac Cardoso. 405
§ 3. Philosophi hispani seculo decimo octavo. . . . 409
Feijóo. . . . . ibid.
Hervas et Panduro. 410

Andreas Piquer. 410
Observatio. 413
Ferdinandus Cevallos. 414
Jovellanos. . . . . ibid.
§ 4. Philosophi hispani seculo decimo nono. 416
Balmes. . . . . ibid.
Donoso Cortés. 417
Observatio in philosophiam hispanorum. 418
Art. 10. Philosophia socialismi. 419
Saint-Simon. 420
Fourier. 421
Owen. . . . . ibid.
Proudhon. . . . . ibid.
Art. 11. Philosophia spiritismi. 422
Observatio. 427

CORRIGENDA.

Pagina.	*Linea.*	*Dicit.*	*Legatur.*
49	12	notiones	nolitiones
114	23	conceptu	conspectu
120	15	ferventiores, qui	ferventiores eis qui
138	5	procurare	procurari
140	15	socialis	sociali



396
100
D.66
39
Gonzalez
AUTHOR
Philosophia Elementaria
TITLE
GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709